BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
1 C
6

PALINODIA RELIGIONIS PRAETENSAE REFORMATAE

Suam Reformationem per propria principia reprobantis, & ex eiſdem principijs fatentis.

SOLAM ROMANAM ESSE VERAM CHRISTI ECCLESIAM, Eius proinde fidem eſſe eandem hodie ſub INNOCENTIO VNDECIMO, quæ fuit olim ſub D. Petro, & inde ſub S. INNOCENTIO. I.

Opus in duas partes diuiſum.

AD EMINENTISSMVM D.

CARDINALEM CYBO

TOTIVS ORD. MIN. PROTECTOREM.

AVTHORE

F. FRANCISCO PORTERO

Hiberno Medenſi, Ordinis Minorum, Prouinciæ Hiberniæ, & in Collegio Sancti Iſidori de Vrbe Sacræ Theologiæ Profeſſore primario.

1686.

ROMAE, Typis, & Sumptib. Nicolai Angeli Tinaſſij 1679.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS.mo ET REVERENDISS.mo

PRINCIPI,

D. ALDERANO CYBO,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI AMPLISSIMO,

Sanctiſſimo Domino noſtro INNOCENTIO XI. *à ſecretis ſtatus, Legato Auinionenſi, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Protectori Vigilantiſſimo, &c.*

AD patrocinium Clientelæ tuæ, Eminentiſsime Princeps, accurrit hoc opus, & frontem ſuam nominis tui ſplendore illuſtrare cupit: multa me impellunt, generis tui claritas, amplitudo, dignitas, animi dotes, operis ipſius meta, & ſcopus, ordinis noſtri apud ſedem Apoſtolicam ſuſcepta protectio. de proſapiæ nobilitate quid dicam? quæ ſupra mille annos, Cæſaribus cara, in viris domi, militiæque inclytis floruit, quæ deinde per longam heroum poſteritatem, (& vt paucos ex multis enumerem) per duos Pontifices Maximos, per octo purpuratos Patres, con-

conſilio & prudentia celebres, per triginta ſex Eccleſiarum Præſules, per plures Genuenſis Reipublicæ Senatores, & Conſules, Duceſque aliquot, per ſtrenuos belli ſtrategos, & in propugnanda ſæpe religionis orthodoxæ cauſa glorioſos; per Oratores, & Legatos ad diuerſos Principes, per Dominos & moderatores variarum ditionum, Regnique Neapolitani nonnumquam Proreges, per Marchiones, Comites, ſacrique Imperij Principes, per connubiorum communione contractas Affinitates, cum nobiliſsimis Italiæ familijs, per generoſos Agnatorum germinum Traduces, diffuſa, & traducta, altius eminuit, formoſius eluxit. Sed hæc alij prædicent: ego ſingulares virtutes tuas, animique dotes, Eminentiſſime Princeps, hic ſuſpicio, citra iniuriam modeſtiæ tuæ, quæ fucatis infenſa laudibus, ne veras quidem libenter admittit, negare ſolus non debes, quod aliorum ora deprædicant, ea te rectitudine iuſtitiæ, & moderatione prudentiæ, commiſſa tibi munera ſemper exercuiſſe, vt aulæ pontificiæ præfectus, ab Innocentio Decimo purpuratis adſcriptus, ab eodem Vrbino, Rauennæ, Ferrariæ datus Legatus, integritatis cuſtos ſollicitus, illam vnam incolumem volens, eiuſdem detrimentis, aut commodis, dignitatem tuam omnem ita expenderis, vt honorum ſemitas, laudatiſsimis calcaueris exemplis: ab INNOCENTIO VNDECIMO, ad orbis chriſtiani gaudium fæliciter regnante, in partem ſollicitudinis vocatus, à ſecretis ſtatus aſſumptus, tantæ oneris moli, eam attuli-

ſti ſa-

ſti ſapientiam, vt tot negotia, tot publicæ curæ, in mente mitiſsima, nullam tibi excitent moleſtiam: qua nobilitate genitus, eadem & viuens, affectionum propenſiones, dedolans ad amuſsim rationis, omnem probitatem, in conſcientiæ remittis excubias. Hic prudentia tua, magnis obiecta experimentis, ijs ſe parem exhibet, dum perſpicacitas mentis, ſingulari maturitate iudicij, munus iniunctum tam expedite, quam prudenter exercet: operoſæ menti nullum ſupereſt tempus otioſum, cum ſola laborum mutatione quieſcat, ſola occupationum aſsiduitate fruatur: eo temperamento gradum tuum moderaris, vt meritorum tuorum parciſsimus æſtimator, dignitatem tuam, priuati manſuetudine gerens, nullius dedigneris affatus; alieno fælix ſolatio, dum ſingulorũ declinas iniurias, communi ſtudes vtilitati, nihil in tua magis amans conditione, quam quod prodeſſe omnibus poſsis. Iſta ſunt in dignitate tua, & gentis ſplendore, quæ me incitarunt; ſed & incitauit operis ipſius, vt dixi, Scopus; ſedentium, in vmbra mortis, animarum ſalus, illi meta, veræque religionis, à calumnijs, vindiciæ, Eminentiæ tuæ non ingratata tractatio, cui gratiſsima earumdem animarum, ad ſaniorem mentem reductio, quas vel benigna humanitate allectas, vel humaniſsimis beneficijs deuinctas, reſtituere deſideras Eccleſiæ; ſcilicet Deo, teipſum fænerans, earum vlceribus, charitate tua, volens mederi, illarum ſanitatem lucrum credis eſſe virtutis, ita quos fecit ignorantia filios prodigos, tua beneuola pie-

tas

tas, cæleſtis Regni ſatagit conſtituere hæredes. nominatim pia illa recenſere poſſem officia; ſed me ſilente, ac tua etiam prohibente modeſtia, res de ſe loquitur. quo hæc ipſa pietas clarior magno illuceſceret mundo, Minorum ordini, iure merito deſtinaris protector; hic cum ſedulum Te noſtri curatorem expreſſeris, exprimes hoc ipſo amantiſsimum patrem, hoc tibi nomen, vti detulit protectionis officium, ita nunc diffuſo per ortum, occaſumque filiorum numero facit abundare, vtpote, qua die, videras te Franciſcanæ protegendæ familiæ datum, eadem te credidiſti nobis aſsignatum in patrem. nemo maturius induere potuit nominis huius affectus. egebat orbata Minorum religio, tanto tutelari, qui ſola pupillorum vtilitate, gloriam ſolliciti tutoris metiatur, qui quemquam nolit in grege ſibi commiſso viuere, à ſtudio paterni amoris excluſum. Tibi igitur, Eminentiſsime Princeps, hoc qualecumque opus, ex animo, ex obſequio, maximæ obſeruantiæ, minimum argumentum offert, & dedicat.

Eminentiæ tuæ,

Humillimus Cliens,

Fr. Franciſcus Porterus.

APOLOGETICA

Præfatio ad Principes, & Proceres Religionis prætenſæ reformatæ.

QVod olim apud Imperatorum ſubſellia, apud Senatorum Tribunalia, de iniquis vexationibus in cauſa fidei conquerebantur Iuſtinus, Tertullianus, Athenagoras, & apud Chriſtianos Cæſares, Athanaſius, Hilarius, & alij; de hoc ipſo pari ſcilicet grauamine, in cauſa pari, Sereniſſimi Principes Ampliſſimi proceres, vobiſcum expoſtulamus Catholici, qui terrenæ poteſtatis veſtræ gubernamur Imperio. mulctant nos leges veſtræ, pœna multiplici, à Reipublicæ munijs, à Curiarum liminibus arcemur, ita vt acceſſus ad vos Principes, quem ſubditis, gentium & naturale ius concedit, nobis in cauſa noſtra denegetur: profeſſio noſtra ſi palam inter vos ſuas functiones exercet, ergaſtulis, crucibus, exilio, bonorum iactura punitur: religio noſtra de errore defertur ad veſtrum forum, in quo tamen, vt tota veſtra reformatio occlamat, nulla legitimi fori, nec forma relucet, nec ineſt authoritas. Nobis inculcatis clamore valido, minis, terroribus, vt à Romana deficiamus Eccleſia, veſtri interim miniſtri, quam nobis ſequendam proponant Eccleſiam, ignorant, inter tot ſectas veſtras, quæ fucato nomine, Eccleſiam mentiuntur. quod ſi Romanæ fidei communionem, vt vos optatis, per Apoſtaticam fugam vellemus deſerere, apud vos certe nullum veræ Eccleſiæ inueniemus veſtigium, ſi fidem habemus veſtris principijs, quæ nullo perceptibili charactere, Chriſti ouile deſignant, ſed ad abſtruſa, ad vaga ſigna nos prouocant: ſed ſi hac ipſa exceptione ſilentio repreſſa, velletis veſtros eſſe audiendos doctores; en ea ipſa arma, quibus bellum Romanæ intuliſtis Eccleſiæ, pro nobis contra vos, aperte decertant. vt illius excuteretis iugum, omnem eius authoritatem negaſtis, nullius hominis, vel hominum cœtus, ne quidem œcumenicæ ſynodi ſententiæ, inconſulta ſcriptura, acquieſcendum, pro axiomate ſtatuiſtis, mortalium omnium in fidei materia, definitiones & dogmata, cuiuslibet particularis ſcripturæ ſcrutinio, ſubdenda decernunt, reformata principia. hic quæſo aduertat prudentia veſtra, Sereniſſimi Principes, ampliſſimi proceres, ad reformationis ſupercilium, & patiatur leges, quas ipſa tulit. ſi nulla datur in Religionis cauſa, decidendi authoritas, vt veſtræ tenent maxima, nulla vtique apud vos dabitur, in eadem cauſa, reformandi

mandi

mandi poteſtas, ſi mortalium nulli, in hoc ipſo negotio, inconſultis biblijs aſſentiendum, mortalium nullus, iuxta hanc ipſam legem, debet veſtros præcones audire: ſi omnium hominum in hac re ſententiæ, cuiuslibet priuati examinis ſubijciuntur arbitrio, cur quæſo leges veſtræ compellunt nos hominum illorum dogmatibus præbere aſſenſum, quorum, per veſtræ reformationis diplomata, conſtituimur examinatores & arbitri? quomodo nos, ad profeſſionis veſtræ tribunalia citatis, qui tribunalibus omnibus, in Religionis negotio, authoritatem adimitis? cur vultis conſcientias noſtras, iſtius reformationis inſtitutis opprimere, quæ omnem in rebus diuinis, remordentis conſcientiæ ſynderesim docet extinguere? Cur intellectuum noſtrorum ſenſus, veſtris vultis alligare iudicijs, cum per veſtram reformationem, ſingulis, quodlibet audendi, iudicandique, detur æqua libertas? cur non nobis, æquitas veſtra, hanc libertatem indulget, vt mentium noſtrarum ſententias, paſtorum Eccleſiæ noſtræ potius ſubmittamus iudicio, qui ex Religionis catholicæ præſcripto, legitima docendi iuriſdictione pollent, quam audiamus ſpermologos doctores, quibus ex ipſius reformationis principijs, deeſt legitima docendi facultas? Vultis tamen per fas nefaſque, vt audiantur Miniſtri, vultis hoc in ditionibus veſtris quia in hac cauſa præualet potẽtia rationi, violẽtia iuſtitiæ. ſed ecce malum, quod Romanæ Religioni parauerant reformati gregis anteſignani, in reformationis veſtræ caput redundat! noſque ſi æquitas, apud vos, locum haberet, in hoc fidei negotio, à Tribunalium veſtrorum foro eximeret. illi vt inuidiam in Religionem præfatam concitarent, omnem totius Eccleſiæ Chriſti infallibilitatem perfricta fronte oppugnarunt, totam exponendi, definiendique res fidei, in paſtoribus, ac Concilijs authoritatem, erroribus, deceptioni, illuſionibus obnoxiam affirmarunt, ſeque ipſos, fallaces vtique, fallibileſque expoſitores, in doctrinæ ſacræ miniſterium, intruſerant, in ea cauſa, a qua pendet ſalus perennis, æternus interitus: in eandem cauſam eliminata iam ex reformato grege, de infallibilitate Eccleſiæ, ſententia, ingerunt ſe illorum ſequaces, ex profeſſo fallibiles, vt vmbras, fumoſque doctrinæ vendant: ad errantes & fallibiles iſtos Magiſtros, per leges veſtras, prouocamur Catholici, damnamur erroris, ab erroneis doctoribus: taxamur de falſitate, per fallaces interpretes; ſi controuerſi textus ſenſum requirimus, fallibilem a doctoribus iſtis expoſitionem reportamus, fallibili tamen eiuſmodi interpretationi, iubetis vt præbeamus aſſenſum, etiamſi per eam decepti, deceptores miniſtros ſequeremur in barathrum infelicitatis æternæ. Hic iterum, Sereniſſimi Principes, Ampliſſimi proceres (hic inquam) ſerio reflectite, an iuſtum, an æquum in re tanti momenti, deceptibiles audire doctores. ſi omnes omnino homines fallantur vt vultis, ſæpiuſque fal-

lant

lant, ſi vobiſcum veſtri huic malo ſubiaceant, ſi nos & noſtros, in eadem maſſa concluditis, & iudicio veſtro, non niſi vtrobique deceptionis periculum, cur quæſo veſtra fallibilitas, præ aliorum fallibilitate audienda? ſi vbique fallibilitas, cur vna alteri meretur præferri? Catholici vrimur flammis, cadimur flagris, per lictores veſtros, quia in doctrinam fallibilem iurare nolumus: ſi omnes & errare poſſunt, & ſubinde errant, vt clamant veſtra principia, atque adeo vos veſtrique inter omnes, vultiſque vt noſtri ſimiliter errent ſubinde, poſſintque errare, quæſo quid emolumenti eſt in diſcrimine ſimili, ab erroneis tranſire ad erroneos, ab vmbris ad vmbras, niſi velitis lutum luto tergere? ſi nullum admittitis iudicem, qui lites noſtras certo, & infallibiliter componat, quid conuellitis orbem terrarum, mouendo controuerſias in ea cauſa, in qua omnem iudicandi poteſtatem reſpuitis? quid nos ad veſtra prætoria vocatis in negotio quod decidi ſecundum veſtra principia non poteſt? niſi velitis dicere, chriſtianorum principales eſſe partes in Religionis cauſa, ſemper inſanire, furere, litigare, & nunquam ſapere, vel concordiam procurare. Cur quæſo ſic proceditis, iterum dico cur nos, in hac cauſa, tribulatis? an quia leges veſtræ ſic iubent, ſic volunt: ſed ſic voluere olim gentiles, & Iudæi; ſic iubet, ſic vult hodie Turca. Sane ſi ad prudentiam veſtram appellamus, Sereniſſimi Principes & hanc ipſam velitis, in conſilium adhibere, nos in Religionis negotio ad veſtra tribunalia non poteſtis legitime citare, quibus ex reformationis dictamine deeſt authoritas, iudicij integritas, ſciendi facultas, ineſt deceptibilitas, & quantum ſcire poteſtis, forte deceptio & falſitas. Sed reponitis, habemus biblia clara, euidentia, ſufficientia, omnem veritatem continentia; ſed repoſuerunt hoc ipſum olim omnes hæretici: ſubſiſtite tamen hic, ſi clara, ſi euidentia, ſi ſufficientia ſunt biblia, ſuperfluunt Miniſtri & expoſitores veſtri: proſcribantur igitur è territoriis veſtris omnes veſtri prædicantes, eijciantur doctores, interpretes, tanquam inutilia terræ pondera: ſi biblia continent omnem veritatem, quæ ad ſalutem conducit, deleantur omnes veſtræ reformatæ confeſſiones, quæ nec vnum quidem articulum eorum, de quibus vobiſcum diſſidet Eccleſia Romana, continent: hæ ipſæ confeſſiones, ad reformationis trutinam expenſæ, corruunt ex ſumma Chriſtianæ doctrinæ: veſtri interim Miniſtri in auia, in deuia feruntur incerti, imo & ignari, quid credendum, vel quare. vultis vt miniſtris credatur, decernite primo, quid in cauſa Religionis Chriſtianæ determinate credendum: neque nos tentetis, de fidei noſtræ poſſeſſione deijcere, donec ſtatuatis ipſi, quid de fide tenendum; hoc veſtri nondum præſtiterunt, nec, vt auſim affirmare, in æternum præſtabunt. Extinguite ergo inteſtinum malum, diſſidium implacabile, quod inter vos ardet, de numero

*mandi poteſtas, ſi mortalium nulli, in hoc ipſo negotio, inconſultis biblijs
aſſentiendum, mortalium nullus, iuxta hanc ipſam legem, debet veſtros
præcones audire: ſi omnium hominum in hac re ſententiæ, cuiuslibet pri-
uati examinis ſubijciuntur arbitrio, cur quæſo leges veſtræ compellunt nos
hominum illorum dogmatibus præbere aſſenſum, quorum, per veſtræ re-
formationis diplomata, conſtituimur examinatores & arbitri? quomodo
nos, ad profeſſionis veſtræ tribunalia citatis, qui tribunalibus omnibus,
in Religionis negotio, authoritatem adimitis? cur vultis conſcientias no-
ſtras, iſtius reformationis inſtitutis opprimere, quæ omnem in rebus diui-
nis, remordentis conſcientiæ ſynderesim docet extinguere? Cur intel-
lectuum noſtrorum ſenſus, veſtris vultis alligare iudicijs, cum per ve-
ſtram reformationem, ſingulis, quodlibet audendi, iudicandique, detur
æqua libertas? cur non nobis, æquitas veſtra, hanc libertatem indulget,
vt mentium noſtrarum ſententias, paſtorum Eccleſiæ noſtræ potius ſub-
mittamus iudicio, qui ex Religionis catholicæ præſcripto, legitima docen-
di iuriſdictione pollent, quam audiamus ſpermologos doctores, quibus ex
ipſius reformationis principijs, deeſt legitima docendi facultas? Vultis
tamen per fas nefaſque, vt audiantur Miniſtri, vultis hoc in ditionibus
veſtris quia in hac cauſa præualet potẽtia rationi, violẽtia iuſtitiæ. ſed ecce
malum, quod Romanæ Religioni parauerant reformati gregis anteſignani,
in reformationis veſtræ caput redundat! noſque ſi æquitas, apud vos,
locum haberet, in hoc fidei negotio, à Tribunalium veſtrorum foro exi-
meret. illi vt inuidiam in Religionem præfatam concitarent, omnem to-
tius Eccleſiæ Chriſti infallibilitatem perfricta fronte oppugnarunt, totam
exponendi, definiendique res fidei, in paſtoribus, ac Concilijs authori-
tatem, erroribus, deceptioni, illuſionibus obnoxiam affirmarunt, ſeque
ipſos, fallaces vtique, fallibileſque expoſitores, in doctrinæ ſacræ mini-
ſterium, intruſerant, in ea cauſa, a qua pendet ſalus perennis, æternus
interitus: in eandem cauſam eliminata iam ex reformato grege, de in-
fallibilitate Eccleſiæ, ſententia, ingerunt ſe illorum ſequaces, ex profeſ-
ſo fallibiles, vt vmbras, fumoſque doctrinæ vendant: ad errantes & fal-
libiles iſtos Magiſtros, per leges veſtras, prouocamur Catholici; d
namur erroris, ab erroneis doctoribus: taxamur de falſitate, per
ces interpretes; ſi controuerſi textus ſenſum requirimus
ctoribus iſtis expoſitionem reportamus, fallibili tame
tationi, iubetis vt præbeamus aſſenſum, etiamſi
ptores miniſtros ſequeremur in barathrum in
rum, Sereniſſimi Principes, Ampliſſimi pr
flectite, an iuſtum, an æquum in re ta
doctores. ſi omnes omnino homine*

lant, ſi vobiſcum veſtri huic malo ſubiaceant, ſi nos & noſtros, in eadem maſſa concluditis, & iudicio veſtro, non niſi vtrobique deceptionis periculum, cur quæſo veſtra fallibilitas, præ aliorum fallibilitate audienda? ſi vbique fallibilitas, cur vna alteri meretur præferri? Catholici vrimur flammis, cædimur flagris, per lictores veſtros, quia in doctrinam fallibilem iurare nolumus: ſi omnes & errare poſſunt, & ſubinde errant, vt clamant veſtra principia, atque adeo vos veſtrique inter omnes, vultiſque vt noſtri ſimiliter errent ſubinde, poſſintque errare, quæſo quid emolumenti eſt in diſcrimine ſimili, ab erroneis tranſire ad erroneos, ab vmbris ad vmbras, niſi velitis lutum luto tergere? ſi nullum admittitis iudicem, qui lites noſtras certo, & infallibiliter componat, quid concutitis orbem terrarum, mouendo controuerſias in ea cauſa in qua omnem iudicandi poteſtatem reſpuitis? quid nos ad veſtra prætoria vocatis in negotio quod decidi ſecundum veſtra principia non poteſt? niſi velitis dicere, chriſtianorum principales eſſe partes in Religionis cauſa ſemper inſanire, furere, litigare, & nunquam ſapere, vel concordiam procurare. Cur quæſo ſic proceditis, iterum dico cur nos, in his tribulatis? an quia leges veſtræ ſic iubent, ſic volunt: ſed ſic olim gentiles, & Iudæi; ſic iubet, ſic vult hodie Turca ... dentiam veſtram appellamus, Sereniſſimi Principes & ...

litis, in conſilium adhibere, nos in Religionis negotio ad ...

lia non poteſtis legitime citare, quibus ex reform...

authoritas, iudicij integritas, ſciendi facultas, ...

quantum ſcire poteſtis, forte deceptio & falſitas ...

biblia clara, euidentia, ſufficientia, omnem ...

repoſuerunt hoc ipſum olim omnes hæretici: ſ...

ſi euidentia, ſi ſufficientia ſunt biblia, ſuper...

res veſtri: proſcribantur igitur è te...

tes, eijciantur doctores, interpret...

biblia continent omnem veritat...

omnes veſtræ reformatæ conf...

eorum, de quibus nobiſcum ...

confeſſiones ...

Chriſtia...

incerti...

... Mino-
... elabora-
... probatis
... reticos, qui
... il minus illis
... cipijs optime,
... polite, vt ſagit-
... eo omnibus Ca-
... i intentis, ipſiſque
... ibus imprimis vti-
... Dabam Romæ ad
... 78.

... *s Lynceus de Galuia*
... *Lector Generalis.*

... obſer. S. Theologiæ lector
... dori de Vrbe Guardianus, ex
... legi attente ſecundam partem
... onis compoſitam à Patre Franciſco

EMINENTISS.mo ET REVERENDISS.mo

PRINCIPI,

D. ALDERANO CYBO,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI AMPLISSIMO,

Sanctiſſimo Domino noſtro INNOCENTIO XII. *à ſecretis ſtatus, Legato Auinionenſi, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Protectori Vigilantiſſimo, &c.*

AD patrocinium Clientelæ tuæ, Eminentiſsime Princeps, accurrit hoc opus, & frontem ſuam nominis tui ſplendore illuſtrare cupit: multa me impellunt, generis tui claritas, amplitudo, dignitas, animi dotes, operis ipſius meta, & ſcopus, ordinis noſtri apud ſedem Apoſtolicam ſuſcepta protectio. de proſapiæ nobilitate quid dicam? quæ ſupra mille annos, Cæſaribus cara, in viris domi, militiæque inclytis floruit, quæ deinde per longam heroum poſteritatem, (& vt paucos ex multis enumerem) per duos Pontifices Maximos, per octo purpuratos Patres,

tas, cæleſtis Regni ſatagit conſtituere hæredes. nominatim pia iſta recenſere poſſem officia; ſed me ſilente, ac tua etiam prohibente modeſtia, res de ſe loquitur: quo hæc ipſa pietas clarior magno illuceſceret mundo, Minorum ordini, iure merito deſtinaris protector; hic cum ſedulum Te noſtri curatorem expreſſeris, exprimes hoc ipſo amantiſsimum patrem, hoc tibi nomen, vti detulit protectionis officium, ita nunc diffuſo per ortum, occaſumque filiorum numero facit abundare, vtpote, qua die, videras te Franciſcanæ protegendæ familiæ datum, eadem te credidiſti nobis aſsignatum in patrem. nemo maturius induere potuit nominis huius affectus. egebat orbata Minorum religio, tanto tutelari, qui ſola pupillorum vtilitate, gloriam ſolliciti tutoris metiatur, qui quemquam nolit in grege ſibi commiſso viuere, à ſtudio paterni amoris excluſum. Tibi igitur, Eminentiſsime Princeps, hoc qualecumque opus, ex animo, ex obſequio, maximæ obſeruantiæ, minimum argumentum offert, & dedicat.

Eminentiæ tuæ,

Humillimus Cliens,

Fr. Franciſcus Porterus.

APO-

APOLOGETICA

Præfatio ad Principes, & Proceres Religionis prætenſæ reformatæ.

QVod olim apud Imperatorum ſubſellia, apud Senatorum Tribunalia, de iniquis vexationibus in cauſa fidei conquerebantur Iuſtinus, Tertullianus, Athenagoras, & apud Chriſtianos Cæſares, Athanaſius, Hilarius, & alij; de hoc ipſo pari ſcilicet grauamine, in cauſa pari, Sereniſſimi Principes Ampliſſimi proceres, vobiſcum expoſtulamus Catholici, qui terrenæ poteſtatis veſtræ gubernamur Imperio. mulctant nos leges veſtræ, pœna multiplici, à Reipublicæ munijs, à Curiarum liminibus arcemur, ita vt acceſſus ad vos Principes, quem ſubditis, gentium & naturale ius concedit, nobis in cauſa noſtra denegetur: profeſſio noſtra ſi palam inter vos ſuas functiones exercet, ergaſtulis, crucibus, exilio, bonorum iactura punitur: religio noſtra de errore defertur ad veſtrum forum, in quo tamen, vt tota veſtra reformatio occlamat, nulla legitimi fori, nec forma relucet, nec ineſt authoritas. Nobis inculcatis clamore valido, minis, terroribus, vt à Romana deficiamus Eccleſia, veſtri interim miniſtri, quam nobis ſequendam proponant Eccleſiam, ignorant, inter tot ſectas veſtras, quæ fucato nomine, Eccleſiam mentiuntur. quod ſi Romanæ fidei communionem, vt vos optatis, per Apoſtaticam fugam vellemus deſerere, apud vos certe nullum veræ Eccleſiæ inueniemus veſtigium, ſi fidem habemus veſtris principijs, quæ nullo perceptibili charactere, Chriſti ouile deſignant, ſed ad abſtruſa, ad vaga ſigna nos prouocant: ſed ſi hac ipſa exceptione ſilentio repreſſa, velletis veſtros eſſe audiendos doctores; en ea ipſa arma, quibus bellum Romanæ intuliſtis Eccleſiæ, pro nobis contra vos, aperte decertant. vt illius excuteretis iugum, omnem eius authoritatem negaſtis, nullius hominis, vel hominum cœtus, ne quidem œcumenicæ ſynodi ſententiæ, inconſulta ſcriptura, acquieſcendum, pro axiomate ſtatuiſtis, mortalium omnium in fidei materia, definitiones & dogmata, cuiuslibet particularis ſcripturæ ſcrutinio, ſubdenda decernunt, reformata principia. hic quæſo aduertat prudentia veſtra, Sereniſſimi Principes, ampliſſimi proceres, ad reformationis ſupercilium, & patiatur leges, quas ipſa tulit. ſi nulla datur in Religionis cauſa, decidendi authoritas, vt veſtræ tenent maximæ, nulla vtique apud vos dabitur, in eadem cauſa, refor-

mandi

mandi poteſtas, ſi mortalium nulli, in hoc ipſo negotio, inconſultis biblijs aſſentiendum, mortalium nullus, iuxta hanc ipſam legem, debet veſtros præcones audire: ſi omnium hominum in hac re ſententiæ, cuiuslibet priuati examinis ſubijciuntur arbitrio, cur quæſo leges veſtræ compellunt nos hominum illorum dogmatibus præbere aſſenſum, quorum, per veſtræ reformationis diplomata, conſtituimur examinatores & arbitri? quomodo nos, ad profeſſionis veſtræ tribunalia citatis, qui tribunalibus omnibus, in Religionis negotio, authoritatem adimitis? cur vultis conſcientias noſtras, iſtius reformationis inſtitutis opprimere, quæ omnem in rebus diuinis, remordentis conſcientiæ ſyndereſim docet extinguere? Cur intellectuum noſtrorum ſenſus, veſtris vultis alligare iudicijs, cum per veſtram reformationem, ſingulis, quodlibet audendi, iudicandique, detur æqua libertas? cur non nobis, æquitas veſtra, hanc libertatem indulget, vt mentium noſtrarum ſententias, paſtorum Eccleſiæ noſtræ potius ſubmittamus indicio, qui ex Religionis catholicæ præſcripto, legitima docendi iuriſdictione pollent, quam audiamus ſpermologos doctores, quibus ex ipſius reformationis principijs, deeſt legitima docendi facultas? Vultis tamen per fas nefaſque, vt audiantur Miniſtri, vultis hoc in ditionibus veſtris quia in hac cauſa præualet potẽtia rationi, violẽtia iuſtitiæ. ſed ecce malum, quod Romanæ Religioni parauerant reformati gregis anteſignani, in reformationis veſtræ caput redundat! noſque, ſi æquitas, apud vos, locum haberet, in hoc fidei negotio, à Tribunalium veſtrorum foro eximeret. illi vt inuidiam in Religionem præfatam concitarent, omnem totius Eccleſiæ Chriſti infallibilitatem perfricta fronte oppugnarunt, totam exponendi, definiendique res fidei, in paſtoribus, ac Concilijs authoritatem, erroribus, deceptioni, illuſionibus obnoxiam affirmarunt, ſeque ipſos, fallaces vtique, fallibileſque expoſitores, in doctrinæ ſacræ miniſterium, intruſerant, in ea cauſa, a qua pendet ſalus perennis, æternus interitus: in eandem cauſam eliminata iam ex reformato grege, de infallibilitate Eccleſiæ, ſententia, ingerunt ſe illorum ſequaces, ex profeſſo fallibiles, vt vmbras, fumoſque doctrinæ vendant: ad errantes & fallibiles iſtos Magiſtros, per leges veſtras, prouocamur Catholici; damnamur erroris, ab erroneis doctoribus: taxamur de falſitate, per fallaces interpretes; ſi controuerſi textus ſenſum requirimus, fallibilem a doctoribus iſtis expoſitionem reportamus, fallibili tamen eiuſmodi interpretationi, iubetis vt præbeamus aſſenſum, etiamſi per eam decepti, deceptores miniſtros ſequeremur in barathrum infelicitatis æternæ. Hic iterum, Sereniſſimi Principes, Ampliſſimi proceres (hic inquam) ſerio reflectite, an iuſtum, an æquum in re tanti momenti, deceptibiles audire doctores. ſi omnes omnino homines fallantur vt vultis, ſæpiuſque fal-

lant

lant, ſi vobiſcum veſtri huic malo ſubiaceant, ſi nos & noſtros, in eadem maſſa concluditis, & iudicio veſtro, non niſi vtrobique deceptionis periculum; cur quæſo veſtra fallibilitas, præ aliorum fallibilitate audienda? ſi ubique fallibilitas, cur vna alteri meretur præferri? Catholici vrimur flammis, cædimur flagris, per lictores veſtros, quia in doctrinam fallibilem iurare nolumus: ſi omnes & errare poſſunt, & ſubinde errant, vt clamant veſtra principia, atque adeo vos veſtrique inter omnes, vultiſque vt noſtri ſimiliter errent ſubinde, poſſintque errare, quæſo quid emolumenti eſt in diſcrimine ſimili, ab erroneis tranſire ad erroneos, ab vmbris ad vmbras, niſi velitis lutum luto tergere? ſi nullum admittitis iudicem, qui lites noſtras certo, & infallibiliter componat, quid commouetis orbem terrarum, mouendo controuerſias in ea cauſa, in qua omnem iudicandi poteſtatem reſpuitis? quid nos ad veſtra prætoria vocatis in negotio quod decidi ſecundum veſtra principia non poteſt? niſi velitis dicere, chriſtianorum principales eſſe partes in Religionis cauſa, ſemper inſanire, furere, litigare, & nunquam ſapere, vel concordiam procurare. Cur quæſo ſic proceditis, iterum dico cur nos, in hac cauſa tribulatis? an quia leges veſtræ ſic iubent, ſic volunt: ſed ſic voluere olim gentiles, & Iudæi; ſic iubet, ſic vult hodie Turca. Sane ſi ad prudentiam veſtram appellamus, Sereniſſimi Principes & hanc ipſam velitis, in conſilium adhibere, nos in Religionis negotio ad veſtra tribunalia non poteſtis legitime citare, quibus ex reformationis dictamine deeſt authoritas, iudicij integritas, ſciendi facultas, ineſt deceptibilitas, & quantum ſcire poteſtis, forte deceptio & falſitas. Sed reponitis, habemus biblia clara, euidentia, ſufficientia, omnem veritatem continentia; ſed repoſuerunt hoc ipſum olim omnes hæretici: ſubſiſtite tamen hic, ſi clara, ſi euidentia, ſi ſufficientia ſunt biblia, ſuperfluunt Miniſtri & expoſitores veſtri: proſcribantur igitur è territorijs veſtris omnes veſtri prædicantes, eijciantur doctores, interpretes, tanquam inutilia terræ pondera: ſi biblia continent omnem veritatem, quæ ad ſalutem conducit, deleantur omnes veſtræ reformatæ confeſſiones, quæ nec vnum quidem articulum eorum, de quibus vobiſcum diſſidet Eccleſia Romana, continent: hæ ipſæ confeſſiones, ad reformationis trutinam expenſæ, corruunt ex ſumma Chriſtianæ doctrinæ: veſtri interim Miniſtri in auia, in deuia feruntur incerti, imo & ignari, quid credendum, vel quare. vultis vt miniſtris credatur, decernite primo, quid in cauſa Religionis Chriſtianæ determinate credendum: neque nos tentetis, de fidei noſtræ poſſeſſione deijcere, donec ſtatuatis ipſi, quid de fide tenendum; hoc veſtri nondum præſtiterunt, nec, vt auſim affirmare, in æternum præſtabunt. Exſtinguite ergo inteſtinum malum, diſſidium implacabile, quod inter vos ardet, de numero

& neceſſitate articulorum credendorum. quid interim nos vexatis? ſed ſcio quid auribus veſtris inſtillent miniſtri, vt ex bonis Eccleſiaſticis, olim per Religionis Romanæ profeſſores fundatis, ſuas vxores, liberoſque alant, quid inſuſurrent aularum veſtrarum adulatores, qui veſtra, & noſtra quærunt, non nos, aut vos, niſi vt perdant: quid ardeliones inquieti, obmurmurant, ſcilicet Catholicos eſſe inſidiatores, rebelles, ſuperſtitioſos, hoſtes Reipublicæ; ſed audite, hac arte, hac aſtutia, his conuicijs inſectabantur Chriſtum olim Hebræi, criminabantur chriſtianos excæcati Gentiles, Catholicos perfidi Ariani, Manichæi Donatiſtæ, Neſtoriani. Qua in re liceat reponere illud D. Hieronymi Apologia 3. ad Ruffinum, Iſtæ ſunt machinæ hæreticorum, vt de perfidia conuicti, ad maledicta ſe conferant. *Simile pro fidelibus aui ſui Tertullianus repoſuit: quid cauſam Religionis, trahunt veſtri, in inuidiam falſiſſimæ criminationis? vos igitur Sereniſsimi Principes, proceres ampliſsimi, ne ſuſurronibus eiuſmodi credite, neue ſalutem veſtram, eorum dictis ex profeſſo fallacibus committite: ne nos ad eorum calumnias torquete, qui bonam cauſam, ſecundum veſtræ reformationis principia, poſsidemus: iſta vt ſecunda parte huius operis videre eſt, ſecum licet pugnantia, candide fatentur, Eccleſiam Chriſti perpetuo viſibiliter extitiſſe, & extare, authoritate infallibili, in rebus fidei, perpetuo gaudere, eſſe ac ſemper fuiſſe vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, eius fidem primis quinque ſæculis fuiſſe intactam, eandem vigere hodie in Eccleſia Romana, vos ipſi videre poteritis, ſi per patrum monumenta velitis percurrere, ſi illorum temporum dogmata, cum noſtris conferre: ſi igitur coram veſtris tribunalibus nos ſiſtimus, per veſtram reformationem ab omni crimine in cauſa viciſsim controuerſa abſoluimur, nec leges veſtræ, ad veſtram nos reformationem compellere iure poſſunt, vos vt iniuſtitiam in hac eadem cauſa vitetis, æquitati conſulite; peruoluite vtramque huius libri partem, veſtraque ibidem principia expendite, & videbitis apud veſtram reformationem non regnare, niſi impoſturas & fumos, apud noſtram profeſsionem vigere antiquæ Religionis venerandam vetuſtatem, omniaque veræ Eccleſiæ inſignia, per ipſam reformationem admiſſa, & ita inuenietis, nos huc vſque fuiſſe iniuſte vexatos, voſque in vexando fuiſſe à veſtris deluſos, quod ſi feceritis, deluſionem veſtram facile diſcernetis, & ad vnius, Sanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ gremium redibitis, quod ego vobis etiam atque etiam exopto.*

AP-

APPROBATIONES ORDINIS.

EGo infraſcriptus ex commiſſione ſuperiorum legi primam partem Palinodiæ Religionis prætenſæ reformatæ, compoſitam à R. P. Franciſco Portero S. Theologiæ lectore, in qua prætentos reformatos ſuis ipſorum iaculis ferit, & inimica tela quæ in Eccleſiam Catholicam eiaculari moliuntur, in eoſdem retorquet, oſtenditque clare, & dilucide, male auſpicatam ab illis prætenſam reformationem, per eadem principia, quibus innititur, retractari, & in vaniſſimas nullitatis vmbras reſolui, opus proinde vti orthodoxæ fidei, & probis moribus nullatenus diſſonum, ita militantis Eccleſiæ Tironibus, & hæreticorum conuerſioni præſertim intentis perutile, ac publica luce digniſſimum cenſeo, ex Collegio S. Iſidori de Vrbe hac die 5. Maij 1678.

Fr. Bonauentura Comanus Lector iubilatus,
& Guardianus Collegij S. Iſidori.

SVperiorum iuſſu, opus inſcriptum Palinodia prætentæ reformatæ Religionis, à R.P.Fr.Franciſco Portero Ordinis Minorum S.Thelogię in Collegio S. Iſidori in Vrbe profeſſore elaboratum attente perlegi; in eoque nihil orthodoxæ fidei, vel probatis moribus aduerſū inueni: quinimo noſtri temporis hæreticos, qui ſibi reformatorum Eccleſiæ nomen, cum tamen nihil minus illis conueniat, paſſim arrogant, ex proprijs eorum principijs optime, & clariſſime conuictos deprehendi, ita quidem appoſite, vt ſagittæ paruulorum factæ ſint plagæ eorum: atque adeo omnibus Catholicis ac potiſſimum hæreticorum conuerſioni intentis, ipſiſque hæreticis orthodoxam veritatem ſcire cupientibus imprimis vtilem, ac proinde publica luce dignum cenſeo. Dabam Romæ ad S. Franciſcum trans Tyberim 13. Aprilis 1678.

Fr. Stephanus Lynceus de Galuia
S. Theol. Lector Generalis.

EGo infraſciptus Ord. Min. ſtrict. obſer. S. Theologiæ lector iubilatus, & Collegij Sancti Iſidori de Vrbe Guardianus, ex comiſſione Superioris Generalis, legi attente ſecundam partem Palinodiæ prætenſæ reformationis compoſitam à Patre Franciſco Por-

Portero Sacræ Theologiæ Lectore; & nihil in ea inueni ſanæ doctrinæ, vel probis moribus aduerſum, quin potius ita perpetuam Romanæ Eccleſiæ infallibilitatem, tum ex alijs principijs, tum ex heterodoxorum confeſſione probatam reperi, vt nullum eis excuſandi ſui ſciſmatis locum relinquat; quare luce publica digniſſimam cenſeo, in eodem Collegio hac die 12. Auguſti 1678.

Fr. Bonauentura Coman.

FRater Ioſephus Copons Ordinis Fratrum Minorum Regularis obſeruantiæ Lector Iubilatus, Prouinciæ Cataloniæ Pater, Sancti Officij Conſultor, & in Romana Curia Procurator Generalis, necnon Collegij Sancti Iſidori de Vrbe Fratrum Minorum Hibernorum eiuſdem inſtituti cum plenitudine poteſtatis ſuperior. Dilecto in Chriſto Patri, Patri Franciſco Portero eiuſdem inſtituti, ac Prouinciæ Hiberniæ & in dicto Collegio Sancti Iſidori de Vrbe S. Theologiæ Lectori ſalutem.

CVm opus à te elaboratum, cui titulus, *Palinodia Religionis prætenſæ reformatæ* &c. Theologi, quibus illius commiſſa eſt cenſura, recognouerint, typiſque dignum cenſuerint; Hinc præſentium tenore, cum merito ſalutaris obedientiæ, facultatem tibi impertimur, vt præfatum opus ad fidei defenſionem, fidelium inſtructionem, ac maius Eccleſiæ bonum prelo tradere poſſis; obſeruatis in reliquo obſeruandis, ac præſertim Sacri Concilij Tridentini, Apoſtolicarum, & Generalium noſtri ordinis Conſtitutionum, præſcriptis. Datum Romæ in Conuentu Ara-cælitano hac die 6. Maij 1678.

Fr. Ioſeph à Capons Proc. Gen. Ord.

EX commiſſione Reuerendiſſimi P. Fr. Raymundi Capiſucchi Magiſtri Sac. Pal. Apoſtolici, legi, perluſtraui que diligenter Primam Partem Palinodiæ Religionis prætenſæ reformatæ auctore R. P. Fr. Franciſco Portero Ord. Min. Theologiæ Profeſſore in Collegio S. Iſidori in Vrbe: cumque nihil fidei, bonisue moribus aduerſum repererim, ſed potius vtilem ad Hæterodoxos ex proprijs principijs refellendos laborem agnouerim, adeò vt quiuis ex Aduerſariorum ſecta fortiter ſuauiterque in antiquam Romanæ Eccleſiæ fidem deducatur, oſtenſis abſurdis, tenebriſque

quibus iuxta prætenſorum reformatorum dogmata animæ cunctorum opprimuntur; typis illum ac luce publica digniſſimum cenſeo. Romæ in Collegio de Propaganda Fide 10. Iulij 1678.

Ioannes Paſtritius Philoſ. ac S. Theol. Doctor, & Sacræ Theol. Polemicæ in eodem Colleio Lector.

EX commiſſione Reuerendiſſimi P. Fr. Raymundi Capiſucchi Mag. Sac. Pal. Apoſt. legi Partem ſecundam Palinodiæ prætenſæ reformationis, auctore P. Franciſco Portero Sac. Theol. Lectore, agnouique eamdem laudis materiem, quam in priori Parte perſpexeram, niſi quod ibi deſtruat machinam aduerſariam veræ religionis, hic veram Eccleſiam, vt ita dicam, ædificet ex ijſdem hoſtium principijs. Ideoque typis dignam hanc quoque Partem cenſeo, cum nil contra bonos mores, nil contra fidem aſſerat, imo & illis, & huic opem ferat. Romæ ex Collegio Vrbano de Propag. Fide 31. Auguſti 1678.

Ioannes Paſtritius Philoſ. ac S. Theol. Doctor, ac Polemicæ Theol. in eodem Collegio Lector.

Imprimatur:

Si videbitur Reuerendiſsimo P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbini Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capiſucchus Ordinis Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Mag.

INDEX TITVLORVM

Omnium vtriuſque partis huius operis.

PARS PRIMA.

Prolegomena in vtramque partem.

DISTINCTIO PRIMA.

NVllus viſibilis Religionis præ-tenſæ reformatæ cœtus, iuxta eiuſdē reformationis principia ab humano genere, pro vera Chriſti Eccleſia poteſt agnoſci. pag. 3.

Sect.I. *Quomodo ex principijs præ-tenſæ reformationis euincatur, eam carere omni titulo veræ Eccleſiæ.* ibidem.

Art. I. *Nulla hominum congregatio in materia religionis chriſtianæ eſt audiēda, etiam ſecundum prætentos reformatos, niſi certis, ac maniſeſtis ſignis, conſtet eā eſſe veram Chriſti Eccleſiam.* pag 4.

Art. II. *Prætenti reformati ex ſuis principijs fateantur, neceſſe eſt, verā Chriſti Eccleſiā apud ipſos inueniri non poſſe.* pag. 7.

Art. III. *Reformati, inuiſibilem ſuam Eccleſiam, coacti ſtatuere viſibilem, eam adhuc per notas, quas illi affigunt, reddunt irreperibilem, & inacceſſibilem.* p 10.

Art. IV. *Prætentio, qua Reformata Religio, vult haberi vera Eccleſia, deſtruitur, per illas ipſas notas, quas aſſignat.* pag. 15.

Sect. II. *Quomodo ex initio, & progreſſu reformationis euincatur, eam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam.* pag. 18.

Art. I. *Primos Religionis reformatæ inſtitutores, & profeſſores, non fuiſſe doctores veritatis, ſed Inſtrumenta perditionis, fatetur ipſa prætenta reformatio.* ibidem.

Art. II. *Prætenta reformatio ex proprijs principijs fatetur, ſe ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe ſynagogam Satanæ.* pag. 22.

Art. III. *Prætenti reformati laudabili tandem palinodia, negant*

ſuam

ſuam reformationem eſſe veram aut viſibilem Chriſti Eccleſiam. pag. 27.

DISTINCTIO SECVNDA.

PRætenti reformati, ex ſuis principijs, agnoſcunt, ſe in rebus religionis chriſtianæ docendis, omni prorſus authoritate carere. pag. 30.

Sect. I. *Quomodo reformatio negans omnem Eccleſiæ iuriſdictionem vertit in ſe ſua molimina.* ibid.

Art. I. *Nullus in negotio æternæ ſalutis eſt audiendus, etiam ſecundum ipſos reformatos, qui legitima docendi authoritate non pollet.* pag. 31.

Art. II. *Tota moles prætenſæ reformationis nititur hoc potiſſimũ fundamento, nullam extra ſacram ſcripturam, in hoc orbe, extare docendi, vel iudicandi authoritatem, in cauſa Religionis chriſtianæ.* pag. 33.

Art. III. *Vti prætenti reformati, præter ſcripturam, negant omnem controuerſiarum iudicem, ita ex eodem principio, neceſſe eſt, vt negant apud ſe eſſe, vel vnquam fuiſſe, vllam reformandi authoritatem.* pag. 35

Art. IV. *Reformati ex proprijs principijs, non plus iuris habuere, vel habent pro ſua reformatione, quam habuerunt pro ſuo ſchiſmate, Core, Dathan, & Abyron.* pag. 41.

Sect. II. *In quantam vertiginem deuoluatur reformatio.* pag. 45.

Art. I. *Tota reformatorum iuriſdictio, in cauſa ſuæ reformationis ſecundum eorum principia, ſubditur cuiuſuis de plebe particulari iudicio.* ibidem.

Art. II. *Ex prætenſæ reformationis principijs, garrula quæuis muliercula, ſupremam habet authoritatem iudicandi, omnium reformatorum, in cauſa fidei, vel reformationis dicta, decreta, ſententias.* pag. 48.

Art. III. *Tota tandem reformatorum iuriſdictio in cauſa Religionis reformatæ, deſinit in ludricam hiſtrionum ſcenam, & fanaticorum delirium.* pag. 53.

DISTINCTIO TERTIA.

VTi prætenti reformati, ex dictis huc vſque, non ſunt vllatenus legitimi paſtores, vel doctores; ita etiam ex proprijs principijs, in negotio Religionis chriſtianæ, ſunt fallaciſſimi impoſtores. pag. 58.

Sect. I. *Perpetua Eccleſiæ infallibilitas, per reformatos negata, probat ipſam reformationem eſſe fallacem illuſionem.* ibid.

Art. I. *Eccleſia prætenſa reformata, ex proprijs principijs, & primæuo inſtituto, impoſturis, & abominationibus ſcatet.* p. 59.

Art. II. *Secundum eadem reformationis principia, ſimili periculo præſtatur fides in negotio religio-*

gionis, prætentis reformatis, ac præſtabatur olim prophetis Baal, vel hodie Rabbinis Iudæorum. pag. 64.

Art. III. Reformati ex proprÿs principÿs, in cauſa fidei defi nienda, vel docenda, antichriſtianam arrogantiam exercent. pag. 68.

Sect. II. A quo & qualis ſit doctrina prætenſæ reformationis. p. 73.

Art. I. Reformati ex ſuis principÿs fatentur incertum eſſe, an quod docent in negotio Religionis, ſit à ſpiritu veritatis, an à ſpiritu mendacÿ. ibidem.

Art. II. Scrutinium ſcripturarum, à reformatis pro ſua reformatione allegatum, adhuc iuxta eorum principia relinquit incertum, an reformata illorum doctrina ſit à Deo verace, an autem à diabolo mendace. pag. 77.

DISTINCTIO QVARTA.

REformati ſub doloſa ſcripturarum, & particularis ſcrutinÿ larua, etiam ſecundum propria principia fateantur neceſſe eſt ſuam reformationem eſſe perditionis laqueum. pag 83.

Sect. I. Quomodo per biblia omnibus conceſſa, viam ſalutis obſtruant reformati. ibidem.

Art. I. Libertas ſcrutinÿ ſcripturarum, à reformatis introducta, conuincit apud eoſdem, nullum exſtare medium perueniendi ad agnitionem veritatis chriſtianæ. pag. 84.

Art. II. Biblia vulgaria reformatorum ſecundum ipſos reformatos, ſunt potius inſtrumenta ſeductionis, quam fundamenta veræ religionis. pag. 89.

Art. III. Nulla verſio vulgaris, facta à reformatis ſecundum ipſos reformatos eſt ſcriptura Canonica. pag. 93.

Sect. II. Quales ſint effectus, vel fructus ſcrutinÿ bibliſtici. p. 96.

Art. I. Reformati per ſcrutinium bibliſticum, cuilibet conceſſum, & per propria principia fouent omnes hereſes, & blaſphemias contra fidem chriſtianam. ibid.

Art. II. Per eandem libertatem ſcrutinÿ bibliſtici, Religio reformata, præcipitat ſuos ſequaces, in deſperationem inueniendi vnquam ſalutis æternæ doctrinam. pag. 100.

Art. III. Ex libertate ſcrutinÿ priuati, & reformationis principÿs, reformati manifeſtam exercent tyrannidem mouendi controuerſias, in ea cauſa, in qua nullum iudicem agnoſunt. pag. 103.

Art. IV. Stante eadem ſcrutinÿ priuati libertate, etiam ſecundum reformationis principia miniſtri ſunt intolerabiles vſurpatores, quod vllo modo doceant, vel prædicent, debentque ſecundum reformatorum leges, è rebus publicis tanquam inutilia membra, eÿci. pag. 108.

Sect. III. Quam fidem mereantur doctores, & miniſtri reformati. pag. 112.

Art. I. *Ex modo, quo reformati explicant ſuam fallibilem authoritatem coniunctam cum ſcriptura infallibili, ſequitur non magis eis credendum, in negotio fidei, quam Iudæis, Arianis, vel ipſius Dæmonis ſuggeſtionibus.* ibid.

Art. II. *Ex eiſdem reformationis principiis, tenentur reformati, ſi damnationem vitare cupiunt, veritatem chriſtianam inquirere, & in tali inquiſitione, ſuis miniſtris nullo modo fidere.* p. 119.

Art. III. *Populus reformatus tenetur cauere à ſuis Miniſtris, tanquam ab illis, qui ſecundum expreſſa reformationis principia ſunt manifeſti animarum ſeductores, & latrones.* pag. 123.

DISTINCTIO QVINTA.

P*Rætenta reformatio, ex ſuis propriis principiis, ita ignorat, quid ſit de Chriſtiana Religione credendum, vel quare, vt fateatur nihil tandem de tota ſua reformatione eſſe credendum.* pag. 128.

Sect. I. *Quanta titubatio reformationis, circa numerum & neceſſitatem dogmatum credendorum.* pag. 129.

Art. I. *Reformati in ſuis principiis fatentur ſe neſcire, qui ſint articuli neceſſarij, qui non.* ibid.

Art. II. *Prætenta reformatio aſſerens ſe, quoad puncta neceſſaria fidei in hoc differre à Romana Eccleſia, quod nolit eiuſdem Eccleſiæ articulos recipere, ſub prætextu quod non legantur euidenter, vel expreſſe in bibliis, iterum conuincitur fateri, ſe adhuc neſcire, quid ſit determinate credendum vel quare* p. 133

Art. III. *Religio reformata ex propriis principiis dubitat, an vllus articulus eiuſdem reformationis, ſit neceſſarius ad ſalutem.* p. 136.

Sect. II. *Quomodo confeſſiones reformatæ declarent, ſe non continere dogmata ſalutis.* pag. 140.

Art. I. *Confeſſio Anglica, Scotica, Gallica, Belgica agnoſcunt ſuos articulos, non eſſe dogmata Chriſtianæ Religionis.* pag. 141.

Art. II. *Auguſtana, & VVittenbergica ſeipſas excludunt à ratione doctrinæ neceſſariæ.* p. 146.

Art. III. *Cæterarum confeſſionum articulos, nullo modo ſpectare ad Chriſtianam Religionem, fatetur vnanimis earundem conſenſus.* pag. 150.

Art. IV. *Reformati fatentur nihil tandem de tota reformatione credendum.* pag. 154.

Sect. vltima. *An poſſit reformatio, quemquam ad ſui ſequelam obligare, & quo tendat.* pag. 160.

Art. I. *Leges politicæ, citra notam tyrannidis, non poſſunt quemquam ad reformationem obligare, cum id ſit contra expreſſa reformationis principia.* ibid.

Art. II. & vltimus. *Quæcumque leges, aut principia ſuadent, vel cogunt inſiſtere prætenſæ reformationi, euertunt ipſam reformatio-*

ne.

ne, ſuadent, coguntque recedere à Chriſto. pag. 165.

PARS SECVNDA.

DISTINTIO PRIMA.

SEcundum expreſſa tum Romanorum catholicorum, tum prætentorum reformatorum principia, extitit ſemper cætus viſibilis verorum fidelium à morte Chriſti. pag. 176.

Art. I. *Perpetuam veræ Eccleſiæ viſibilitatem cum catholicis aſſerunt reformati.* pag. 177.

Art. II. *Cætum fidelium debuiſſe ſemper eſſe viſibilem, & omnibus conſpicuum, probatur ex fine Religionis Chriſtianæ.* p. 180.

Art. III. *Viſibilem fidelium cætum perpetuo durantem conſtari ex malis, & bonis, cum catholicis, fatentur prætenſi reformati.* pag. 1 4

Art. IV. *Quomodo cum ſenſibili veræ Eccleſiæ exiſtentia, ſtet articulus ille ſymboli,* Credo ſanctam Eccleſiam catholicam. pag. 189.

DISTINCTIO SECVNDA.

IN cætu fidelium, datur authoritas, quæ inſtar regulæ, doctrinam ſalutis proponat, quamque fideles & credituri, in credendo ſequantur. pag. 193.

Sect. I. *De natura & exiſtentia regulæ credendi, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritate.* pag. 194.

Art. I. *Quid eſt authoritas Eccleſiæ proponentis, ſeu regula credendi adæquata, reſpectu omniū, & in quibus principijs conueniāt, diſcrepentque Romano catholici, & reformati.* ibid.

Art. II. *Dari publicam authoritatem, quæ tanquam regula animata doctrinam ſalutis humano generi authentice proponat, cum Romano catholicis fatentur prætenſæ reformationis principia.* pag. 199.

Art. III. *Neceſſitas regulæ fidei, authentice proponentis, & exponentis articulos credendos, probatur tum ex obſcuritate myſteriorum, tum ex incapacitate rationis ad aſſequendam per ſe doctrinam ſalutis.* pag. 203.

Art. IV. *Ex neceſſitate chriſtianæ religionis, & generalitate vocationis omnium ad ſalutem, probatur vlterius neceſſitas regulæ authentice, & ſenſibiliter, tandem Religionem proponentis, ne alias incidatur in Academiſmum.* pag. 208.

Sect. II. *Quomodo regula credendi applicetur ad vſum.* p. 212.

Art. I. *Quomodo mediante regula credendi, ſeu Eccleſiæ docentis, & proponentis authoritate, concipiatur fides, ſeu ad eam peruenjatur.* pag. 214.

Art. II. *Qualiter modus concipiendi fidem adhibetur in praxi.* pag. 218.

Art. III. *Quomodo ſenſibilis pro-*

poſitio doctrinæ reuelatæ, per regulam credendi authentice facta ſtet cum obſcuritate myſterij propoſiti, & libertate credendi. pag. 222.

DISTINCTIO TERTIA.

De perpetua regulæ credendi, ſeu Eccleſiæ proponentis infallibilitate. pag. 225.

Sect. I. *Quid & quotuplex ſit certitudo, & infallibilitas.* p. 226.

Art. I. *De natura, & proprietatibus certitudinis.* ibid.

Art. II. *Quid ſit infallibilitas Eccleſiæ, quotuplex, proponens res fidei, & quomodo in hoc puncto conueniant diſcrepentque catholici, & reformati.* pag. 231.

Sect. II. *Perpetuam infallibilitatem regulæ fidei, ſeu Eccleſiæ proponentis, agnoſcunt confeſſiones Religionis prætentæ reformatæ.* pag. 235.

Art. I. *Ex VVittembergica, heluetica vtriuſque, & Auguſtanæ confeſſionis articulis, probatur perpetua & infallibilis Eccleſiæ proponentis authoritas.* p. 236.

Art. II. *Eandem Eccleſiæ proponentis & docentis infallibilitatem, agnoſcit confeſſio Baſileenſis, Argentinenſis, Saxonica, Bohemica, Palatina.* pag. 242.

Art. III. *Eandem Eccleſiæ docentis infallibilitatem, fatentur Belgicæ, Gallicæ, Scoticæ, Anglicæ reformationis principia.* p. 246.

Sect. II. *Perpetua Eccleſiæ proponentis infallibilitas, probatur ex generalibus Religionis Chriſtianæ principijs.* pag. 350.

Art. I. *Gemina illa, tot ſeculis agitata quæſtio, quænam ſit doctrina reuelata, & quomodo intelligenda, oſtendit neceſſario admittendam eſſe, infallibilem fidei regulam, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritatem.* pag. 251.

Art. II. *Negata Eccleſiæ proponentis infallibilitate, inciditur in multitudinem religionum, & inde in nullam, ac tandem in Atheiſmum.* pag. 254.

Art. III. *Eadem Eccleſiæ infallibilitas probatur ex obligatione, & proprietatibus Chriſtianæ Religionis.* pag. 258.

Sect. III. *Perpetua Eccleſiæ infallibilitas probatur ex alijs principijs vltrò citroq; admiſſis.* p. 263.

Art. I. *Ex authoritate perpetua damnandi hæreſes, & neceſſitate eas vitandi, mutuo catholicorum, & reformatorum conſenſu admiſſa, infertur abſoluta neceſſitas perpetuæ infallibilitatis Eccleſiæ.* ibidem.

Art. II. *Probatur eadem Eccleſiæ infallibilitas, ex neceſſitate credendi ſymbolum.* pag. 268.

Art. III. *Eadem Eccleſiæ infallibilitas probatur ex neceſſitate obſeruandi præcepta, & rite adminiſtrandi, ac ſuſcipiendi Sacramenta.* pag. 271.

Sect. IV. *Quatuor vulgares notæ ab omnibus chriſtianis communiter admiſſæ, nempe* vna, ſancta, catho-

catholica, & Apoſtolica, *probant ſimiliter Eccleſiæ viſibilis infallibilitatem* pag. 275.
Art. I. *Non poteſt Eccleſia Chriſti eſſe vna niſi detur in ea infallibilis authoritas, quæ dirigat, & conſeruet eamdem vnitatem.* ibidem.
Art. II. *Probatur Eccleſiæ infallibilitas, ex hoc etiam capite, quod debeat eſſe ſancta.* pag. 280.
Art. III. *Eccleſiam eſſe catholicam, & Apoſtolicam, eſt eam ſimiliter eſſe perpetuo infallibilem.* pag. 283.
Sect. V. *De prærogatiuis, & beneficijs huius infallibilis authoritatis, ſeu regulæ proponentis.* pag. 288.
Art. I. *In quibus reſideat hæc infallibilis authoritas.* ibid
Art. II. *Quam expediens, quam vtilis ad ſalutem humani generis ſit, hæc credendi regula.* pag. 292.
Art. III. *Ad quid ſe extendat, & quibus limitibus contineatur authoritas tam Eccleſiæ proponentis, quam iudicium ouium eidem obedientium, & in quo vtrumq; differat, ſub infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia* pag. 295.
Art. IV. *Quomodo perueniri poſſit ad Eccleſiam, & fidei reſolutionem.* pag. 299
Quomodo ex his fieri poſſit reſolutio fidei. pag. 301.
Sect. vltima. *Quænam ſit tandem illa vera, & viſibilis Eccleſia, cuius authoritas ſit regula, & norma credendi.* pag 304.
Subſect. I. *Excluduntur aliæ omnes ſectæ à ratione veræ Eccleſiæ.* ibid.
Art. I. *Percurrendo breuiter cæteras religiones, oſtenditur eas, non pertinere ad Chriſti Eccleſiam.* ibidem.
Art. II. *Ex alijs capitibus oſtenditur prætentam reformationem, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam.* pag. 308.
Subſect. II. *Ex hactenus dictis, & aperta reformatorum ac omnium pene chriſtianorum confeſsione, ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia.* pag. 311.
Art. I. *Ex notis veræ Eccleſiæ vltro citroque admiſsis oſtenditur ſolam Romanam eſſe verã Chriſti Eccleſiam.* ibidem.
Art. II. *Ex appellationibus Eccleſiarum totius orbis Chriſtiani, ad Romanam ſedem, oſtenditur Romanam ipſam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam.* pag. 315.

DISTINCTIO QVARTA ET VLTIMA.

EX *principijs vltro citroque admiſſis oſtenditur eandem eſſe fidem Romanæ Eccleſiæ in articulis controuerſis, hodie ſub* INNOCENTIO VNDECIMO, *quæ fuit olim ſub diuo Petro, & inde ſub* S. INNOCENTIO PRIMO. pag. 320.
Apologia ipſorum reformatorum pro authoritate, & doctrina integri-

tegritate patrum primitiuæ Eccleſiæ, qui S. INNOCENTIO I. coextiterunt, & de medio probandi inde ſumendo. pag.

Sect.I. *Fides Romanæ Eccleſiæ ſub INNOCENTIO XI. de reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, eſt illa ipſa quæ fuit ſub diuo Petro & inde ſub INNOCENTIO I.* pag. 324.

Subſect. I. *Scriptura legitimè per patres primitiuæ Eccleſiæ expoſita, oſtendit realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus rite conſecratis.* p. 325.

Art.I. *Probatur realis præſentia ex verbis inſtitutionis, refutando modi loquendi Lutheranorũ eandem præſentiam ſimul cum pane aſſerentium.* ibidem.

Art.II. *Quod hodie credit, & profitetur Eccleſia Romana, de reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia id ipſũ profeſſa eſt primitiua Eccleſia tẽporibus S. Innocentij I.* pag. 329.

Art.III. *Perpetua Eccleſiæ Græcæ à primitiuis temporibus ad hodiernum vſque diem de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia conſenſio.* pag. 334.

Subſect.II. *Ex Religionis reformatæ principijs ſecum ipſis pugnantibus conuincitur realis præſentia Corporis & ſãguinis Chriſti, ſub ſpeciebus conſecratis* p. 337.

Art. I. *Realem præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis admittunt confeſſio Auguſtana, VVittenbergica, Saxonica, Argentinenſis.* pag. 338.

Art. II. *Eandem realem præſentiã Chriſti in Euchariſtia admittunt cæteræ confeſſiones reformationis Germanicæ.* pag. 341.

Art. III. *Tam Caluiniſtarum de manducatione Euchariſtiæ per fidem ſententia, quam ſecum ipſa pugnans Caluini confeſſio, probant realem Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus conſecratis.* p. 350.

Art. IV. *Ex Caluiniſticæ reformationis principijs oſtenditur, Caluiniſtas debere aperte fateri, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia.* pag. 350.

Art. V. *Soluuntur contrariæ difficultates.* pag. 354.

Sect. II. *Idem profitetur hodie Eccleſia Romana in omnibus alijs articulis controuerſis, ſub Innocentio XI., quod olim profitebatur primitiua Eccleſia ſub Innocentio I., atq; adeo tenentur reformati ad eandem redire.* p. 357.

Art. I. *Recenſentur ex Tridentina ſynodo articuli controuerſi, & oſtenditur eſſe illos eoſdem, quos primitiua Eccleſia credidit.* 358.

Art.II. *Oſtenditur reliquos articulos controuerſos, à Tridentina ſynodo declaratos, eſſe ſimiliter dogmata primitiuæ Eccleſiæ* 364.

Art. vlt. *Ex hactenus dictis, & proprijs prætenſæ reformationis principijs, reformati, ſub damnatione, tenentur redire ad Romanã Eccleſiam, & eandem hodie præſtare obedientiam Innocentio XI. quam præſtitit olim Eccleſia S. Innocentio I.* pag. 368.

PRO-

PROLEGOMENA

IN VTRAMQVE OPERIS PARTEM

SECTIO PRIMA.

Statuuntur canones orthodoxi à Chriſtianis vltro citroque admiſſi.

CAnon I. Chriſtus Dominus verus Deus, & verus homo, eſt ſupremus legiſlator humani generis, Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*. Ioan. 5. *omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*; & cap. 17. *ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*. ad Coloſſ. 2. *qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*. Vnde ſequitur eum eſſe Dominum omnium omnino hominum, Regum, Principum, populorum.

Canon II. Chriſtus legifer, & legiſlator noſter dedit mundo legem nouam diuinam, quam euangelicam vocant, multis præceptis conſtantem, patet Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis*. Ex quibus patet Apoſtolos iuſſos fuiſſe docere mandata legis nouæ, vt conſtat act. 10. *& præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum*. item Marci 16. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: hanc legiſlatiuam Chriſti poteſtatem vaticinatus eſt Iſaias cap. 33. *Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter ipſe ſaluabit nos*; ex quibus habemus datam eſſe legem nouam à Chriſto, & ſicut ipſe eſt noſter Dominus, ita nos illius ſerui, ſeruus autem tenetur legibus Domini ſui.

Canon III. Iſta noua ac diuina lex, eſt maxime neceſſaria humano generi, patet hæc neceſſitas primo, vt dirigat hominem ad finem ſupernaturalem: ſecundo, vt iuuet hominem in naturalibus, ne erret. 3. vt poſſit præcipere, & ordinare actus interiores, quarto vt omne malum prohibeat, quod lex humana non poteſt: hinc dicitur Pſalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis*: hanc ſapientiam confert dirigendo ad vitam, conuertit animas ordinando

actus

actus interiores; eſt teſtimonium fidele, iſta lex: quia nullis ſubeſt erroribus, eſt immaculata, quia prohibet omne malum.

Canon. IV. Chriſtiani omnes adulti, ex vi Baptiſmi, ſub reatu damnationis æternæ, tenentur ad omnia ſpecialia Euangelij præcepta. patet Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum Cœlorum*: facere autem voluntatem Patris, eſt obſeruare præcepta Chriſti, iuxta illud Matth. 17. *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*: ſi autem qui hæc non obſeruat, non intrabit in regnum Cœlorum, ſupereſt equidem, vt intret in gehennam: item Matth. 5. *niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum*: & hoc ſæpius in mādatis ſuis repetit Chriſtus; *reus erit gehennæ ignis. Non habebitis vitam in vobis.* Quæ minæ oſtendūt præcepta Chriſti, obligare ſub reatu damnationis æternę.

Canon V. Hæc euangelica præcepta, in triplici ſunt differentia. Alia enim obligant Chriſtianum in ordine ad Deum, alia in ordine ad proximum, alia in ordine ad ſe ipſum. Præcepta in ordine ad Deum tripliciter ſe habent, alia enim concernunt virtutes theologicas fidem, ſpem, & charitatem, alia ſacramentorum miniſterium, vel vſum; alia denique virtutem Religionis, & Dei cultum: præceptum fidei habetur Marci 16. *Qui non crediderit condemnabitur*: hoc infert confeſſionem tam internam, quam externam, cum opus fuerit, iuxta illud ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: de ſpe habetur 1. Petri 1. de charitate habetur Matth. 22. Marci 14. Lucæ 22. quoad ſe ipſum præcipitur humilitas, patientia, recta intentio cordis puritas, & alia.

Canon VI. Omnes leges diuinæ obligant ex natura ſua: patet, quia ſiue præceptum, ſiue prohibitionem contineant, regulam aliquam primæ veritatis, cum obligatione includunt, omnis autem obliquitas, quatenus à prima veritate recedit, in materia præcepti, eſt peccatum, cum ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, vel vt alij, eſt voluntarius, & imputabilis receſſus à lege, principia autem veritatis per modum præcepti ſub obligatione indicta, legem faciunt diuinam, vel æternam; omnis autem lex diuina, ex natura ſua, ordinat hominem ad beatitudinem æternam, cum obligatione ad ſui ſequelam, omnis autem voluntarius receſſus ab eo, ad quod à Deo obligati ſumus, peccatum eſt, & inobedientia.

Canon

Canon VII. Nullus hominum de facto, poteſtatem habet derogandi iuri diuino naturali, vel poſitiuo; ratio eſt, quia huius iuris legiſlator eſt Deus: ſed non poteſt homo mutare, vel abrogare legem, quam Deus tulit, quia inferior non poteſt præualere contra ſuperiorem, item hoc ius eſt fundamentum iuris humani, ergo non poteſt hoc ius, iuri diuino derogare, ne deſtruat ſuum fundamentum: præterea ſi poſſet ei derogare poſſet aliquid contra illud ſtatuere, ſed quidquid eſt contra ius naturale, eſt intrinſece malum, vnde non datur præſumptio valida, aut licita contra ius naturale, vel diuinum: rurſus inferior, vt ſupra dictum eſt, non poteſt abrogare legem ſuperioris: ſed omnis humana poteſtas, eſt inferior Deo, ergo nulla poteſtas humana poteſt abrogare legem diuinam.

Canon VIII. Omnes fideles adulti, iure diuino, tenentur præcipua fidei diuinæ myſteria, & ea, quæ ſpectant ad ſalutem, ſcire: ratio eſt, quia tenentur obſeruare decalogum, & ſpecialia Euangelij præcepta, hæc autem obſeruare non poſſunt, niſi illa cognoſcant, ergo ea ſcire tenentur: hinc in talibus, non poteſt dari ignorantia inculpabilis primorum principiorum vniuerſalium legis naturæ, nam quæ per ſe nota ſunt, ex natura ſua debent ab omnibus cognoſci, ſuntque ita naturæ inſita, vt intellectus ea, non poſſit non noſſe, niſi contra naturam ex imperio voluntatis, malitioſe obſtrepat: tenentur item fideles ſcire, neminem ſaluari poſſe, ſine fide in Chriſtum: quia ex act. 4. *non eſt in aliquo alio ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*. Vnde tenentur ad explicitam fidem Chriſti, quia talis eſt obligatio fidei, & notitiæ neceſſariorum ad ſalutem, qualis eſt reuelatio, vel manifeſtatio, à qua huiuſmodi notitia, vel fides dependet; igitur vbi eſt reuelatio, vel manifeſtatio explicita, ibi eſt obligatio explicita credendi, & ſciendi neceſſaria ad ſalutem: hinc Chriſtianus adultus, qui non habet hanc explicitam fidem, & notitiam neceſſariorum ad ſalutem, damnabitur, ſi in tali culpabili ignorantia moriatur, ob defectum mediorum.

Canon IX. Obduratio, & excæcatio, ex permiſſione diuina in homine Chriſtiano genita, non efficit ignorantiam inuincibilem, ratio eſt: quia obduratio, & excæcatio procedunt, vel ex malitia formali excæcati, vel ex cauſa prius data, vel ex culpa, propter quam pęna hæc iuſtiſſime à Deo permittitur. hinc arguit gentiles Apoſtolus, in Epiſt. ad Rom. quod ex ſua malitia tra-

diti fuerint in reprobum ſenſum: ignorantia autem inuincibilis excuſat, quia eſt cauſa inuoluntarij.

Canon X. Omnes Chriſtiani adulti, tenentur adhibere diligentiam, ad ſuperandam ignorantiam fidei chriſtianæ, & neceſſariorum ad ſalutem: patet ex Auguſtino lib. 1. de lib. arbit. cap. 19. *Non tibi imputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras*: ratio eſt, quia ignorantia neceſſariorum ad ſalutem, eſt peccatum omiſſionis, contra præceptum affirmatiuum ſciendi, quod exprimitur in illo ad Hebræos 11. *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit*: ſed ex Canone octauo, tenentur omnes chriſtiani adulti, ſcire præcipua Religionis chriſtianæ myſteria, atque adeo tenentur adhibere diligentiam, ad ſuperandam ignorantiam eorundem myſteriorum: patet rurſus ex Canone 4. quod ſpecialia Euangelij præcepta obligent chriſtianos adultos, ſub damnatione æterna, hæc autem obligatio requirit notitiam, notitia requirit remotionem ignorantiæ, ergo hæc obligatio, ſub eadem pœna, qua exigit notitiam neceſſariorum, requirit ſimiliter diligentiam, ad ſuperandam ignorantiam, in qua iſta omnia reperiuntur, primo voluntas directa, aut indirecta negligentiæ, ipſa negligentia, & omiſſio exterior inquirendi, & in hac omiſſione peccatum ignorantiæ conſummatur, eſt inſuper ignorantia habitualis, quæ eſt effectus peccati, vt mors eſt effectus occiſionis.

Canon XI. Sequitur ex dictis, vt lex diuina obliget, certis niti debet teſtimonijs, & proponi ab eo, qui legitimam proponendi habet authoritatem: patet prima pars: nam quia lex diuina indiſpenſabiliter obligat, debet conſtare diuinam potius eſſe, & non humanam, aut humanum commentum, fictum ab homine; vt ergo ſciat quis ſe obligatum eſſe ad talem legem, debet certus eſſe, iſtam legem à Deo latam eſſe, id autem pro hoc ſtatu, ordinarie loquendo, ſciri non poteſt, niſi certa adſint teſtimonia, quibus id conſtet. patet vlterius: nam legem diuinam certa fide tenere debemus, velut à Deo reuelatam; ſed quidquid certa fide tenetur, certis niti debet teſtimonijs: ſecunda item pars patet, quia nulla lex non promulgata, non propoſita obligat, iuxta illud Chriſti Ioan. 15. *ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*. Ille etiam, à quo lex proponitur, legitima authoritate pollere debet, *quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur?*

Canon XII. Sequitur rurſus ex dictis, neceſſariam eſſe in hoc orbe, certam indubitatamque, ac errori minime obnoxiam au-

thori

thoritatem proponendi, declarandi, ac definiendi res fidei: tenemur enim certa, ac diuina fide credere, myſteria Chriſtianæ Religionis, certa autem fide credere non poſſumus, niſi prædicta adſit authoritas, quippe certo diſcernere non poſſumus ea, quę nobis ſunt credenda, ab ijs, quæ credenda non ſunt, niſi aliquis, qui aut falli, aut fallere nequeat, nos doceat: nec enim Deus nobis immediate loquitur, nec ſpiritus priuati ductu vnum ab alio certo diſtinguimus: ſed vt certa fide credamus, credenda, à non credendis, certo diſcernere debemus, quæ niſi certo diſcernamus, dubij reſtamus, & incerti eorum, quæ nobis credenda ſunt, ſedſi in his incerti ſumus, ſane certa fide, illa non credimus, cum neſciamus, an ſint certo credenda, nec eſt quod recurratur hic, ad nudam ſcripturam, nam adhuc, neceſſaria eſt legitima authoritas, quæ ipſam ſcripturam nobis proponat, & veram à ſpuria diſtinguat, veramque ſcripturæ verſionem, & verum ſenſum doceat, quæ item veram ſummam credendorum, & obſeruandorum determinet, alias in duplici illa quæſtione, erimus ſemper incerti, nempe *quid determinate credendum, & quare?* prima quærit, quos determinatos articulos, ex verbo Dei depromptos, debeamus credere? altera quærit, cur hos, & non alios, & vnde conſtat hos, & non alios credendos?

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur capita litis, & altercationum inter Chriſtianos.

PRæmitto ſequentem hyppotheſim, nempe quod communi Religionis lumine, conuincamur de his veritatibus, primo quod Deus velit omnes homines, tam doctos, quam rudes, ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ſecundo quod, nullam aliam ſalutis viam hominibus offerat, quam viam veræ Religionis: tertio quod hæc ſalutis via, non ſolum debeat eſſe poſſibilis, ſed etiam facilis. Quarto quod nulla ſit difficilior, periculoſior, & minus proportionata hominum captui, quam via particularis examinis omnium dogmatum, quare perplexitas, incertitudo, & intolerabilis labor, huius priuati ſcrutinij, oſtendit neceſſitatem publicæ, ac certæ authoritatis, *qua*, vt inquit Auguſtinus, *velut gradu certo innitentes attollamur in Deum*. Hinc naſcitur

ſcitur generalis illa quæſtio, An in hoc orbe exiſtat vllus vnus Chriſtianus, vel viſibilis aliquis, ac determinatus chriſtianorum coetus, qui eam habeat docendi authoritatem, cui cæteri omnes chriſtiani, inconſulta ſcriptura, teneantur in fidei materia credere.

Iſta quæſtio vertitur ad prætentos reformatos; quorum nomine intelligo, omnes Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, Proteſtantes, Anabaptiſtas, Gommorriſtas, Arminianos, Tremulos &c. qui prætendunt totam viſibilem Chriſti Eccleſiam, à multis ſæculis defeciſſe, & erraſſe in fide, atque adeo ex ea euanuiſſe omnem docendi authoritatem: ita vt ſub hoc prætextu, nouam nobis glorientur introduxiſſe reformationem: vnde ex præfata illa quæſtione, naſcuntur ſequentes, quæ prætentæ iſtius reformationis naturam, & progreſſum reſpiciunt; hinc oritur.

Quæſtio prima, an prætenti reformati admittant exſtare vel extitiſſe ſemper, cætum vllum chriſtianorum, ijs ſenſibilibus, ac externis notis affectum, quæ eundem cætum, in ratione veræ Chriſti Eccleſiæ, digito demonſtrent humano generi, eumque diſtinguant, ſub notione veræ Eccleſiæ, ab omnibus alijs ſectis, quæ eſſe, & haberi volunt vera Eccleſia.

Ratio dubitandi eſt: nam ſi coetus præfatus, non habeat ſigna illa externa, nullus erit modus humanus, eum internoſcendi, & conſequenter homines, per viam ſenſuum exteriorum, nunquam poſſent eum inuenire, ſi non adeſſent præfata ſigna manifeſtatiua, & diſtinctiua ſenſibiliter illius cætus, atque adeo error infidelium eſſet inculpatus, dum non poſſent, humano modo diſcernere veram Eccleſiam.

Quæſtio ſecunda. An prædicti reformati agnoſcant, in vlla viſibili hominum congregatione, exſtare, vel exſtitiſſe poteſtatem determinandi, quæ ſint ſcripturæ canonicæ, quæ legitima earum verſio, quis verus ſenſus in locis obſcuris, & controuerſis, citra erroris periculum.

Ratio eſt; nam ſi talem poteſtatem, in nullo hominum cœtu, agnoſcant reformati, nemo citra temeritatis notam, imo & damnationis æternæ periculum, debet fidere ſcripturis, vel earum verſionibus, aut gloſſis ab iſto cœtu propoſitis, ſi præcepta Euangelica, vt iam ſupponimus, obligent fideles ſub reatu mortis æternæ.

Quæſtio tertia. An religio reformata agnoſcat in vllo chriſtianorum cœtu, authoritatem infallibilem dirimendi diſceptationes de rebus fidei ortas, ac diſcernendi credenda, & obſeruan-

da de

da de neceſſitate ſalutis, à non ſic credendis, & obſeruandis.

Ratio eſt: Si enim omnem huiuſmodi authoritatem negent reformati, vti eam, ſub initium ſuæ reformationis, negarunt omnibus omnino hominibus, tunc exiſtentibus, non poſſunt talem authoritatem, iam ſibi arrogare, ſine manifeſta contradictione, atque adeò nemo ad hunc reformatorum cœtum,poteſt tuta conſcientia accedere pro deciſione dubiorum, in rebus fidei, aut pro cognitione articulorum neceſſariorum, præ non neceſſarijs: vnde etiam habetur praxim reformatorum, eſſe vertiginis importunæ plenam, quod moueant lites, & diſſidia, ſcribant libros contentionibus refertos,in ea cauſa,cuius nullum in terris viuum iudicem agnoſcunt, quodque manifeſtam exerceant tyrannidem, hoc ipſo, quod cogant vllos mortales,ad ſuam doctrinam reformatam ſequendam, cum ex ſuis principijs, omni legitima obligandi authoritate careant.

Quæſtio quarta. An credituri, priuſquam velint doctrinam Chriſtianam amplecti, debeant eam, iuxta ſcripturæ limam examinare.

Ratio eſt: nam ſi, vt volunt prætenti reformati, nulla alia detur authoritas in prædictis omnibus,præter nudum ſcripturæ ſcrutinium ad ſingulos, ſingulaſque ſpectans,ſecluſa infallibili cuiuſuis hominis, vel cœtus docendi, vel iudicandi authoritate, iuxta hoc prætenſæ reformationis principium, crediturus prius debet ſcire per ſe ipſum, ſine vllo doctore, vel inſtructore humano,quæ ſint ſcripturæ canonicæ, quæ legitima earum originalia, & verſio, quis legitimus ſenſus, qui articuli neceſſario credendi, & obſeruandi, ab ipſomet credituro depromendi, & determinandi, quam credat vllum hominum cœtum, eſſe vere chriſtianum, & fidelem, & ſic ſine vllo præuio duce, debet eſſe verſatus in doctrina chriſtiana, ac eſſe fidelis: antequam ad chriſtianos accedat. hinc oritur.

Quæſtio quinta. An cuiuſlibet particulare iudicium, & arbitrium, tam inter credituros, quam inter Chriſtianos, ſit huius examinis norma, & regula iuxta limam ſacri codicis.

Ratio quæſiti eſt: Si enim ad ſingulos, ſingulaſque ſpectet iſta indago doctrinæ chriſtianæ, iuxta corticem Bibliorum: ſequitur primo, ſi doctrina ſalutis non poſſit haberi, niſi per huiuſmodi ſcrutinium, iam excluſos eſſe à ſalute, quotquot illud inſtituere non poſſunt, vt ſunt rudes, ignari, ruſtici, pueri, opifices, mulieres, muti, ſurdi, ſtupidi, varijs item occupationibus diſtenti

inſi-

infideles omnes; vel certe iſtos omnes, eſſe ſaluandos, ſine vlla notitia Religionis chriſtia næ velut truncos, & lapides: ſequitur ſecundo admiſſa præfata iam hyppotheſi, neminem ex prætentis reformatis, citra arrogantiæ, & ſuperbiæ notam, debere aſſumere, vel obire munus ſuperintendentis, Prædicantis, Doctoris, Miniſtri &c. cum iuxta hanc viam quilibet, & quælibet ſit ſibi Doctor, Miniſter, interpres, rector, & cenſor.

Quæſtio ſexta: An negata prædicta hyppotheſi, & dato quod, ad euitandum præfatum abſurdum, admitti deberet aliqua docendi, & iudicandi authoritas, ea reponi debeat penes Magiſtratum ciuilem.

Ratio dubitandi eſt duplex: nam quæreretur primo an poteſtas ciuilis, & regula proponendi doctrinam ſalutis, ſint termini conuertibiles, vt eadem ſit orthodoxa credendi regula, & poteſtas ciuilis, ac econtra, poteſtas ciuilis, vbicunque ſit, debeat eſſe regula proponendi articulos fidei: ſi ſic iam Idololatria, Turciſmus, & quæuis hæreſis propoſita, & præcepta à poteſtate ciuili erunt licita, velut à recta credendorum norma procedentia: ſi autem poteſtas ciuilis, & regula credendi, non ſe habeant conuertibiliter, conſequenter poteſt quæri ſecundo an vbi eſt poteſtas ciuilis, ibi ſit vera religio, atque adeo, non eſt petenda præcisè doctrina credenda, à poteſtate ciuili qua tali.

Quæſtio ſeptima. An ſuppoſito rurſus, quod detur poteſtas docendi in rebus fidei, teneant prætenti reformati, eam eſſe penes totam multitudinem chriſtianorum.

Ratio eſt: Quia ſi penes totam multitudinem reſidet eiuſmodi poteſtas, iam ſequitur abſurdum quæſtionis quintæ, nempe omnes in munere docendi, & proponendi eſſe pares, ita vt nullus præ alio audiendus ſit, nullus item præ alio docendi munus debeat aſſumere, nullus præeſſe, nullus ſubeſſe; quod ſi omnem tandem authoritatem docendi res credendas, negent reformati, nulla hæreſis, nulla blaſphemia, nullum peccatum debet vitio verti, vel impediri, nulla infidelitas conuertenda.

Quæſtio octaua. An ex principijs reformatorum, & negatis ſupradictis quæſtionibus ſequatur totum genus humanum eſſe exemptum ab obligatione totius legis diuinæ.

Ratio dubitandi eſt: Nam cum ſtructura prætenſæ reformationis, in hoc ſit fundata nullam dari publicam iuriſdictionem docendi, ac dirimendi lites de Religione Chriſtiana, quam authoritatem prætenta reformatio conſequenter, ad ſua principia, conuincitur

tur

tur negare, ne ipſa ſe fateatur ſchiſmaticam, & hæreticam, ſtatuens idcirco pro regula cuiuſlibet particulare ſcripturæ ſcrutinium, ſi hoc ſcrutinium ſit fallibile, & etiam impoſſibile, iam ſequitur totum genus humanum, cum ad impoſſibile nemo teneatur, eſſe exemptum ab obſeruantia totius legis diuinæ, ab Euangelio, à fide chriſtiana colenda, vel amplectenda, cum ſublata omni authoritate docendi, vel interpretandi, nullum adſit remedium, quo genus humanum ad agnitionem veritatis poſſit venire.

Vrgentur hæ quæſtiones per totam primam partem contra reformatos. hinc ſit.

Pag.	verſ.	Errata		Corrige
7	13	vtique	lege	vtique
8	20	Eccleſia		Eccleſia
26	32	exiſtis		extitit
26	36	exiſtit		extitit
28	10	diſtinguatur		diſtinguantur
28	11	demonſtretur		demonſtrentur
28	32	poteſtiſtum		poteſt iſtum
33	6	audiendam		audiendum
40	2	poſſit		poſſit
42	38	ila		illa
46	30	Odonum		O donum
47	20	babent		habent
47	25	aliud		alium
49	13	Galiicæ		Gallicæ
54	22	vel		vt
54	27	&		vt
61	38	ſymoli		ſymboli
63	29	confractas		anfractus
66	13	doctorum		doctores
71	23	Christ		Christi
76	34	perunt		pereunt
84	3	nullam		nullum
85	27	multitudinini		multitudini
92	9	veriiatem		veritatem
95	3	blaterare		blaterant
97	1	ſpinghis		ſphingis
109	38	Habuchodonozor		Nabuchodonozor
110	32	diſſentio		diſſenſio
126	19	ſufficere		ſufficere
139	26	precurrendo		percurrendo
155	4	neceſſarra		neceſſaria
156	29	cortuuat		corruunt
313	13	Apoſtolis		Apoſtatis
105	38	Habuchodonoſor		Nabuchodonoſor
157	21	præteritæ		prætentæ
177	26	conuenirent		conueniunt
177	6	Midelbargenſes		Midelburgenſes
178	1	coruſcata		coruſcaret
185	3	diputandi		diſputandi
194	9	furctuum		fructuum
195	20	cognitionem		agnitionem
201	6	conſiliorum		conciliorum
201	36	reformationum		reformationis
202	16	eſſe		eſt
203	13	noli omne		nolite omni
221	12	ſidem		fidem
228	11	cius		cuius
230	8	propoſitio		propoſito
234	18	Iudæorum		Iudæorum
238	32	deficere		deficeret
245	36	obſigati		obſignati
246	32	ad eo		à Deo
248	22	implectuntur		amplectuntur
248	23	protexerim		protraxerim
263	10	Monothelliarum		Monothelitarum
269	22	futuro		futuro
269	35	Sencinianam		Soncinianum
270	3	hauienda		hautienda
285	3	Occumenicis		Oecumenicis
269	8	condamnati		condemnati
297	32	quoties occurrerit Beta	lego	Beza

PALINODIAE RELIGIONIS
PRÆTENSÆ REFORMATÆ
PARS PRIMA.

Frontiſpicium Operis.

VIAM veritati orthodoxæ indagandæ,& inueniendæ ſtraturus, agentis tum naturalis , tum ſupernaturalis in agendo imitabor exempla ; natura ſiquidem non prius in ſubiectum, nouam introducit formam, quam veterem expellat , neque Deus ſanctificantem prius infundit gratiam , quam contraria exterminet vitia . cum igitur veritati aduerſetur error , vt illa clariùs eluceſcat , hunc aperire , & ob oculos ponere, neceſſe eſt ; quare cum inter catholicos , & reformatos , acerrima verſetur contentio , vtra ex duabus religionibus, ſit orthodoxa ,& vera illa fides , in qua ſola eſt certa ſalus, extra quam eſt certiſſimus interitus, vt hæc vna, & vera religio,ex oppoſitæ reformationis vmbris , & tenebris ſplendidiùs effulgeat , reformationem ipſam proprijs ſuis coloribus depingam,vt ſi domini reformati nolint lucem veritatis aſpicere, videant ſaltem tenebras ſuas , & præcipitium , ad quod,niſi reſipiſcant , accelerant. expeditiorem proinde elegi methodum, excurrere nempe per generalia religionis chriſtianæ capita , ad quæ particulares fidei difficultates reducuntur , cum hic modus in rebus controuerſis ſit præ cæteris breuior , facilior , & efficacior;

breuior, quia paucioribus expeditur; facilior, quia leuiori negotio probantur vniuerſalia, quam particularia; efficacior, quia difficilius negantur principia, quam ea quæ in principijs latent, vel ex eis deducuntur, cum non ita facile, aut prompte intellectui appareant; & hunc ipſum ordinem, humani iudicij acies obſeruat, quia in cognoſcendo à generalioribus incipit: ſic puer patrem prius ſub ratione hominis, quam huius ſingularis perſonæ concipit; Sic dum animal videmus à longe, prius illud cernimus ſub ratione corporis, deinde animalis, poſt ſub ratione talis ſpeciei, & tandem indiuidui; nam intellectus humanus pro hoc ſtatu à phantaſmatibus dependens, petit à notioribus ordiri, quibus mediantibus ad ſingularia deſcendit: hinc etiam, quia ea eſt hominis naturalis conditio, vt occultam veritatem intelligere nequeat, niſi diſcurrat argumentando; vel à ratione, vel ab authoritate, voluit Deus, vt in rebus chriſtianæ religionis, initium ſimiliter duceretur à notioribus, & per viſum cernendo ſpecimina, & per aures percipiendo voces, quibus intellectus mediante phantaſmate moueatur, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 10. *quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient ſine prædicante?* ita ſcilicet, vt inuocatio præſupponat fidem, fides auditum, auditus loquelam, loquela prædicantem, prædicatio verò à magis notis, ad ignotiora procedere debet: hinc cætus ille chriſtianorum, cuius intereſt doctrinam ſalutis exponere, vti debet manifeſtis inſignibus eſſe dotatus, ita doctrinam ipſam à notioribus, & generalioribus capitibus proponendam auſpicetur, oportet; exemplo Apoſtolorum, qui prædicationes ſuas ad populos nationum, ab exiſtentia Dei oſtendenda, ad Iudæos verò, ab aduentu Meſſiæ probando ordiebantur: nos vero chriſtiani, qui Deum patrem omnipotentem, & filium eius vnicum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eiuſq; euangelium eſſe Verbum Dei credimus, in multis alijs diſcrepamus, conſultiſſimè lites noſtras ad prima aliqua principia reducimus, vt decidamus tandem an agnoſcant prætenſi reformati, vllam in hoc mundo docendi, exponendi, iudicandique in materia religionis authoritatem, inconſultà ſcripturà, audiendam, nec ne? Si nullam, deſinant concutere, & conturbare orbem terrarum litibus, diffidijs, contentionibus, quarum nullum agnoſcunt iudicem: ſi aliquam admittant, an illa ijs inſigniatur argumentis, & notis, quibus credituri certò conuincantur eam, nec decipi, nec decipere, ac proinde ſub reatu damnationis æternæ audiendam.

quod

quod ſi reformati ex proprijs principijs euincantur fateri, nec eiuſmodi apud eos extare poteſtatem, nec cætum ſuum vllis veræ Eccleſiæ inſignibus dotari, nemo vtique citra erroris, imò ac damnationis æternæ diſcrimen, eos audire debet; & ita conſtare, ex eorum dogmatibus, in huius operis decurſu demonſtrabo. Vnde ſit.

DISTINCTIO PRIMA.

Nullus viſibilis religionis prætenſæ reformatæ cætus, iuxta eiuſdem reformationis principia, ab humano genere, pro vera Chriſti Eccleſia poteſt agnoſci.

IN exſtruenda reformationis prætentæ machina, reformati miras patiuntur anguſtias, & cerebri titubationes; miro contradictionis ſpiritu agitantur; vt enim notam ſchiſmatis, quam ſolertiſſimè declinent, eas notas, quibus vera demonſtratur Eccleſia, negant, aliaſque ſubſtituunt: deinde ſui ipſorum immemores, illas ipſas notas, quas negant, iterum aſtruunt. negant enim eas prima fronte, dum alias allegant, aſtruunt rurſus eaſdem, dum ſymbolum Nicęnum, in quo recenſentur, admittunt; ſed ne per has ſuas contradictiones euadant, & ſchiſma ſuum ſub vllo colore excuſent, eorum ſubterfugia in illos retorquebo, oſtenſurus ex illorum principijs, quod conuincantur fateri ſe eſſe ſine omni vera Eccleſia, ſine iuriſdictione docendi, ſine certitudine ſuæ doctrinæ, ſine ſcripturis, & earum legitimo ſenſu, ſine articulis fidei, ſine medijs ſalutis. & diſtinctiones in ſectiones, has in articulos diuidam, & ſit.

SECTIO PRIMA.

Quomodo ex principijs prætentæ reformationis euincatur, eam carere omni titulo veræ Eccleſiæ.

Principia iſta depromo ex confeſſionibus, ſynodis, & celebrioribus authoribus, & aphoriſmis prætenſæ reformationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Nulla hominum congregatio in materia religionis chriſtianæ eſt audienda, etiam ſecundum prætentos reformatos, niſi certis, ac manifeſtis ſignis, conſtet eam eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

§. I. QVia regulariter Deus loquitur hominibus, per homines, quibus immediate olim patefecit arcana ſui intellectus, & placita ſuæ voluntatis, vt habetur Lucæ 2. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt, prophetarum eius*. Math. 28. *euntes docete omnes gentes* Marci 76. *prædicate euangelium omni creaturæ.* & ad Corinth. 12. *quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, primũ Apoſtolos, deinde prophetas, tertiò doctores* &c. nempe vt habetur ad Epheſ. 4. *in opus miniſterÿ, in ædificationem corporis Chriſti*. Hinc fit, vt doctrina reuelata non deſcendat immediate à Deo, ad ſingulos fideles, & crediturós, ſed mediantibus alijs; vnde in hac ipſa doctrina tradenda duplicem poſſumus conſiderare progreſſum, primum, per deſcenſum à Deo ad nos, in quo primò conſideratur, veritas diuina reuelans, ſecundò res reuelata, tertiò communicatio iſtius rei hominibus, vel homini alicui, quartò cætus hominum, vel homo ille proponens cæteris præfatam reuelationem. alter progreſſus eſt à nobis verſùs Deum; in quo priùs quoad nos eſt homo ipſe proponens, deinde res reuelata, quam proponit, tertiò reuelatio ipſa facta illi cætui, vel homini; quartò veritas diuina reuelans iſtam rem; quia vero traditio doctrinæ credendæ per viuam vocem eſt difficillima, nam qui tradit, poteſt mentiri ſe audiſſe, quod non audiuit; poteſt non intellexiſſe, quæ ſibi dicta ſunt: poteſt tandem obliuiſci eorum, quæ audiuit. hinc loquela talis hominis non poteſt mouere ad fidem præſtandam eius dictis, niſi exſtent certa, & manifeſta ſigna, quibus conſtet illum cætum vel hominem, veram doctrinam certò, & ſine errore proponere.

§. II. Quare abſolute requiruntur expreſſæ notæ, quibus per euidentiam moralem demonſtretur, illum cætum, qui miſteria reuelata proponit, legitima pollere authoritate, idemque cætus diſtinguatur ab alijs erroneis congregationibus, chriſtianum nomen

men,doctrinamque mentientibus; & huiuſmodi perſpicua argumenta ad dignoſcendam veram Eccleſiam requiri, reformati fatentur, licet hac illac titubent, in eis aſſignandis. ait igitur confeſſio Heluetica prior cap. 17. *illam docemus veram eſſe Eccleſiam, in qua ſigna, vel notæ inueniuntur veræ Eccleſiæ.* Heluetica poſterior cap.14.*quæ quidem*(ſcilicet Eccleſia) *cum ſolius Dei oculis ſit nota, externis tamen quibusdam ritibus cernitur &c.* Scotica confeſſio art. 18.*neceſſe eſt,vt vera Eccleſia à ſordidis ſinagogis, perſpicuis, & perfectis notis diſcernatur.* Belgica confeſſio art. 28. *fidelium officium eſt,ſeſe ab ijs omnibus,qui extra eccleſiam ſunt,diſiungere, vt huic ſe congregationi adiungant.* quod vtique non poſſent facere, niſi vera Eccleſia, certis, & manifeſtis notis, diſtingueretur à falſis ſectis. Argentinenſis cap. 15. *hæc* (ſcilicet Eccleſia) *quamquam id, vnde habet,quod vera Eccleſia Chriſti ſit, nempe fidem in Chriſtum, videre nequeat,ipſa videri tamen,& ex fructibus cognoſci poteſt.* Saxonica cap. de Eccleſia, *non igitur de Eccleſia, tanquam de Idæa Platonica loquimur. ſed Eccleſiam monſtramus, quæ conſpici, & exaudiri poſſit.* Tandem reformati licet non bene deſignent notas Eccleſiæ; aliquas tamen aſſignant, alij puram prædicationem, & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem, alij diſciplinam, alij alia; in hoc ſaltem nobiſcum conueniunt, quod neceſſaria ſint quædam ſigna, & argumenta denotantia veram Eccleſiam, illamque ab alijs ſectis diſtinguentia, quamuis,vt dixi,errent in illis ſignis afferendis.

§. III. Has notas diſtinctiuas, in cætu,vel homine, qui fidem veram prædicat, requiri, bene aduertit Moyſes, qui, dum Deus illi inmediate loqueretur, exodi 3. & 4. ac iuberet, *Hæc dices filijs Iſrael;*obiecit,*non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent,non apparuit tibi Dominus.* Deus autem ſciens non obligari populum pueriliter, ſine manifeſto, vel certo aliquo argumento, credere Moyſen fuiſſe à ſe miſſum,contulit illi virtutem patrandi tria miracula coram populo, ſcilicet vertendi virgam in colubrum, lepra inficiendi, & poſt purgandi manum ſuam, commutandi denique aquam in ſanguinem; quæ cum vidiſſet populus, credidit Deum locutum fuiſſe Moyſi, & Moyſen non mentiri verba Dei;quapropter non poteſt conſiſtere fides certa inDeum, niſi authoritas eorum, qui verbum Dei proponunt, & certis rationibus fulciatur, & manifeſtis notis confirmetur; vnde ſi non eſt nota, & manifeſta credituro iſta authoritas, non tenebitur aſſenſum præbere propoſitæ doctrinæ,quod patet ex illo Ioan. 15.

Si

Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Id eſt, nolendo credere, vt inquit Auguſtinus tract. 89. in Ioan. *Hoc eſt enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, hoc eſt autem, quia non crediderunt in Chriſtum, qui propterea venit, vt credatur in eum. hoc peccatum, ſi non veniſſet, non vtique haberent*. & ne cauſarentur, Chriſtum nullo externo ſigno eis fuiſſe manifeſtatum à Deo veniſſe, ſubiungit Chriſtus ibidem; *Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*.

§. IV. Vnde quærentibus, vtrum hi, ad quos non venit Chriſtus, habeant excuſationem peccati ſui, reſpondet Auguſtinus loco citato, *Illos habere excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*. Chriſti vero modum propagandi ſuam doctrinam, medijs externis notis, pulchre deſcribit idem Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 14. *Chriſtus miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem; fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roborauit religionem*. His ſcilicet argumentis, his gradibus progreſſa, & confirmata eſt authoritas proponentium doctrinam ſalutis, quæ ſi illis deſint, vacillabit eorum authoritas, ita vt nemo teneatur eis credere: cum enim aſſenſus fidei ſit actus virtutis, debet dirigi prudenti iudicio, quo, priuſquam credamus, iudicemus ea myſteria eſſe ſic credibilia; atqui eſſet contra prudentiam, in re tanti momenti, vbi agitur de æterna ſalute, vel acquirenda, vel perdenda, velle aliquid credere indubitanter, quod non apparet, ita eſſe credibile; ergo vt aliquid credam fide diuina, debet prius mihi apparere eſſe credibile: nam quamdiu habeo iuſtam dubitandi rationem, an ſit omnino certum, & infallibile, quod talis res ſit à Deo reuelata, non teneor omnino indubitanter credere, illud infallibiliter eſſe à Deo reuelatum: atqui quamdiu non conſtat mihi per aliqua manifeſta ſigna de authoritate proponentium, non mihi conſtabit propoſitam doctrinam eſſe certò, & infallibiliter à Deo reuelatam, proinde non teneor præbere aſſenſum.

§. V. Hinc quando prætenti reformati aſſerunt Eccleſiam eſſe inuiſibilem, & abſconditam, non credo illos eouſque deſipere, vt velint membra illius ſuæ latentis Eccleſiæ, eſſe prorſus inuiſibilia, cum viſibilibus vtique conſtent corporibus, & membris; ſed potius adhoc vt notas, quas catholici attribuunt Romanæ Eccleſiæ, ſtudioſiſſimè declinarent, ne ipſi manifeſtam hæreſis, ac ſchiſmatis notam, apud ſuos ſequaces incurrerent, habuerunt

runt recurſum ad alia ſigna occultiſſima, & ab humanis non ſolum oculis, ſed etiam mentibus remotiſſima, qualis eſt prædeſtinatio, ſanctitas interna, puritas doctrinæ; recta adminiſtratio ſacramentorum, pendens vtique, à legitima intentione, ordinatione, & authoritate miniſtri, vt poſtea videbimus; & in hoc ſenſu fatendum ipſis erit, iuxta ſua principia, quæ mox recenſere aggredior, Eccleſiam, quam prætendunt, vel reformare, vel deſcribere, nulla habere manifeſta ſigna, quibus palàm in luce populorum, in oculis gentium effulgeat. Vnde aperte ſequitur in tali occulta Eccleſia, nullo legitimo iure, fratrem poſſe corripi, ad Eccleſiæ tribunal citari, ipſam Eccleſiam conſulere, niſi conſtet prius eam dotari prędictis ſignis, quę ſine reuelatione ſpeciali Dei, pro hoc ſtatu ſciri vtque non poſſunt. quare vt prætenſos reformatos de hac latente Eccleſia, ſuo idiomate loquentes audiamus, ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Prætenti reformati ex ſuis principijs fateantur, neceſſe eſt, veram Chriſti Eccleſiam apud ipſos inueniri non poſſe.

§. I. INgentem molem, & auſibus humanis formidabilem attentarunt prætenſi reformati, viſibilem ſcilicet Chriſti reformare Eccleſiam; quæ reformatio vt ſubſiſtat, aliud onus graue humeris reformatorum incumbit, probare nempe ſe infallibili, ac certa reformandi authoritate eſſe præditos, eandemque viſibilem Eccleſiam penitus à fide, & doctrina Chriſti defeciſſe; quod ſi ſic defecit, falſa eſſe omnia vaticinia Chriſti, & prophetarum, de eius indefectibili perpetuitate edita: ſi vero ſubſiſtunt eadem Chriſti, & prophetarum oracula de eiuſdem Eccleſiæ ſtabili duratione, vt ſubſiſtere probaui, in mea ſecuri euangelica parte 2. diſt. 1. 2. & 3. prætenti reformati falſa nituntur hypotheſi, & manifeſtam ſchiſmatis notam incurrunt, trahuntque ſecum per iſtam ſuam ſacrilegam ſeceſſionem, in barathrum ardentis gehennæ, tot animarum myriadas in æternum cruciandas: quod ſi prætendant ſe miſſos à Deo pro inſtituenda iſta reformatione, ſi rectè diſcurrunt, debent prætendere, ſe paraſſe lucem magnam, ciuitatem ſupra montem poſitam in conſpectu gentium. quod ſi hanc conſpicuam lucem, non attulerint; ſed potius tenebras, & caliginem; ſane nemo eis vel tutò, vel prudenter credere debet. hoc

certe

certe ſatagerunt reformati, vt ſplendorem Eccleſiæ fugerent, Eccleſiam ipſam in vmbris, & ſpecubus fingere defoſſam, ne ſchiſmaticam ſuam defectionem cogerentur agnoſcere. quæ molimina, quos dolos, ego in ſuos authores retorqueri poſſe oſtendam.

§. II. Veram ergo Chriſti Eccleſiam huiuſmodi tenebris inuoluere, inuolutamq; deſcribere, in ſuis confeſſionibus moliuntur reformati: itaque ſuam fert ſententiam de occulta, & latente Eccleſia, Heluetica prior, confeſſio cap. 17. verſus finem; *fit aliquando, vt Deus iuſto iudicio veritatem verbi ſui, fidemque catholicam, & cultum Dei legitimum obſcurari, & conuelli ſinat, vt prope videatur extincta, & nulla amplius ſupereſſe Eccleſia*. Mox infra, *interim habet Deus in hoc mundo, & hiſce tenebris ſuos illos veros adoratores*. Mens igitur huius confeſſionis eſt veram Eccleſiam eſſe incognitam, donec reformati eam ex ſuis antris reuehant, vt ſchiſma ſuum, interim ſolemniùs auſpicentur. Succedit Heluetica poſterior Baſileæ compoſita, ait num. 14. *ex talibus lapidibus ſuper viuam hanc petram hoc pacto inædificatis, Eccleſiam conſtrui Sanctamque Sanctorum omnium collectionem, ergo immaculatam tenemus, quæ quidem cum ſolius Dei oculis ſit nota &c.* Sancti igitur dumtaxat erunt membra Eccleſiæ ab hac confeſſione deſignatæ, quæ ſolius Dei oculis eſt nota, inquit. Baſileenſis, ſeu Mylhuſiana ait. 5. *credimus Sanctam Chriſtianam Eccleſiam, id eſt, communionem Sanctorum congregationem fidelium in ſpiritu*. Ad occultas etiam tenebras, hæc confeſſio remittit Eccleſiam, adeoque non dicit catholicam, aut Apoſtolicam, ne lucem Eccleſiæ intueri cogantur eiuſdem confeſſionis authores. Scotica confeſſio ait 16. *hæc Eccleſia eſt inuiſibilis, ſoli Deo nota, qui ſolus nouit, quem elegit; comprehenditque tam electos defunctos, qui vulgò Eccleſia triumphans vocantur, quàm eos qui in hac vita ſuperſunt militantes*. Vult iſta reformatio, ab humanis ſenſibus remotam eſſe Eccleſiam.

§. III. Confeſſio Belgica art. 27. *hanc Sanctam Eccleſiam, Deus contra totius mundi furorem defendit, quamuis ad aliquod tempus exigua ſit, & quaſi extincta in hominum conſpectu appareat*. Et art. 28. ait, Eccleſiam eſſe cœtum electorum, ſeu ſeruandorum; proinde eſſe incognitam, & fidelibus ipſis, & credituris. Confeſſio Argentinenſis cap. 15. vult titulum, nomenque veræ Eccleſiæ, ijs tantum competere, qui locum inter filios Dei nacti ſunt: eam eſſe Ieruſalem cæleſtem, Eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cælis, id eſt, prædeſtinatorum. Qui donec ſciantur per reuelationem, nemo ſciet quæ ſit Eccleſia, qui eius membra. Confeſſio

Sa-

Saxonica cap. de Eccleſia, vult eam eſſe viſibilem, nullam tamen notam aſſignat, qua ſenſibiliter percipi poſſit; ſed eam eſſe cætum, in quo Deus per miniſterium Euangelij eſt efficax, & multos ad vitam æternam regenerat. Qui loquendi modus obſcuram relinquit Eccleſiam, & præſertim ſi loquamur de infidelibus, qui vtique per Eccleſiam, & ex Eccleſia debent potius ſcire Euangelium, quam ex Euangelio, Eccleſiam. Confeſſio principis palatini, ait Eccleſiam eſſe cætum ad vitam æternam electum, adeo vt Eccleſia, ſecundùm hanc confeſſionem, ſit tam ignota, quàm arcana, & ignota eſt electio. Confeſſio Bohemica art. 8. ſub iiſdem nubibus relinquit Eccleſiam, aſſignans pro notis, verbi & Sacramentorum diſpenſationem. Confeſſio Baſileenſis poſterior, art. 4. ait Eccleſiam eſſe congregationem fidelium in ſpiritu. Vult ſcilicet cum reliquis, Eccleſiam iacere ſepultam, vt liberiùs a viſibili Eccleſia recederent reformati.

§. IV. Accedit confeſſio Cyrilli Lucaris Caluiniſtæ, pſeudo Patriarchæ Conſtantinopolitani excuſa Geneuæ, & Tiguri, art. 11. *credimus membra Eccleſiæ Catholicæ, eſſe Sanctos ad vitam eternam electos*. Eam proinde eſſe ſoli Deo notam, vti ei ſoli nota eſt electio; idipſum habet reformationis anteſignanus Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 1. Lutherus in cap. 28. geneſis. Philippus Melancthon in locis communibus. Magdeburgenſes centuria prima, cap. 4. & alij reformati, qui omnes in hoc conſpirant, vt nolint veram Chriſti Eccleſiam eſſe ſẽſibiliter perceptibilem ab humano genere, vt per hoc inuiſibilitatis poſticum, ex viſibili, & manifeſto Chriſti ouili, per apertum ſchiſma erumpant, & euadant.

§. V. Ex his autem manifeſte ſequitur Eccleſiam Chriſti apud reformatos nec inueniri poſſe, nec quæri debere. ſit enim aliquis, qui chriſtianam religionem, non per examen doctrinæ, vel articulorum, (quod impoſſibile eſſe infra probabo) velit à reformatorum turma addiſcere, & nihil ei reſtare videat, vt cum Auguſt. lib. de vtilitate credendi cap. 12. loquatur, *cui vita optima, & religio cordi eſſet, niſi vt quæreret ſapientes, id eſt, veræ religionis cultores, & inſtructores*. Certe hic deberet vel habere reuelationem Danielis prophetæ de ſomno Nabuchadonoſor, vel lucernam Diogenis adhibere, vt inueniret hos cultores, & inſtructores; nam vt aliqui reformati volunt, nulla regula aſſignari poſſe videtur, per quam, inter contrarias opiniones diſcernatur, hanc eſſe veram, hanc falſam: non enim illa erit vera ſemper, quam plures approbant, cum quandoque quod pluribus videtur, ſit falſum, & verum

quod paucioribus; præſertim cum Caluinus lib. 1. inſtit. cap. 8. velit, *vt non numerentur, ſed appendantur ſententiæ*, & Melanchton in apologia, dicat, *non eſſe plurium ſuffragijs rem diſcernendam*. Ad paucos igitur quæſtio reducitur, ſed quinam ſunt iſti pauci, veri ſcilicet cultores, & Sapientes? electi ſecundum reformatos, fideles in ſpiritu, Sancti coram Deo. Sed vnde ſciemus hos eſſe electos, fideles in ſpiritu, ſanctos coram Deo, primogenitos conſcriptos in cælis? ſane iſta omnia latent intellectus humanos, latent à fortiori ſenſus noſtros. Hinc res tandem huc redit, vt quærenti alicui à reformatis, vbi eſt vera Eccleſia? Reſpondeant neceſſe eſt, vbi ſunt electi, ſeu vera Eccleſia, eſt cætus electorum, & cætus electorum eſt vera Eccleſia. Sed vnde conſtat iſtum eſſe cætum electorum? quia, inquient, eſt vera Eccleſia. Et vnde conſtat, eam eſſe veram Eccleſiam? quia eſt cætus electorum: & hocipſum vnde conſtat? non aliunde certe, quàm ex reuelatione diuina, ſine qua, quis, quæſo, nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? donec igitur conſtet per hanc reuelationem, reformatos eſſe electos, & primogenitos, qui conſcripti ſunt in cælis, non debent ſe aut ſuum cætum reformatum venditare pro vera Eccleſia. Vnde ſic concludo; doctrina ſalutis non poteſt haberi ab Eccleſia incognita; Talis eſt Eccleſia reformata: ergo ab ea nequit haberi doctrina ſalutis. maior eſt ipſorum reformatorum art. præced. minor etiã eſt ipſorum toto hoc articulo, & conſequentia eſt legitima. atque adeo nemo citra animæ ſuæ periculum, accedere debet ad reformatos, pro veritate chriſtiana inuenienda: ſed alio ſe vertunt reformati, contra quos ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Reformati, inuiſibilem ſuam Eccleſiam, coacti ſtatuere viſibilem, eam adhuc per notas, quas illi aſſigunt, reddunt irreperibilem, & inacceſſibilem.

§. I. EMergente ex vmbris, & caligine tenebrarum, reformata religione, duro neceſsitatis cogente telo, retractarunt reformati toties à ſe inculcatam, de inuiſibili, ac latente Eccleſia ſententiam, & inuiſibilem iſtam Eccleſiam ſtatuunt, fatenturque

tenturque tandem viſibilem. & imprimis id aſſerit confeſsio Anglica art. 19. confeſsio Heluetica cap. 17. vbi reijcit Donatiſtas oppoſitum aſſerentes. Saxonica cap. de Eccleſia, & aliæ confeſſiones art. 10. citatæ; idem ex authoribus reformatis fatetur Humfredus Ieſuitiſmi parte 2. rat. 3. Philippus Melanchton in locis communibus. Fieldus lib. 1. de Eccleſia cap. 10. Caluinus ſecum ipſe pugnans lib. 4. inſtit. cap. 10. ſect. 4. Iuſtus Molitor de Eccleſia Militante, contra Bellarm, ſect. 4. Hypperius in methodo Theologica pag. 548. Amandus Polanus in partit. Theol. pag. 304. VVitaKens contra Druræum lib. 3. Couellus in examinatione pag. 21. VVillettus in Synopſi pag. 71. qui omnes volunt miniſterium publicum debere eſſe in Eccleſia viſibili, & alibi non poſſe eſſe, neceſſitatem huiuſmodi miniſterij, aſſerunt ſynodi reformatorum. VVittenbergica nu. 1. vel 2. Dordrucena num. 4. Belgica nationalis num. 14. Pariſienſis tit. de miniſtris verbi Dei. Lugdunenſis nu. 4. & aliæ, quæ hoc ipſo, quod miniſterium publicum neceſſarium eſſe agnoſcant, fateantur ſimiliter neceſſe eſt, Eccleſiam, in qua exercetur, debere eſſe viſibilem.

§. II. Sed quia non omnis congregatio viſibilis, qua viſibilis, debet illicò pro vera Chriſti Eccleſia cognoſci, adhuc debent prætenti reformati, iſtam ſuam viſibilem reformationem, manifeſtis argumentis, & ſignis orbi patefacere, ſi velint eam pro vera Eccleſia, ab alijs viſibilibus cætibus diſtinctam haberi. Quod ſi ea ſigna æque ſint mortalibus ignota, ac ipſe cætus, per illa deſignatus, adhuc prætenſa reformatio manebit in ſua viſibilitate inuiſibilis, & incognita. Admittunt plerumque reformati, tria illa communia Eccleſiæ ſymbola, & conſequenter quidquid in eis continetur, adeoq; quatuor illas Nicæni ſymboli notas veram Eccleſiam deſignantes, ſui tamen immemores; & ne rebellionem, contra Romanam Eccleſiam excitatam agnoſcant, alias aſſignant notas, nempe puritatem doctrinæ, puram prædicationem, legitimam Sacramentorum adminiſtrationem. Vbi nota veram quidem Eccleſiam, ſine his eſſe non poſſe, vti non poteſt eſſe ſine vera fide; ſicut tamen quærenti vbi eſt vera Eccleſia, male reſponderetur ibi eſſe, vbi eſt vera fides; cum iſta non ſit conſpicua, vel nota quærenti, quandoquidem ſit interna, & ſoli Deo nota; atque adeo licet verum ſit ibi eſſe veram Eccleſiam, vbi eſt vera fides, & è contrà: tamen male diceretur veram iſtam fidem eſſe notam manifeſtatiuam Eccleſiæ. Sic ſimiliter licet verum eſſet, vbi eſt puritas doctrinæ, ſincera prædicatio, legitima

Sacramentorum adminiſtratio,ibi eſſe veram Eccleſiam, quæ ſine his, vti nec ſine fide ſubſiſtere nequit, tamen, ſi huiuſmodi puritas, prædicatio, adminiſtratio,ſint æque ignota quærentibus, ac eſt ipſa fides, male affererentur pro notis manifeſtatiuis Eccleſiæ.

§. II. Ne ergo reformati conquerantur nos ipſis imponere, eorum ſententias de his notis adduco. Ait ergo cōfeſſio Auguſtana art. 7. de Eccleſia. *Eſt autem Eccleſia, congregatio Sanctorum, in qua, Euangelium pure prædicatur, & recte adminiſtrantur Sacramenta.* Sed ſi non conſtet prius, quæ ſit vera Eccleſia, cum Manichæi, Ariani, Neſtoriani, Pelagiani iactent Euangelium, vnde conſtabit rudibus, ignaris, Turcis, Hebræis, Paganis, an ipſum Euangelium, quod neſciunt, pure prædicetur? deinde ibi vtique Euangelium pure prædicatur, vbi eſt populus, ſeu Eccleſia Dei, prædicator autem præcedit prædicationem, ſicut os præcedit vocem, magiſter ſuam diſciplinam, cauſa effectum, prius ergo ipſa Eccleſia cognoſcenda eſt, & ex ea authoritas, & veritas prædicantis dijudicanda. Deinde ſi Eccleſia ſit congregatio Sanctorum duntaxat, iam vbi ſunt peccatores, ibi non erit vera Eccleſia; hic autem ſibi caueant reformati, nam ſe etiam in ſuis libris, confeſſionibus, catechiſmis, & ſynodis peccatores agnoſcunt, & ſynodus Dordracena cap. 5. de perſeuerantia Sanctorum art. 4. ait *Sanctos à carne, mundo, & Satana, in peccata etiam grauia, & atrocia non ſolùm poſſe, ſed etiam iuſta Dei permiſſione abripi.* Subiungit Auguſtana ibidem, *ad bonitatem Eccleſiæ ſatis eſſe, conſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum.* Sed aliter in his ſentiunt reformati Angli, aliter Galli, aliter Scoti, aliter VVittenbergenſes, aliter Caluiniſtæ, Proteſtantes, Anabaptiſtæ, Tremuli, Independentes etiam: atque adeo non habent vnitatem, nec veram idcirco poſſunt conſtituere Eccleſiam.

§. IV. VVittembergica tit. de Eccleſia. *arbitramur vere catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam in eo eſſe loco, aut gente, vbi Euangelium Chriſti ſinceriter prædicatur, & Sacramenta eius, recte iuxta inſtitutionem Chriſti, adminiſtrantur.* Duas aſſignat notas iſta confeſſio, nempe ſinceram prædicationem, & legitimam adminiſtrationem; eaſdem notas aſſerit confeſſio Anglica art. 19. catechiſmus vero Eccleſię Anglicanę nuper impreſſus, in expoſitione ſymboli, ait electos eſſe Eccleſiā Catholicā, *quod eſt*, inquit, *eſſe diffuſam ſuper vniuerſam faciem terræ.* Quod ſi ita eſt, iam Eccleſia Anglicana non eſt catholica Chriſti Eccleſia, cum illa non ſit diffuſa per totum orbem, quinam enim in Italia, Hiſpania, Gallia, Germania,

Indijs,

Indijs, Aegipto, Aſia, Syria, Dania, Suetia, cum reformatis Anglis habent vnionem? nulli, vt euidenter conſtat. alias pro ſua diuerſitate notas aſſignant aliæ confeſſiones. Heluetica cap. 17. facit mentionem tantum *de pura prædicatione*, vti & Heluetica poſterior art. 14. Baſileenſis art. 3. aſſignat pro notis, *confeſſionem Chriſti*, *& fidem per opera charitatis oſtenſam*. Scotica art. 18. aſſignat, *veram prædicationem verbi Dei*, *Sacramentorum adminiſtrationem*, *& diſciplinam Eccleſiaſticam recte adminiſtratam*, hæc eadem aſſignat confeſſio Belgica art. 29. quibus addit *reductionem omnium ad normam Verbi Dei*, *& agnitionem Chriſti*, *velut vnici capitis*. Argentinenſis cap. 13. vult has notas eſſe, *animoſam confeſſionem veritatis*, *ſinceram dilectionem*, *rerum pro Chriſto contemptum*, *Euangelium*, *Sacramentaq; pure obtenta*. Saxonica cap. de Eccleſia, ait eſſe, *profeſſionem Euangelij*, *& rectum vſum Sacramentorum*, *nec non efficaciam Dei per miniſterium Euangelij multos ad vitam æternam regenerantis*. Bohemica art. 8. dicit ea ſigna eſſe, nempe *Chriſtum prædicari*, *& ſuſcipi*, *verbi*, *& Sacramentorum diſpenſationem*. Gallica art. 27. ait eſſe conſenſum, & conſpirationem ad verbum Dei, & puram religionem ſequendam. Catechiſmus autem reformationis Gallicæ, ait has notas eſſe, *arcanam Dei electionem*.

§. V. Notabile dictu eſt in præfatis omnibus, nullam mentionem fieri de Apoſtolica ſucceſſione, vel authoritate. nonnulli vnitatem nominant, alij ſilent: alij de catholiciſmo mentionem aliquam faciunt, alij nullam: Sanctitatem aliqui, ſed internam nominant, alij tacent: aliqui vnam, alij tres, alij autem duas tantum allegant notas, & nulla externa ſigna toti orbi manifeſtantia Eccleſiam proferunt. nunc infideles, Turcæ, v.g. pagani, & Hebræi, imo & hæretici, ex prædictis notis nunquam poterunt inuenire Eccleſiam: nam vt ſincera prædicatio, & recta Sacramentorum adminiſtratio manifeſtent Eccleſiam credituro, debet prius per ſeipſum ſcire, quodnam ſit Verbum Dei, quæ ſint vera Sacramenta, antequam credat Eccleſiæ prædicanti; hoc autem per ſe ipſum ſine ſpeciali miraculo ſcire non poteſt. Deinde iſta prædicatio, vel eſt ipſa nuda ſcripturæ lectio, & pronunciatio, vel non? Si primum, quotquot legunt, & pronuntiant ſcripturam ex pulpitis, & ſuggeſtis, habent hoc ſignum. habent ergo Hebræi verã Eccleſiam, legunt enim vetus teſtamẽtum; habent Manichæi, Ariani, Neſtoriani, Pelagiani, alijque hæretici, quia legunt Euangelium. Si autem non eſt nuda ſcripturæ lectio, ergo erit eius expoſitio, ſed ſane expoſitiones iſtæ ſunt verba hominum, & omnes

omnino ſectæ exponunt ſcripturam, & quæſtio eſt vtra ex omnibus melius exponit.

§. VI. Non etiam recta Sacramentorum adminiſtratio bene oſtendit Eccleſiam credituris, ob eaſdem rationes. quæreret infidelis quæ ſint iſta Sacramenta? & vnde conſtet ea eſſe talia? vt hoc ſciat, debet inſtituere examen ſcripturæ, quæ ſecundum reformatos eſt regula totius veritatis; debet igitur videre originalia, percurrere verſiones, conferre ſenſus, & expoſitiones, ac tandem determinare per ſeipſum quid ſit verbum Dei, quæ verſio legitima, quis genuinus ſenſus, qui articuli neceſſarij, quæ vera, & legitima Sacramenta, vt ſciat prædicationem verbi, & Sacramentorum adminiſtrationem eſſe legitimas Eccleſiæ notas. ergo debet Turca, Hebræus, Paganus prius eſſe chriſtianus, quam ad Chriſtianos accedat. quid interim fiet de illis, qui hæc per ſe ſcire non poſſunt, vt ſunt pueri, rudes, opifices, mulieres, ignari litterarum, & ſimiles? nemo enim tenetur fidem adhibere dictis Eccleſiæ, niſi prius ei conſtet eam eſſe veram Chriſti Eccleſiam; ſed infidelibus, ignaris, rudibus, ac imperitis, nunquam ex prædictis notis poterit conſtare, quæ ſit vera Eccleſia, niſi prius inſtituant ſupradictum examen, quod ipſis eſt impoſſibile; multo minus ex fide, Sanctitate, ſeu munditia interna, ſeu, vt ait confeſſio VVittembergica, ſermo Chriſti demonſtrans Eccleſiam, quæ coram Deo ſit munda; quia ſcilicet, inquit eadem, *ſermo ille mundat audientes*; ſed Eccleſia eſt munda coram Deo, ſecundum eandem: ergo ſermo iſte demonſtrat vbi ſit Eccleſia, ergo ſi demonſtrat quia mundat, igitur ei demonſtrat, coram quo mundat. ſed iſta confeſſio dicit, quod mundet coram Deo: ergo ſermo iſte ſoli Deo demonſtrat Eccleſiam, non humano generi. munditia enim iſta eſt abſcondita, vti eſt fides, & Sanctitas interna; ergo non poteſt eſſe nota manifeſtatiua Eccleſiæ; quod ſi Sanctitas huiuſmodi, non poſſit eſſe nota Eccleſiæ, quia eſt quid occultum, certe nec Verbum Dei erit idcirco ſignum, eo quod Sanctificet præciſe. deinde ſi non nouero Eccleſiam, à qua Verbum, & ſermonem iſtum Chriſti recipiam, ipſum Verbum, non erit mihi ſignum, cum prius debeam certificari, an ſit Verbum Dei.

§. VII. Concludo igitur mortales excuſari ab obedientia præſtāda reformatis Eccleſijs, nec vllum poſſe illis credere citra damnationis æternæ periculum, niſi prius per ſeipſos ſine vllo duce, interprete, doctore, ſciant quæ ſint ſcripturæ canonicæ, quæ apocryphæ, quæ pura verſio, quis ſenſus, quæ Sacramenta obligent,

qui

qui ſint articuli neceſſariò credendi, qui non; quæ ſint præcepta euangelij, quæ conſilia: non poteſt enim crediturus dijudicare, quę ſit ſincera prædicatio Verbi Dei, niſi prius cognoſcat, quod ſit ipſum Verbum Dei, quis eius ſenſus: ſi dicant audiendos eſſe prædicatores, hoc diſt. ſeq. diſcutietur: ergo tandem Eccleſia, quam reformare, vel reſtituere voluerunt prætenſi reformati, velut irreperibilis, & inacceſſibilis, adhuc iacet in tenebris, & vmbra mortis. Sed quia addunt plerique arcanam electionem, & ſanctitatem internam, ſit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Prætenſio, qua reformata religio, vult haberi vera Eccleſia, deſtruitur per illas ipſas notas, quas aſſignat.

§. I. REformati ſibi ipſis, more ſuo, ſemper contrarij, aliquãdo fatentur in vera Eccleſia eſſe bonos, & malos, electos, & reprobos; aliquando negant: vt ſic negotium Romanæ Eccleſiæ faceſſant. Dicunt proindè iuxta hanc alteram contradictionis partem, veram Eccleſiam continere tantummodo bonos, & electos; nullo autem modo malos, vel reprobos, adeoque rurſus pro notis Eccleſiæ ſubſtituunt ſanctitatem internam, & arcanam electionem. ſit ita. Sane vt quis per has ipſas notas inueniat Eccleſiam, debet habere reuelationem diuinam, & vt ordiar à ſanctitate, tota hæc ſecundum reformatos, ita eſt ab intus, vt foras per bona opera non prodeat, cum omnibus bonis operibus valedixerit religionis reformatæ praxis, & profeſſio, cum totam ſanctitatem conſtituat, in ſola fide apprehendente iuſtitiam imputatam Chriſti; ſed imputare iuſtitiam Chriſti eſt libera actio diuinæ voluntatis, Dei vtique miſerentis, quam nemo pro hoc ſtatu, ſine ſpeciali reuelatione, ſcire poteſt, niſi quis per ſummam arrogantiam, iactaret ſe penetrare arcana Dei ſecreta. Neque iſta reformatorum fides oculis, vel intellectibus humanis patere poteſt, citra notitiam ſupernaturalem. Nunc ergo ſi nec ſanctis, nec Angelis in cælo regnantibus, concedunt prætenti reformati, cognitionem orationum noſtrarum, quomodo mortalis vllus ſciet fidem, vel ſanctitatem in alterius animo latentem? quomodo poterit arcana diuini intellectus, vel placita voluntatis diuinæ intueri?

§. II.

§. II. Rurſus hæ notæ deſtruunt omnem prætenſionem religionis reformatæ,ad titulum veræ Eccleſiæ; vel enim loquuntur prætenti reformati de ſanctitate mere interna, vel de ſanctitate, quæ producit exterius fructus bonorum operum. ſi de ſanctitate interna ſoli Deo nota; igitur nemo mortalium ex iſta occulta ſanctitate, poteſt peruenire ad notitam Eccleſiæ. ſi de ſanctitate proferente fructus bonorum operum, ſeipſos iugulant reformati, quòd hæc opera calumnijs, & dicterijs inſectentur, damnentque vota monaſtica, ieiunia, peregrinationes, conſiliorum euangelicorum obſeruantiam, reducentes totam ſanctitatem ad ſolam fidem: rurſus fatentur ſe peccatores eſſe, vt diſt. vltima huius partis videbimus, quod omnium reformatorum nomine diſerte fatetur Synodus Dordracena cap. 5. de perſeuerantia ſanctorum art. 3. 4. & 5. id ipſum fatetur formula confeſſionis generalis Caluiniſtarum: item, & Proteſtantium Angliæ, nec non Catechiſmus Genuenſis Dominica 32. & Palatinus queſt. 60. idem tenent confeſſiones reformatæ paſſim. tunc ſic: vel ſincere loquuntur in caſu reformati, vel ficte? Si primum, ergo ex ore proprio ſunt ſceleſtiſſimi peccatores, adeoque non ſunt Sancti, & conſequentur ſi vera Eccleſia conſtet dumtaxat ex ſanctis, vt volunt reformati, ipſi non ſunt membra veræ Eccleſiæ: ſi autem ficte loquuntur, dum aiunt ſe eſſe peccatores, adhuc ſunt dupliciter peccatores; primò quòd ob inſolentem ſuam ſuperbiam nolunt reuera ſe reos peccati agnoſcere, ſecundò quod mentiantur ore, id quod mente negant. igitur, vel ſoli ſancti non ſunt membra Eccleſiæ, vel ſi ſint; reformati, vtpote ex ore proprio ſceleſti peccatores, non ſunt de gremio Eccleſiæ.

§. III. Pergo ad alteram notam, nempe arcanam Dei electionem, quæ vtique cognitioni humanæ non patet, vt fatetur confeſſio Anglica art 17. & fateri tenentur alij reformati: nam quæro, vel eſt euidens, hos aut illos determinatos homines, hanc aut illam determinatam congregationem v. g. reformatam eſſe electam, ac prędeſtinatam, vel non eſt euidens? ſi eſt euidens, peto vnde id conſtet? quandonam, vbi, vel cui ex reformatis id Deus reuelauit? quomodo id orbi terrarum patebit? certe niſi Deus ipſe id aperiat, erit interim myſterium abſconditum ab humanis oculis: ſi autem de nullo id determinate ſit euidens, nemini poterunt prætenti reformati ſuam religionem ſuadere, quandoquidem non ſint certi ſe eſſe membra Eccleſiæ, cum neſciatur an ſint electi, vel prædeſtinati. Rurſus vel reformati ſciunt,

II 2 qui

quinam ex tota generis humani maſſa ſunt electi, qui reprobi, vel non ſciunt? ſi ſciunt, non debent eos docere, vel procurare, vt ad reformationem tranſeant, cum iam ſecundùm hoc reformationis dogma, ſint membra Eccleſiæ, hoc ipſo, quo ſunt electi: ſi ſciunt eos eſſe reprobos, nec etiam eos docere debent, quos nunquam ſaluandos eſſe norunt: ſi vero id non ſciunt, igitur fatentur arcanam electionem, non eſſe notam diſtinctiuam Eccleſiæ: atque adeò ex interna ſanctitate, & arcana electione non eſt reperibilis Eccleſia; notæ ſiquidem manifeſtatiuæ rei, debent eſſe certæ, determinatæ, ab omnibus communiter admiſſę, omni, ac ſoli, & ſemper conuenientes. prædictæ autem notæ, non ſunt certæ, nec determinatæ, cū á nobis percipi certò non poſſint.

§. IV. Nec eſt, quod iterum recurrant ad puram prædicationem, aut legitimam Sacramentorum adminiſtrationem; nam infideli quęrenti Eccleſiam, non poſſent reformati reſpondere niſi per æque ignotum, ſic ſcilicet procedendo: vera Eccleſia eſt illa, quæ purum Dei verbum prædicat, & Sacramenta rite adminiſtrat. ſed replicabit ille, quodnam eſt iſtud verbum, & quæ ſunt illa Sacramenta? quis me certiorem reddet de iſtius verbi canone, verſione, ſenſu, vt ſciam an vos illud ſincere prædicetis, & Sacramenta ritè adminiſtretis, præſertim cum de his capitibus, inquiet, audiam inter chriſtianos, diſſenſiones implacabiles? debet ergo ille per ſe inſtituere examen doctrinæ, & articulorum; adhoc autē debet ſcire omnes linguas tam originales, quam vulgares, ex quibus, & in quas facta eſt verſio, vt ſciat vbi ſit pura prædicatio, & recta Sacramentorum adminiſtratio. Nec item eſt, quod reformati dicant verbum Dei tam clarum, tam perſpicuum eſſe, vt ſe ipſo dignoſcatur: nam replicaret infidelis ille, ſe nunquam audiuiſſe de luce vllam contentionem dicentium, vel negantium, lucem eſſe lucem, eſſe noctem, vel lapidem; ſed bene ſe audire infenſiſſimas diſcordias de verbo Dei, de eius canone, & integritate, de legitimo ſenſu, de articulis neceſſarijs, & non neceſſarijs: rurſus, inquiet, nemo ad dignoſcendum lucem, inſtitutiones componit, nemo commentarios, nemo varias, & varias expoſitiones, & verſiones exarat; ſed de prædictis inueniuntur apud chriſtianos infinita volumina: ergo ipſimet, inquiet, non iudicant illud verbum eſſe conſpicuum, adeoque factis probant ſcripturas non eſſe claras: ergo à primò ad vltimum, niſi priùs habeatur reuelatio de prædeſtinatione, & ſanctitate reformatorum, notitia de verbo Dei, de præceptis, articulis, Sacra-

mentis neceſſario credendis, obſeruandis, ſuſcipiendis, nunquam reformata religio poterit, per eiusmodi notas demonſtrare veram Eccleſiam, aut ſe eſſe illius Eccleſiæ membrum. ſed forte aliquam lucem à ſuis doctoribus mendicabunt.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo ex initio, & progreſſu reformationis euincatur, eam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam

Qualis cauſa, talis effectus, qualis rex, talis grex, quales parentes reformati, talis proles, cum omne agens quærat producere ſibi ſimile: *numquid*, enim inquit Chriſtus Math. 7. *Colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor, malos fructus facit*. qualis ſit religionis reformatæ progenies, ex primorum ſuorum parentum qualitatibus licebit colligere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Primos religionis reformatæ inſtitutores, & profeſſores, non fuiſſe doctores veritatis, ſed inſtrumenta perditionis, fatetur ipſa prætenta reformatio.

§. I. NOn de lana caprina, non de re leuis momenti lis eſt inter chriſtianos, in hac religionis cauſa, ſed de negotio ſalutis æternæ, vel obtinendæ, vel perdendæ; intereſt proinde hominis de ſua æternitate ſolliciti, penitiùs inſpicere reformatæ religionis altiora principia, & ſerio ſcrutari, an ad ſaluandas, an potius ad mactandas, & perdendas in gehennam oues Chriſti, venerint prætenſæ reformationis primi inſtitutores: nam vt dixi ſupra, quales ipſi fuerunt, tales poſteros, talem ex ſe religionem genuiſſe merito credendum eſt. Suis ergo ſe pingentes coloribus, ſuo ſe commendantes elogio, audiamus.

§. II. Lutherus ergo, protoparens religionis reformatæ, *cuius voce*, inquit Saxonica confeſſio, cap. de remiſſione peccatorum, *perſpicue reſtituta eſt euangelij doctrina*: quanto ſyndereſis remorſu, molem iſtam nouæ reformationis aggreſſus ſit, ipſe teſtatur tum

in alijs operum ſuorum locis, tum præſertim lib. de abroganda miſſa priuata: *quoties*, inquit, *mihi palpitauit tremulum cor, & reprehendens obiecit, eorum fortiſſimum, & vnicum argumentum, tu ſolus ſapis? totne errant vniuerſi? tanta ſæculorum ſpatia ignorarunt? quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter.* & tomo 5. annot. breuiſſ. parobola 3. de grano ſynapis, iterum recalcitrat Lutheri ſynderesis acriter inculcans, *nunquid tu ſolus, & nihili homo, tam grandia tentas? quid ſi tu vnus pecces? ſi tot, tantos, & omnes errare permittit Deus, quid ſi & te vnum permittat errare? huc pertinent illa argumenta: Eccleſia, Eccleſia, patres, patres, concilia, conſuetudo, multitudo, magnitudo hominum ſapientium: quem non obruant montes iſti argumentorum, & nubes, imo maria exemplorum?* Sed cur infælix Lutheri animus, tot rationum ictibus impetitus, tot ſtimulis mordentis conſcientiæ agitatus, non ceſſit veritati? reſpondet Lutherus ipſe, tomo 3. Germ. Ien. fol. 338. *à ſæculo non eſt auditum, vllum falſum doctrinæ inuentorem fuiſſe conuerſum*: quare? *quia*, inquit, *nimis grande eſt iſtiuſmodi peccatum, & in Spiritum Sanctum: itaque Deus illos indurari permittit.* profitetur ergo ſe in cæpto, vt hæreticum, peccato in Spiritum Sanctum induratum eſſe: quo autem duce, & monitore, iſtam tragædiam inceperit, perfeceritque, declarat ipſe tomo 7. VVittenberg. & in lib. de miſſa priuata, & vnctione ſacerdotum, & tom. 6. Ien. nempe dæmonem ſibi apparuiſſe, cum eo argumentatum fuiſſe, eiuſque argumentis conuictum, ſe renuntiaſſe miſſæ.

§. III. Rurſus in colloq. Iſleb. fatetur, ſæpius ſe oppreſſum à Satana. & alibi ait frequentius dæmonem cum illo condormiſſe, quàm ſuam Catharinam: diaboli ergo diſcipulus fuit Lutherus, ſi ipſi Luthero fides adhibenda. quod factum, quia negare non potuit, defendit Ioannes Regius in lib. apologet. pag. 123. Hoſpinianus in tabula alphabet. verbo colloquium. Fridericus Balduinus apud Nicolaum Serrarium: adeo verum eſt, nullam inſaniam, nullam fatuitatem reperiri ſine patrono. Doctrina igitur Lutheri verbo diaboli nititur: quotquot igitur Lutheram pro magiſtro agnoſcunt, diabolum protomagiſtrum agnoſcant neceſſe eſt. VVitakerus autẽ nomine reformationis Anglicanę, ad octauã Edmundi Campiani rationem pag. 155. *Lutherum*, inquit, *libenter, vt patrem veneramur, & Lutheranos vt fratres in chriſto chariſſimos amplectimur.* Vnde Puritani in exam. lib. publ. precum pag. 62. indignantur, *Lutheraniſmum, per Angliam in aula, ciuiciſque ſuggeſtis impune euulgari*. Caluiniſtæ Galli in ſynodo nationali Cha-

rentonenſi anno 1631. declarant poſſe Lutheranos ad ſuam communionem admitti, Caluinum ipſum imitati, qui primò Bituricis, vnum ex Lutheri diſcipulis magiſtrum habuit: deinde Lutherum ipſum. Sed luculentum eſt de vtriſque Lutheranis ſcilicet, & Caluiniſtis, Dauidis Paræi teſtimonium, in prælect. catech. ad hanc Lutheranorum obiectionem reſpondentis, *Doctrina Caluiniſtica de euchariſtia, à dæmone, qui eam Zuinglio inſpirauit, exorta eſt: ergo non poteſt eſſe vera.*

§. IV. Retorquet Paræus argumentum, dicens: *Doctrina quoque Lutheranorum de abrogata miſſa, eſt etiam à dæmone inſpirata: ergo ſimiliter non poteſt eſſe vera.* Vtrimque igitur fatētur reformati, diabolum fuiſſe ſuum magiſtrum, vti & Zuinglius tomo 2. lib. de ſubſidio euchariſtico fol. 249. & ea recitat Fulco contra defenſionē cenſuræ. p. 249. & 250. de Carolſtadio lib. inſcripto *coniuratio ob diſciplinam prætenſam* pag. 83. dicitur, *Carolſtadius multum tribuit doctoribus Angularibus.* &c. idem ſentit Lutherus locis citatis de Empſero, & Oecolampadio, quos his ictibus horribilibus ſubito exſtinctos fuiſſe credit. conſonant ergo primi reformatores, de primo prætenſæ reformationis authore, ſeu magiſtro diabolo, quibus recte dicemus cum D. Auguſt. tract. 42. in Ioan. *Si quod dicis à diabolo accepiſti, & diabolo credidiſti, mendax es.* Sed replicant reformati. Sit ita, & concedatur Lutherum diaboli fuiſſe diſcipulum, dogmata à diabolo accepta, per ſcripturas ſunt probata, ita Balduinus: ſed contra inſtat Sanctus Hieronymus tom. 3. contra Luciferianos, *nec ſibi blandiantur*, inquit, *ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt; cum & diabolus aliqua de ſcripturis ſit locutus.* Vel ergo diabolo aliquid ex ſcriptura ſuggerenti credendum, vel non? ſi primum, quæſo, cur Chriſtus diabolo ſuggerenti, & ſuggeſtionem ſuam per ſcripturam probanti, noluit obedire. ſi ſecundum; ergo nec diſcipulis eius, doctrinam à diabolo acceptam, & ſcripturæ textibus coloratam proponentibus, credendum eſt. quotquot igitur Lutheri ſententiæ adhærent, diabolicam ſententiam ſequuntur, & diabolum protomagiſtrum habent.

§. V. Hicne ergo eſt ille Lutherus, quem Pouellus vocat *ter Sanctum*, Iuuellus *à Deo miſſum ad illuminandum orbem*, Foxius *alterum Eliam*. Spanbergius *proximo poſt Chriſtum, & Paulum, loco collocandum*; Maſculus *maximum poſt Apoſtolos*? hæc ſunt encomia, quibus reformati celebrant hunc diaboli diſcipulum. non igitur horreant audire, quid ipſe de reformatis ipſis ſentiat,

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

quos Sibrandus paucis complectitur, lib. contra Fauſtum Socinum in epiſt. dedicat. *Subijcio*, inquit, *hunc librum iudicio Sanctæ, & orthodoxæ Eccleſiæ, quæ Auguſtanam, Helueticam, Gallicam, Britannicam, & Belgicam confeſſiones ſequitur*. quid ergo ſentiat Lutherus de Heluetice confeſſionis profeſſoribus, declarat tom. 2. VVittenberg. fol. 381. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Zuinglianorum, nec ſedet in cathedra Tygurinorum. habes, quod ſentiam*. & paulo ante, *maledicta ſit charitas, & concordia cum ſacramentarijs, per omnia ſæcula ſæculorum*. nec id diffitentur in confeſſ. orthodoxa Eccl. Tygur. tract. 3. ipſi Zuingliani: *nos condemnatam, & execrabilem ſectam vocat*. Magnus igitur Lutherus maledictam declarat eſſe concordiam, cum Heluetice confeſſionis profeſſoribus, quin, & Anglicanæ reformationis authores ferit Lutheri cenſura, nempè Sereniſſimum Henricum lib. contra Angliæ regem tom. 2. VVitten. *Vecors, & muliebris eſt ſtolidi Regis inuidia, & neſcio an ipſa mania, ſic inſanire poſſit*: ſic Lutherus quem VVitakerus patrem veneratur, quem proteſtantes Angli olim ter ſanctum vocabant. quis hic audiendus, an Lutherus, an Henricus? neuter, ſi vtrique fides habeatur. non Henricus, ſi audiatur Lutherus; non hic, ſi audiatur Henricus; qui illum in ſua ad eum epiſtola, ſacrilegum apoſtatam vocat: imo ipſam ſereniſſimam Eliſabetham, alteram reformationis ductricem, in actis parlamentaribus anni 1536. declarat ſpuriam; & matrimonium ſuum cum Anna Bolena nullum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§.6. Sed quid de Lutheri non vltima cura, ſcilicet prole Lutherana? Reſpondet Andreas Muſculus ſerm. de dominica aduentus. *Cum nobis Lutheranis ſic ſe res habet, ſi quis nebulonum cuneum &c. videre cupiat, adeat vrbem aliquam, in qua euangelium purum putum annuntiatur, & ibi copioſam eorum multitudinem inueniet: luce enim clarius eſt, nunquam inter ethnicos, Turcas, aut infideles, inuentos eſſe magis effranes, magiſque à virtute, & probitate alienos, quam nunc inter Euangelij profeſſores inueniuntur*. Et Symon Paulus ſuperintendens in ſerm. dom. 13. poſt Trinitatem. *Væ tibi Lubecca, væ tibi Hamburgum, væ tibi Roſtochium, væ vobis omnibus, quotquot ditio hæc continet, quia verbum Dei turpiter negligitis; & tu Saxonia, licet ad cælum vſque exaltata ſis, in Infernum tamen detruderis*. Caluinum manu Dei percuſſum fuiſſe, & dæmone inuocato, miſeram animam exhalaſſe, ait Conradus Schluſelb. Lutheranus, in Theologia Caluiniſt. pag. 72. Puritanos peiores eſſe montanis, & limitaneis latronibus, ait Sereniſſimus Rex Iacobus in monitoria

præfat.

præfat. Puritani vocant Proteſtantes, Epiſcopos Diaboli.

§. VII. Quæſo nunc, quid hic faciat catechumenus? quid crediturus in Chriſtum? qui altius repeteret prætenſæ reformationis initia, an ſecurè, an citra erroris, imo & damnationis æternæ periculum, credere poſſet doctrinæ à Diabolo ſuggeſtæ, vel à Diaboli diſcipulis propoſitæ? an recte Eua Diabolo credidit? an recte Iudas eidem obedijt? Lutheranis credere vetant Zuingliani, ſubinde, & Caluiniſtæ; his credere vetant Lutherani: fidem habere Proteſtantibus, prohibent Puritani: his acquieſcendum negant Proteſtantes: ergo cum certiſſime conſtet Dæmonem eſſe iuratum hoſtem generis humani, & iam ex dictis pateat, fuiſſe doctorem primorum reformatorum, certe vti ipſe eſt Author totius mali, ita ipſius diſcipuli ſimiliter, non doctores veritatis, ſed inſtrumenta perditionis fuere. Proinde ſi Diabolo credere nefas ſit, ſane nefas etiam erit Luthero, Lutheranis, vel quibuſuis cum eis communionem præ ſe ferentibus, Caluiniſtis, Puritanis, Proteſtantibus &c. præſtare fidem: ſed ne rurſus ad multitudinem, ad Eccleſiam, ſeù ſynagogam ſuã nos vocent reformati, ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Prætenta Reformatio ex proprijs principijs fatetur ſe ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe ſynagogam Satanæ.

§. I. AVdit crediturus aliquis altiſſima Eccleſiæ elogia in Sacro codice Mat. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Sicut ad Tim. 3. *Eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis.* Dan. 2. *Regnum quod in æternum non diſſipabitur.* Iſaiæ 60. *Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur; Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.* Mat. 18. *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & Publicanus.* Contemplatur iſta crediturus, & ſerio perpendit, an fuerint ſemper vera iſta oracula à morte Chriſti, necne? ſi vera fuerunt, falluntur ergo (inquit) & fallunt Reformati, qui dicunt iſtam Eccleſiam erraſſe, ac reformatione indiguiſſe; ſi non fuerunt vera, inquiet: igitur fabulas, & commenta tradiderunt Prophetæ, Scriptores Canonici, imo (quod horrent aures audire) Chriſtus ipſe.

§. II. Ve-

§. II. Vera tamen fuiſſe, legit apud ipſos Reformatos in ſuis confeſſionibus, in Auguſtana ſc: art. 7. docent *quod vna, Sancta Eccleſia perpetuò manſura ſit.* In VVittembergica tit. de Eccleſia. *Credimus, & confitemur, quod vna ſit Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, quod hæc Eccleſia, à Spiritu Sancto ita gubernetur, vt, etſi ſinat eam eſſe in terris imbecillem, conſeruet tamen eam perpetuò ne erret, vel erroribus, vel peccatis pereat.* In Heluetica priore cap. 17. *quando Deus ab initio, ſaluos voluit fieri homines, & ad agnitionem veritatis venire; oportet omnino ſemper fuiſſe, nunc eſſe, & ad finem vſque ſæculi Eccleſiam, ideſt, e mundo euocatum, & collectum cætum fidelium.* In Argentinenſi capite 15. *Eccleſia ſponſa Chriſti prædicatur, domus Dei, columna, & ſtabilimentum veritatis: hunc regit Spiritus Sanctus, huic Chriſtus nunquam abeſt.* In Saxonica cap. de Eccleſia, *Deus ſemper in genere humano, cætum eſſe voluit, cui tradidit doctrinam de filio, in quo filius inſtituit, & conſeruauit miniſterium cuſtodiendæ, & propagandæ eius doctrinæ.* In Belgica art. 27. *Credimus, & confitemur vnicam Eccleſiam catholicam*, & infra: *hæc porrò Eccleſia ab initio mundi fuit, & vſque ad finem mundi perdurabit, vt ex eo apparet, quod Chriſtus Rex æternus eſt, qui ſine ſubditis eſſe nequit.* In Scotica art. 16. *Sicut vnum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum credimus, ita etiam ab initio fuiſſe, & nunc eſſe, & in conſummationem vſque mundi, futuram vnam Eccleſiam conſtanter credimus.* In cathechiſmo Reformationis Anglicanæ fatente Eccleſiam tam catholicam, ideſt, vniuerſalem, vtique per omnia tempora, & loca. In Gallica art. 5. admittente tria Symbola, & conſequenter Nicænum decernens, Eccleſiam eſſe vnam, Sanctam, catholicam, ſeù perpetuam, & Apoſtolicam.

§. III. Conſiderat etiam iſta, veritatis aſſequendę cupidus, & quærit, num vere loquuntur in prędictis confeſſionibus Reformati de Eccleſię perpetuitate, an ficte? Si ficte, ſunt, inquiet, Impoſtores, quod aliud ore, aliud corde ſentiant, & loquantur; adeoque eiuſmodi impoſtoribus nemo fidem habere debet, pręſertim in re tanti momenti; ſi autem vere loquantur, inferet: igitur nunquam defecit, nec errauit Eccleſia: igitur iſta reformatio eſt ſciſmatica. rurſus ſi errauit Eccleſia, tum ſic; vel iſta Reformatio eſt noua, vel antiqua, inquiet; ſi noua, non poterunt ei competere, vel citata ſcripturæ loca, vel Reformatorum in ſuis confeſſionibus locutiones, cum tam illa, quam hæ, agant de Religione, & Eccleſia perpetuo durante, & duratura: ſi antiqua, & ſemper durans eſt iſta reformatio, quomodo vocatur noua? quomodo dicitur

dicitur reformatio, vel reformata iſta Religio, quæ vtpote indefectibilis, nunquam deficere, vel errare potuit: atque adeò neque reformari? hic ſurſum, deorſum, & in varias ambages torqueantur Reformati neceſſe eſt. Si enim inſiſtant prædictis ſuis de perpetuitate Eccleſiæ ſententijs, actum eſt de reformatione, cum infallibilis, & indefectibilis Eccleſia nunquam debuerit, aut potuerit reformari: Si retractent præfatas ſententias, actum eſt de confeſſionibus, & rurſus de ipſa etiam reformatione, quæ eiſdem confeſſionibus, velut baſibus innitur, cum reformati eas repudient hoc ipſo, quod dogmata in eis contenta pernegent. Quid conſilij nunc capiendum Reformatis, ſi vera loquuntur confeſſiones? ſciſmatici ſunt. Sed ne hoc fateantur, malunt ſuas confeſſiones erroris damnare, imo & Chriſti negare oracula.

§. IV. Quare in eam eunt ſententiam, quę aſſerit viſibilem Eccleſiam erraſſe, & veram latuiſſe abſconditam, ita tenet VVitaKerus ad rationes P. Campiani. Daniel Camierus in. ep. Ieſuit. parte 2. Nutterus profeſſor VVittenbergicus pag. 377. PerKniſius in expoſitione ſimboli. Fulco contra Stapletonium, & Martialem pag. 25. Napperus in Apocalipſim, dicens: Eccleſiam mille quadringentis annis latuiſſe abſconditam. Hamelmannus de traditionibus col. 406. aſſerens: ſtatim à morte Sancti Ioannis Apoſtoli cæpiſſe defectiones in Eccleſia. Centuriatores Magdeburgenſes paſſim in ſuis centurijs. Beta in Epiſt. Theol. 9. epiſt. 1. Lutherus, & Caluinus paſſim. Miratur iſtas contradictiones proſelytus, quod Doctores reformati his ſymbolis contraria ſentiant, ita vt quocunque ſe vertant, ab impoſtura ſe excuſare nequeant, nam ſi vera loquuntur confeſſiones, falſa proferunt præfati Doctores; ſi autem hi vera loquuntur, falſa proponunt confeſſiones: ſi recte ſentiunt, magiſtri ſunt impoſtores, quod contraria in confeſſionibus aſſerunt. Si bene loquuntur confeſſiones, adhuc reformati ſunt impoſtores, quod eorum Doctores oppoſitum dicunt. Sed hic forte poſticum aliquod quęrent, per quod ex tam arctis ergaſtulis, ex tam implexo labyrintho euadant reformati.

§. V, Prodit ergo VVitaKerus de Eccleſia pag. 165. inquiens, *Stapletonius ait Caluinum, & nos dicere Eccleſiam veram fuiſſe in papatu, ſed Papatum non fuiſſe Eccleſiam; id quidem nos dicimus.* Amandus Polonus in partit. Theol. lib. 1. pag. 152. *porro hæc Eccleſia Antichriſti, eſt in vera Chriſti Eccleſia, ſed non eſt vera Chriſti Eccleſia.* Bucanus in locis communibus, loco 41, dubium proponit,

quo-

quomodo Eccleſia olim tot ſæculis fuit in Papatu, cum Papatus non ſit in Eccleſia? Reſpondet Beta in Epiſt. Theol. Epiſt. ſup. *voluit Deus in Papatu ſeruare Eccleſiam, & ſi Papatus non eſt Eccleſia.* Idem habet Piſcator in volum Theſium Theol. lib. 23. *Agnoſcimus ante hoc fuiſſe, atque nunc ex parte eſſe Eccleſiam, etſi Papatum Eccleſiam eſſe pernegemus.* PerKinſus in Catholico reformato pag. 329. gloriatur ſe impoſuiſſe ſilentium Papiſtis hac reſponſione: *Quærentibus*, inquit, *à nobis vtrum Eccleſia noſtra eſſet, quadraginta ante Lutherum annis? Reſpondetur, noſtram quidem iam inde ab Apoſtolorum tempore extitiſſe, idq; in medio Papatu.* Ergo, inquam ego, Papatus fuit ab ipſis Apoſtolorum temporibus, fatente PerKinſo. Item pag. 328. *vera*, inquit, *Eccleſia in medio ipſius Papatus latuit*. Eundem loquendi modum habent plures alij Reformati. Audit rurſus iſta Proſelytus, *Eccleſia latuit in Papatu, & Papatus non eſt Eccleſia.* Vrget ſuum dilemma, vel vera ſunt, quæ alias pretenti reformati dixere de vniuerſali Eccleſiæ Apoſtaſia vel non? ſi primum; iam nullibi exiſtit reformatio, vbi vniuerſalitas defecit à Chriſto, vt volunt reformati: ſi non ſunt vera, vnde ergo pullulauit iſta reformatio Eccleſię, quę nunquam defecit? ſi eadem ſemper fuit doctrina, ijdem articuli, vnde tot confeſſiones reformatæ, & tam diuerſæ? Reſpondet Oſiander in ſuis Epiſt. centur. 16. parte altera. Eccleſiam latuiſſe in Papatu, ſed non auſa fuit Religionem ſuam palàm profiteri, & Centur. 8. in Epiſt. ded. ait coluiſſe externos ritus, & mores velut eſtro abreptam. Idem ait Napperus in Apocal. Iuſtus Molitor contra Bellarm., & alij.

§. VI. Volunt ergo reformati latuiſſe ſuam Eccleſiam reformatam, fidemque ſuam occultaſſe, licet coluerint externos ritus, & mores ob tyranidem, & metum perſecutionis. Vnde manifeſte infertur prætentam reformationem toto illo tempore, quo fingunt reformati eam latuiſſe, fuiſſe ſynagogam Satanæ, & conuenticulum hæreticorum. Stante enim falſa ſuppoſitione reformatorum de lapſu Eccleſiæ, Quid magis impium, magis diabolicum, quam erubeſcere Chriſtum? Simulare eius fidem? nolle ipſum externe confiteri? colere inſuper ritus, & mores corruptos, pernicioſam doctrinam? Stante eorum hypotheſi de erroribus Eccleſiæ, Quid eſt eſſe ſynagogam Satanæ niſi hoc ſit? Nonne qui ritus Turcicos, cum Turcis, Iudaicos, cum Iudæis, Paganicos cum Paganis, profiteretur eſto interius aliud ſentiret Turca, Iudæus, Paganus eſſet habendus? Si ergo iſtas abominationes in-

D cim-

cimmerijs illis Eccleſiæ tenebris, quas fingunt reformati colebat prætenſa reformatio, non Eccleſia Chriſti ſed Babylonica meretrix, ſynagoga Satanæ, Cathedra peſtilentiæ eſſe, & haberi debuit, nam vt inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum Idolis? propter quod exite de medio eorum dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Cur ergo cum tenebris, cum Belial, communicauit turma reformata? Aſt, inquiunt Reformati, non audebat reformatio ſuam Religionem palam profiteri. Ita ſcilicet vt liceat reformatis, blaſphemare Chriſtum cum Iudęis, negare eius diuinitatem cum Arianis: aſſerere mundum eſſe à Diabolo factum cum Manichæis &c. ſi metus perſecutionis, vel alterius mali illis immineat.

§. VII. Et tamen Chriſtus Mat. 10., & Apoſtolus ad Rom. 10. exigunt confeſſionem externam, adeoque membra veræ Eccleſiæ debent vrgente præcepto ſe manifeſtare, vt tam fide, quam moribus ab Infidelibus diſtingui poſſint. ſi hęc igitur vera ſint, iam Eccleſia reformata non fuit Eccleſia Chriſti, niſi dicamus, quod idem ſint tenebræ, & lux, Chriſtus, & Belial. imò nec prætenſa reformatio tunc habuit externa ipſa ſigna, per quæ reformati prætendunt conſtitui Eccleſiam, nempe ſinceram verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, ſine quibus, ſecundum illos Eccleſia ſubſiſtere non poteſt; vt eorum confeſſiones paſſim aſſerunt; has, inquam, notas, tunc non habuit quando prætenditur à reformatis extitiſſe reformationem, quia ſcilicet latuit abſcondita, non auſa palam confiteri Chriſtum, colere eius Religionem, prædicare fidem, adminiſtrare Sacramenta; quandoquidem, vt ait Oſiander, reformatio quaſi æſtro abrepta coluerit prohibitos ritus, & mores: caruit ergo illis ipſis notis, quibus ſecundũ reformatos deſignatur Eccleſia. Vnde concludo hoc dilemmate: vel exiſtit Religio prætenſa reformata ante Lutheri tempora vel non? ſi exiſtit fuit ſynagoga Satanæ, quia coluit prohibitos ritus, nec palam profitebatur Chriſtum, nec habuit vllas Eccleſię notas, vt volunt ipſi reformati. Si non exiſtit ante Lutheri tempora, adhuc fuit, & eſt ſynagoga Satanæ, ſi vera ſunt oracula Chriſti, & Prophetarum de perpetuitate Eccleſiæ, vti ſunt veriſſima. Si item vera dicunt ipſi reformati in ſuis confeſſionibus de eadem perpetuitate: Si enim perpetuo durauit vera Eccleſia, noua certe dari nequit cum noua ab anti-

qua

qua Chriſti Eccleſia receſſerit neceſſe eſt; Si rurſus reformati velint ſuam reformationem eſſe antiquam illam Eccleſiam, adhuc etiam erit ſynagoga Satanæ, quæ pro libitu poteſt diſſimulare fidem, erubeſcere Chriſtum. Nec eſt quod recurrant ad incognitam electorum Congregationem, nam hoc iam refutatum eſt, & iterum ſecunda parte refutabitur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Prætenti reformati laudabili tandem palinodia, negant ſuam reformationem eſſe veram aut viſibilem Chriſti Eccleſiam.

§. III. QVi renunciaret omnibus prærogatiuis, ac manifeſtis Eccleſiæ Chriſti notis, vtique conuinceretur, etiam ipſi Eccleſiæ renuntiare: ſi autem ex dictis hucuſque oſtendero, ac ipſius prætenſæ reformationis principijs, prætentos reformatos his prærogatiuis, & ſignis renuntiare, facile patebit eoſdem renuntiare Chriſti Eccleſiæ, adeoque negare ſuam reformationem eſſe veræ Ecclesiæ membrum. Si autem, antequam vlterius pergam, coctam crambem iterum repetiero, & interrogauero ex prętentis reformatis nouane ſit, an vetus illa eorum reformata Ecclesia? quod tamen in re tanti momenti, vnde pendet ſalus æterna generis humani, expedit omnino ſcire. Hic certe vſque adeo ima ſummis, luci tenebras miſcent, vt nunc veterem, nunc nouam, nunc nec veterem, nec nouam: modo certis, & manifeſtis ſignis notam, modo nullis demonſtrationis notis affectam, nobis prętentam ſuam reformationem proponant. Quando enim vrgentur Chriſti, & Prophetarum oracula pro perpetua viſibilis Ecclesię duratione, & indefectibilitate, ne hac veneranda vetuſtate careat Religio reformata, libenter ſententiæ pro antiquitate ſtanti adſtipulantur; quando verò vrgentur: vnde ergo neceſſitas nouę reformationis Ecclesię perpetuo durantis, ac duraturę? mutant ſtylum, & reiecta vetuſtate, nouitatem ingenti clamore aſtruunt.

§. IV. Breuiter recolligo, quę hactenus dixi, nam, vt vidimus, reformati in ſuis confeſſionibus fatentur veram Chriſti Eccleſiam perpetuo duraſſe, & duraturam, ſed certum eſt prętentam reformationem, nonniſi ſub annum millesimum, quingenteſimum,

incępiſſe, vt confeſſiones reformatę paſſim teſtantur ; quę vtique illo ipſo tempore ex tenebris emerſerunt, nec eorum veſtigium, aut mentio apud vllum ſcriptorem inuenitur, imo quod peius eſt, ne vnus quidem articulus cõtrouerſus eorundem cũ Romana Ecclesia reperitur in ſcriptura, aut vllo Oecumenico; Cõc. atqui eatenus dicitur Ecclesia perpetua, & vtiq, inuariata, quatenus eandem fidem, doctrinam, & Religionis articulos inuariatos, inuiolatoſque perpetuo conſeruet, & colat. Rurſus licet reformati cogantur fateri ſuas congregationes eſſe visibiles, nullum tamen signum, nullam notam aſſignant, qua diſtinguatur ab alijs Congregationibus, in ratione Eccleſię; quaue demonſtretur doctis, & indoctis, rudibus, & infidelibus. non enim recte demonſtratur Ecclesia, per puram prędicationem, aut legitimam Sacramentorum adminiſtrationem, vt in pręcedentibus oſtendi. Nam vti prior eſt magiſter ſua diſciplina, Prędicator ſua prędicatione; Cauſa ſuo effectu, ita prior eſt Ecclesia, quoad noſtram notitiam, quam ſit eius doctrina, vel prędicatio. Atque adeo prędicti omnes debent ex aliquibus alijs signis prius inuenire ipſam Ecclesiam, deinde ab Ecclesia sic inuenta haurire puram doctrinam, & legitima Sacramenta; alias infideles deberent prius eſſe inſtructi de vera doctrina, & legitimis Sacramentis, quam inſtruerentur ab ipſa Ecclesia.

§. III. Non ergo reformati aſſignant vllas notas, quibus apud eos inueniatur vera Ecclesia. Rurſus neque hę notę poſſunt eſſe, vel interna ſanctitas, vel arcana electio; cum iſtiusmodi notę sint ſoli Deo manifeſtę. Si enim Ecclesia eſſet ſocietas electorum duntaxat, aut intrinſecè Sanctorum, nemo mortalium, citra reuelationem, poſſet eam ſocietatem dignoſcere, adeoque neque ipsis Miniſtris reformatis, qui ſeſe pro Paſtoribus legitimis ingerunt, & intrudunt, conſtare poſſet de ſuis pecoribus paſcendis, neque pecoribus de ſuis Paſtoribus paſcentibus. Quis enim mortalium poteſtiſtum electorum cętum diſcernere, vel ſecernere à ſocietate reprobata? quis ordinem, ſeriem, numerum electorum ad vitam ęternam intuetur? Cuinam ſecretus ille liber vitę reuelatur? ergo dum reformati ad tam abſtruſas notas reccurrunt, occludunt viã inueniendi apud eos vllam veram Eccleſiam. Rurſus quocunq; ſe vertant reformati, à nota ſchiſmatis ſe purgare non poſſunt, hoc ipſo quo fateantur perpetuam durationem Eccleſiæ; vel ſi hanc ſuam ſententiam retractant, debent ſe agnoſcere impoſtores, quod contraria dogmata proponant. Nec eſt quod ad extra-

ordina-

ordinariam vocationem confugiant, nam eiuſmodi vocatio damnatur ab ipſis reformatis in ſuis confeſſionibus paſſim, & synodis Nationalibus habitis in Gallia ab anno 1559. ad annum 163. Pariſijs, Pictauiæ, Aureliaci, Lugduni, & in synodis Belgicis celebratis Midelburgi, & Dordraci. Nullo modo ergo poſſunt prætendere apud ſe extare veram Eccleſiam, qui nullam veræ Eccleſiæ prærogatiuam, nullum ſignum manifeſtatiuum habent.

§. IV. Siſtendo igitur in ipſis reformatorum principijs, prætenſa reformatio non eſt vera Chriſti Eccleſia, nam hæc iuxta præfata principia eſt, ac ſemper fuit indefectibilis, & perpetuò viſibilis: prætenta reformatio ex eiſdem principijs, nec ſemper à morte Chriſti extitit, vt ipſe reformationis titulus clarè demonſtrat; nec item indefectibilitatis prærogatiua gaudet, cum non ſit de ratione illius Eccleſiæ, quam intendebant reparare, & reædificare reformati, eſſe indefectibilem, aut infallibilem; ſed potius fallacem, erroneam, mendacijs, & impoſturis obnoxiam. Nulla autem eiuſmodi eſt vera Chriſti Eccleſia: atque adeo cum Eccleſia reformata ex profeſſo ſit iſtis fallacijs, & mutationibus obnoxia; non erit vera Chriſti Eccleſia. Deinde in hac ipſa Eccleſia Chriſti, non datur locus amplius extraordinariæ vocationi, cum ſolius ordinariæ vocationis ſit vſus. Primi autem fabri reformationis nullam habuerunt ordinariam vocationem, nec aliam poſſunt prætendere, quam extraordinariam, quam ipſimet damnant in ſuis confeſſionibus, & synodis, quam Sarauia Lutheranus, de diuerſis miniſtrorum gradibus, vocat angulum anfractuoſum, & alij reformati authores eam expreſsè reprobant. Henoch Clephanus in antidoto. Lobecchius in diſp. Theol. Lutherus ipſe in locis communibus claſſe 4. cap. 20. & tom. 5. Ien. Bullingerus contra Anabaptiſtas. Piſcator in volum. Theol. hac ratione ducti, quod extraordinariam vocationem Deus ſemper miraculis illuſtrauerit, quam reformatis deeſſe, ipſi fatentur: ergo laudabili palinodia fatentur reformati, ſuam reformationem non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, cum ex profeſſo doceant omnia veræ Eccleſiæ ſigna, quibus ab humano genere agnoſceretur, eidem reformationi deeſſe. Pergo ad alia.

DISTINCTIO SECVNDA.

Prætenti reformati ex ſuis principijs agnoſcunt ſe in rebus Religionis Chriſtianæ docendis, omni prorſus authoritate carere.

NVſquam veriùs ineptiſſima nouitas incidit in foueam, quam fecit, quàm in eruenda e ſuis tenebris prætenſæ reformationis mole: quam, dum ex abnegata mortalium omnium in negotio ſalutis authoritate; ex relegata, & proſcripta docendi poteſtate, ex renunciato quouis magiſterio, auſpicati ſunt reformati, quid aliud aſſecuti ſunt, quàm quod proprio ore condemnati, ſe omni prorſus reformandi, prædicandique doctrinam Euangelicam facultate deſtitutos fateantur neceſſe ſit; & temerario auſu, non ſine manifeſta contradictione, ſeſe vſurpaſſe illud ipſum iudicandi munus, quod toti Dei Eccleſię, omnibus omnino hominibus, refractario ſpiritu negarunt? Vnde fit.

SECTIO PRIMA.

Quomodo reformatio negans omnem Eccleſiæ iuriſdictionem, vertit in ſe ſua molimina.

Trophęum victoriæ ſibi erexiſſe videbatur reformatio, ſi, vt Eccleſiaſticę auctoritatis iugum excuteret, omnem prorſus Eccleſiæ auctoritatem negaret. Qui ſtultus procedendi modus manifeſtè ſaltem demonſtrat reformatos ſuo ſe gladio iugulare, & reformationem eſſe temerarium tumultum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Nullus in negotio æternæ ſalutis eſt audiendus, etiam ſecundum ipſos reformatos, qui legitima docendi authoritate non pollet.

§. I. SEct. 1. art. 1. diſt. præced. Oſtendi nullam hominum Congregationem audiendam in rebus fidei, niſi conſtet eam eſſe veræ Eccleſiæ membrum. Nunc vlteriùs addo requiri, vt proponens doctrinam reuelatam, legitima polleat authoritate; cum enim credendæ veritates, non indoctas, & aniles fabulas, ſed ea potius ex quibus pendet æterna ſalus, contineant; nempe Deum iudicem, animam immortalem, vitam, & mortem æternam, legem ſub reatu damnationis æternæ obſeruandam. Hinc vt obligemur iſta credere, & obſeruare, requiritur in proponente docendi poteſtas, quam ego fuſiùs in 2. parte ex principijs non ſolum Chriſtianæ Religionis, ſed etiam ex ipſius prætenſæ reformationis dogmatibus oſtendam. Nunc eam breuiter claritatis gratia probo.

§. II. Et primo ex diuinis oraculis, ad Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Arguit Apoſtolus à maiori ad minus; ſi enim Chriſtus ipſe, qui eſt rex regum, dominus dominantium, caput humani generis, Sacerdos in æternum, iudex viuorum, & mortuorum, non ſeipſum ingeſſit in Sacerdotium, & Summum Pontificatum; Sed per vocationem, & electionem Dei Patris acceſſit ad hanc dignitatem, eamque à Patre collatam humiliter acceptauit, appellatus à Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech; ita multo minus nemo hominum debet propria auctoritate arripere ſibi docendi munus, vel iudicandi poteſtatem, in rebus Chriſtianæ Religionis, a quibus pendet æterna ſalus, niſi legitima vocatione, & electione inſtituatur, ac deputetur ad hoc munus.

§. III. Patet item ab inconuenienti. Nam ſi quis contenderet dari auctoritatem nullo fundamento comprobatam, nulla electione, vocatione, vel inſtitutione ſuffultam, cui tamen quis credere

poſſet

poſſet, vel obligaretur; ſane ille non minus diabolo credere teneretur, quam prædicatoribus legitimè inſtitutis; quandoquidem ſublata quacunq; docendi iuriſdictione, nulla eſſet ratio, cur legitimi Doctoris auctoritas præferretur authoritati diaboli; cum neutrius ſupponeretur probata auctoritas: atque adeo vtrique pari ratione, & motiuo credendum eſſet, etiamſi manifeſta contradictoria aſſererent; quæ vtique præcipitem inſaniam ſupponunt. Præterea ſi omnes in cauſa Religionis, vel decidenda, vel proponenda eſſent æquales, ſiue, quod idem ſonat, ſi nulla daretur authoritas, qua in hac cauſa vnus præeſſet, alter ſubeſſet, quotquot Religionis prætextum aſſumunt, pariter eſſent audiendi, ſcilicet Turcæ, Hebræi, Ariani, Manichæi, ac cæteri infideles, & inter ipſos quilibet, & quælibet; quod iterùm inſolentiſſimam inſaniam ſapit. Deinde cum Chriſtiana Religio præcipiat multa, & multa ſimiliter prohibeat, hoc ipſo ſortitur naturam, & vim legis; quare, vt crediturus obligetur credere, & obſeruare, quę proponuntur, neceſſario requiritur in proponente authoritas publicandi, & declarandi legem, alias obligationem credituro inducere non poteſt.

§. IV. Probatur tandem ex ipſis prætentæ reformationis principijs ſtatuentibus requiri hanc docendi auctoritatem. Ita habet ordinatio Eccleſiarum in generali Synodo habita Midelburgi anno 1581. Canone tertio *Nemo*, inquit, *in doctorum, ſeniorum, miniſtrorum, aut diaconorum munus permittetur, aut licitum erit adminiſtrare ſacramenta, aut praeſſe verbo Dei, ſine præuia legitima vocatione; & ſi quis contra hanc legem peccet, & verbo admonitus non deſiſtat &c.* Idem innuit Can. 4. & 5. & in interrogationibus eiuſdem Synodi die 22. Maij eiuſdem anni interrogat. 4. Idem habetur in Synodo Dordracenſi habita die 6. Iunij anni 1578. num. 11. citans ibi articulum 7. Embdenæ Synodi & num. 8. inquit. *Qui extra, & contra ordinationem Eccleſiæ ſe ipſos intrudunt in Eccleſiæ miniſterium, à claſſe ſemel, atque iterum mouebuntur, vt manus dent; & ſi id pertinaciter negent, declarabuntur Schiſmatici.* Idem ſtatuunt acta Nationalis Synodi Belgicę, Germanicæ, & Gallicæ habitæ menſe Iunij anni 1578. à num. 1. ad 5. vbi præſcribitur forma vocationis, electionis, & inſtitutionis Miniſtrorum. Sic item decernunt Concilia reformatarum Eccleſiarum Franciæ, habita Pariſijs, Pictauiæ, Aureliaci, Lugduni, ab anno 1559. ad annum 1563. cap. de miniſtris verbi Dei. Vbi excluduntur non electi, vel vocati, à miniſterio verbi. Idipſum decernit diſciplina

Eccleſia

Eccleſiaſtica Eccleſiarum Reformatarum regni Franciæ tit. de miniſtris. Huic ordinationi adſtipulantur confeſſiones reformatæ. Gallica art. 31. Anglica art. 23. Auguſtana art. 14. VVittenberg. tit. de ordine, & aliæ.

§. V. Supereſt ergo neminem in cauſa Religionis Chriſtianæ audiendam eſſe, niſi legitima docendi poteſtate fulciatur. Nec enim hodie apud chriſtianos valent, vel Hebræorum, vel Turcarum inanes ſermocinationes, quia vera fide, & doctrina ſalutis carent; vnde non plus nos mouent in hac cauſa, quam hiſtriones in foro. Nec ipſa doctrina ex ſeipſa dat auctoritatem iſtam, vt patet ex communiſſimà ipſorum Reformatorum praxi; (vt iam ſileam catholicos Romanos) iſti enim non omnibus ſacros codices legentibus, iſtam facultatem ineſſe iudicant, vt conſtat ex recenſitis Synodis, confeſſionibus, diſciplinis; ſed ſuos habent Miniſtros, Prædicantes, ſuperintendentes, qui in grege reformato ſe obtrudunt miniſterio verbi. Hunc hierarchicum ordinem, eiuſque authoritatem, recenſet Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. ad Epheſ. 4. ad Hebr. 5. recenſent Euangeliſtæ Matth. cap. 16. 18. 28. Marcus cap. 16. Veneratur, & ſuſcipit vnanimis Catholicorum doctrina, & conſenſus; tenetque ad docenda, & proponenda myſteria fidei requiri auctoritatem, ſine qua nemo debet ſibi arrogare hoc munus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Tota moles prætenſæ reformationis nititur hoc potiſſimùm fundamento, nullam extra Sacram Scripturam in hoc orbe extare docendi, vel iudicandi auctoritatem, in cauſa Religionis Chriſtianæ.

§. I. Licet reformati fateantur, vt ſupra vidimus, neceſſariam eſſe auctoritatem aliquam, quę doctrinam ſalutis exponat, & proponat; ne tamen Apoſtaſiam ſuam agnoſcat, non erubeſcit ſibi ipſi manifeſtè contradicere, & arrogatam temerariè auctoritatem, fronte perfricta negare. More igitur veterum Hęreſiarcharum aggreſſi ſunt reformati, hanc prætenſę reformationis machinam, duplici allegato prętextu, nempe ſolam ſufficere ſcripturam in cauſa fidei, & vniuſcuiuſque particulare ſcripturę

ſcrutinium, ac iudicium, eſſe adęquatam credendi regulam. Hinc tranſitum fecere ad tollendam, & negandam omnem in negotio religionis auctoritatem, ac iuriſdictionem, ne in eorum opinione extaret tribunal, quod illorum, vel caſtigaret perduellionem, vel fręnaret audaciam. Tam pernicioſi tumultus authores vſſerat ambitio, inuidia, odium, libido; & ingemiſcentes non eſſe modum laxandę licentiæ, & ambitionis explendæ, citra infamiam, & periculum, ſubitò cæperunt crepare ſeceſſionem ab omnium, qui tunc extiterant, fidelium ſocietate, excutere iugum chriſtianæ diſciplinæ, eouſque imponere errores Eccleſiæ, vt impegerint mendacium Chriſto, eiuſque oraculis, perpetuam durationem, ac infallibilitatem Catholicæ Religionis promittentibus; & maluere crudeles, ibi perire Eccleſiam, vbi graſſari poterant, quàm ſe non impunè ſatiare libidines, & ambitiones ſuas.

§. II. Incepta tandem, ac inchoata ſeceſſione; bellum illicò indixere primi Reformati Patribus, Concilijs, Epiſcopis, Paſtoribus, Religioſis, ac ſummo Eccleſiæ Antiſtiti Romano Pontifici. omnis iudicandi, vel decidendi res fidei, per eos negata eſt poteſtas, totius Eccleſiæ infallibilitas ludibrio, & ſcommati per Reformatores expoſita; abſolutos ſe iactant à periculo, & timore legum, quibus Hæretici olim coercebantur: ex quibus illi, qui compeſcuerunt reluctantem ſynderiſim, & præualebant ingenio, ac victorioſa loquacitate, ſe quoque Magiſtros arrogante temeritate vltrò exhibuere palantibus per ſpatia Bibliorum, in ea cauſa, in qua nullum magiſterium admittebant; proinde totam machinam prætenſæ reformationis, ſuper iſtud extruxere principium, ſcilicet omnes orbis Eccleſias erraſſe ſæpius, & errare poſſe; ius docendi, ac proponendi res fidei tranſtulerunt ab Eccleſiæ Præſulibus, & Doctoribus, in ſingulos, ſingulaſque, quibus per priuatum Scripturæ Scrutinium fecere liberum iudicare de arduis, & altis religionis arcanis, & ſuam particularem expoſitionem præferre interpretationi Patrum, Conciliorum, totius denique Eccleſiæ Dei.

§. III. Vt igitur aliquem prætexerent colorem Reformati ſuę ſeceſſioni, neganda fuit ipſis omnium Antiſtitum, Paſtorum, & Conciliorum iuriſdictio, aliàs inanis ille reformandi prætextus corrueret. Nam ſi admitterent tunc in orbe terrarum, vllam in negotio Religionis iudiciariam poteſtatem, ſane ipſi non poſſent ſe excuſare à ſacrilego Schiſmate, & manifeſta hæreſi; cum enim puncta tunc in controuerſiam vocata, ſcilicet cælibatus eccleſia-

ſticus

ſticus, ſacrificium miſſæ, Purgatorium, Primatus Romani Pontificis, Sacramenta Pænitentiæ, ordinis, extremæ vnctionis, & alia multa, quæ inuoluunt acerrimam illam quæſtionem inter Chriſtianos ventilatam, de obligatione prædictorum ſub damnatione æterna, Reformati, qui illis, animo tam elato, quam audaci renunciarunt, videbantur pro rato habuiſſe, nullam extitiſſe in orbe Chriſtiano authoritatem, quæ iſta, & alia eiuſmodi fidei puncta, vel legitimè proponeret, vel eorum obligationem validè poſſet declarare, ne interim manifeſtos ſe faterentur rebelles; atque adeo cum ſe ad reformandos abuſus, & errores gloriabantur veniſſe, tota ſuæ reformationis machina nitebatur vtique imaginario illo principio, Eccleſiam caruiſſe præcipiendi, & iudicandi facultate; nec eoſdem Reformatos debuiſſe vlli mortalium ſe ſubmittere. Tota itaque moles reformationis extructa eſt ſuper iſtud vertiginoſum præcipitium, nullam à morte Chriſti extitiſſe, vel extare, docendi, proponendi, decidendi, vel coercendi in cauſa religionis, authoritatem. Nunc reſtat videndum, quomodo Reformatio careat hac ipſa authoritate, quam toti Dei Eccleſiæ negat, & ex ea negata, corruat in barathrum irreparabilis ruinæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vti prætenti Reformati, præter Scripturam, negant omnem controuerſiarum iudicem, ita ex eodem principio, neceſſe eſt, vt negent apud ſe eſſe, vel vnquam fuiſſe vllam reformandi authoritatem.

§. I. IN titulo huius, & præcedentis articuli, mentionem feci de ſacra ſcriptura, in quà Reformati collocant totius Eccleſiæ tribunal; quam ſententiam diſt. 4. fuſiùs refutabo. Interim quidquid contrà obſtreperint Reformati, negare certè non poterunt, præcipuas controuerſias inter Chriſtianos oriri ex duplici hac quæſtione, ſcilicet quot, & quinam ſunt libri Canonici? & hi ipſi libri quomodo intelligendi? vnde etſi habeatur ſubinde pro comperto, legitimus Canon ſacri codicis, non inde tamen illicò habetur, quis ſit legitimus propoſitæ ſcripturæ ſenſus,

quod manifeſtè patet ex diſputationibus Chriſtianorum, circa iſtos articulos, de tranſubſtantiatione, ſacrificio miſſæ, Sacramento Pænitentiæ, Purgatorio; partibus vtrinque Sacram Scripturam allegantibus, & mutuo conſenſu fatentibus allatos vltro, citroque textus eſſe Canonicos, & à Deo reuelatos, ſed acerrimè concertantibus de ſenſu, Qui ſi tam apertè ineſſet ſacro textui, ſicut albedo ineſt parieti, lux ſoli, ſplendor igni, ſtulti, & ſtolidi eſſent Chriſtiani, qui in rebus tam claris, commouerent à ſedibus imis orbem terrarum: ſcriberent tot volumina. Quod ſane experimento palpabili demonſtrat, ſenſum ſacrorum Bibliorum, non patere ſenſibiliter animis mortalium; atque adeo eſſe præcipuum controuertendi ſubiectum.

§. II. Nunc videamus, quam cęco impetu aggreſſi ſunt ſuam Reformationem, primi eius authores, & quam implexo ſe intricauerint labyrintho. Sciendum, & notandum ſeriò, eos in ſuis confeſſionibus, deleſſe ex albo credibilium multa, nempè quinque Sacramenta, vota monaſtica, cælibatum &c. & horum loco ſubſtituiſse ex proprio cerebro nonnulla, quę in codice ſacro, vt ipsi promittebant, nuſquam leguntur: huiuſmodi autem mutationem in re tanti momenti, vocarunt reformationem Eccleſię. Eiuſmodi autem reformatio neceſſariò exigit in reformatoribus authoritatem reformandi: hæc ipſa reformatio ſupponit receſſiſſe ab Eccleſia doctrinam ſalutis, irrepsiſſe abuſus, & errores, hos proceſſiſſe ex malo intellectu verbi Dei. Hypotheſis iſta de lapſu Eccleſię, trahit ſecum neceſſitatem remedij: Hoc petendum ex reformatione. Iſta vt legitimè fiat, requirit in reformante iuriſdictionem, hęc petit exercitium iudicij; iudicium, notitiam: notitia, proceſsum; proceſſus, actionem. actio, controuerſiam: hæc petit tribunal fori, hoc requirit authoritatem; authoritas infert arbitrium: hoc ſupponit quęſtionem; quęſtio diſcuſſionem iudicialem. Diſcuſſio, ſententiam: ſententia tandem poteſtatem iudicis, quę poſſit obligare partes, & punire eos, qui ſuo contempſerint parere iudicio. Atque adeo authoritas reformandi, coincidit cum poteſtate iudicandi, ac decidendi controuerſias: vt patet ex continua Eccleſię praxi, in omnibus ſynodis, incipiendo ab ipſo Apoſtolorum concilio act. 15. & alijs ſucceſſiuè concilijs, in quibus procurabant Paſtores, gliſcentibus obſtare erroribus, vel inductos in aliquem chriſtianorum cętum reſecare: reformare autem eſt errores, vel impedire, vel reſecare.

§. III. Sed pręte̅ti Reformati nullum admittunt iudicem,

con-

controuerſiarum; hanc enim aiunt eſſe ſolam ſcripturam, vt habet confeſſio Anglica art. 6. 17. 20. 21. Scotica art. 18. Gallica art. 5. & 27. Heluetica prior cap. 1. Heluetica poſterior, eodem cap. Baſileenſis art. 11. Belgica art. 7. Argentinenſis cap. 1. Pręfatio confeſſionis Auguſtanę anno 1530. Confeſſio VVittenbergica tit. de ſcriptura. Saxonica ad finem. Confeſſio principis Palatini anno 1576. Bohemica art. 1. Confeſſio generalis Eccleſiarum Reformatarum Regni Polonię, in Conuentu Thorunenſi anno 1645. Hę omnes tenent ſolam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, adeoque iudicem controuerſiarum; & conſequenter iuxta hoc reformatum principium, nullus mortalium habet certam, aut ſupremam authoritatem iudicandi in rebus fidei Chriſtianę, cui cęteri mortales, inconſultà ſcripturà, teneantur acquieſcere; quod etiam illæ eędem reformatę confeſſiones genuinè pronunciant, quas per ordinem refero.

§. IV. Igitur Confeſſio Anglica art. 21. aſſerit, *ordinata à Concilijs Generalibus, nec vim, nec robur habere, niſi declarentur deprompta ex ſcripturis*. Et art. 20. ait, *Eccleſiam non poſſe quidquam, tanquam neceſſarium ad ſalutem proponere, vel præcipere, præter ſacrum textum*. Et art. 17. dicit *Ex ſolo hoc textu recipienda promiſſa Dei*. id eſt, vt luculenter ex contextu patet; Eccleſia non habet authoritatem docendi, vel proponendi quidquam ſub vlla obligatione pręter nudum ſcripturę corticem; atque adeo debet eadem Eccleſia abſtinere à quocunque examine, & arbitrio religionis; imò vult nullam in ea re competere Concilijs generalibus authoritatem, quę non ſubſit cuiuſlibet particulari iudicio, quandoquidem, vt ait ibidem, Synodorum definitiones non obligent, niſi declarentur depromptæ ex ſacris literis. Quis, quæſo, hoc declarabit? vtique quilibet, & quælibet. Nulla eſt ergo in Eccleſia ſuprema poteſtas iudicandi, cui cæteri, inconſultà ſcripturà, teneantur acquieſcere, ſi vera dicit iſta confeſſio: adeoque nulla etiam erit reformandi authoritas, ſtante eadem confeſſione. Sequitur confeſſio Scotica art. 18. *Doctrina, quæ in noſtris Eccleſijs docetur, verbo Dei ſcripto continetur*. Et tamen ne vnus quidem articulus huius confeſſionis, qui inter partes controuertitur, in illo verbo legitur, vt intuenti patet. infra ſubdit. *Cuius* (ſcilicet verbi, vel ſcripturæ) *interpretationem, neque ad priuatam aliquam, aut ad publicam perſonam pertinere confitemur, neque ad Eccleſiam aliquam, propter præeminentiam, aut prærogatiuam quamcunque perſonalem, aut localem, quam vna ſuper aliam habet; ſed ius, & autho-*

ritatem hanc eſſe ſolius ſpiritus Dei. Nulla igitur ſecundum iſtam aſſertionem, ineſt authoritas vlli hominum. Non priuatæ, non publicæ perſonæ, non toti Eccleſiæ Dei, exponendi doctrinam reuelatam, eamue proponendi; quæſtiones, lites, vel controuerſias de illa ſuſcitatas dirimendi, aut decidendi, retractarios corrigendi, errantes reformandi, abuſus tollendi, vel impediendi. Bonus proceſſus. Bonum reformationis, Deo dante, præcipitium. Audiantur aliæ.

§. V. Confeſſio VVittenbergica tit. de Concilijs. *Poſtquam prophetica, & Apoſtolica doctrina diuinitus confirmata eſt, nullius vel hominis, vel hominum cætus ſententia, ſimpliciter pro oraculo Spiritus Sancti, ſine iudicio recipienda eſt, ſed exigenda ad normam doctrinæ propheticæ, & apoſtolicæ, vt quod cum hac conuenit, agnoſcatur: quod cum hac pugnat, refutetur*. Vult dicere, poſtquam tota Eccleſia per ſuos Paſtores, in Concilio Oecumenico congregata examinauit exortas difficultates, diſcuſſit quæſtiones ad limam verbi Dei, & ſententiam definitiuam tulit, ad exemplum Apoſtolorum act. 15. illa tamen definitio nullius eſt valoris, vel roboris, donec quælibet, & quilibet ſedeat pro tribunali, & iterum diſcutiat illam totius Eccleſiæ definitionem, & ſi voluerit, acceptet; ſi noluerit, reijciat. Quia totum illud Concilium nullam prorſus habet, vel habuit authoritatem obligandi vllum, ad ſua decreta, cum nullius hominis, vel hominum cætus ſententia recipienda ſit, niſi iuxta præfatam Cautionem, adhibito ſcilicet priuato cuiuſlibet ſcripturæ ſcrutinio; quantumuis dicat Chriſtus: *dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*. Auguſtana item confeſſio art. de poteſtate Eccleſiaſtica. *Epiſcopi non habent poteſtatem conſtituendi aliquid contra Euangelium, quia tunc mandatum habent Eccleſiæ, quod prohibet obedire*. & infra: *neceſſe eſt in Eccleſijs retinere doctrinam de libertate Chriſtiana*. Et eodem art. dicit Epiſcopos pernicioſe errare, *quod aſſumant authoritatem præteriam interpretandæ ſcripturæ, inſtituendi cultus, ferendi leges*. primo igitur ait, Paſtores in definiendo poſſe errare, & tunc oues eſſe iudices: ſecundò eas gaudere libertate Chriſtiana, quæ nulli ſubeſſe debet: tertio Paſtores non habere authoritatem definitiuam, neque etiam reformandi errores, vel abuſus.

§. VI. Heluetica prior cap. 2. *Non probamus interpretationes quaſlibet; ſed illam duntaxat ſcripturarum interpretationem pro Orthodoxa, & genuina agnoſcimus, quæ ex ipſis eſt petita ſcripturis*. Et infra, ait ſe non reprobare expoſitiones Sanctorum Patrum, cum

ſcri-

ſcripturis conſentientes ; bene tamen ſubinde ſe ab eis recedere, quando putat eos non recte interpretari. Vult ſcilicet cum præcedentibus nullam extare poteſtatem, cui in definienda, vel exponenda doctrina fidei, debeant reformati, inconſulta ſcriptura obedire. Idem habet Heluetica poſterior cap. 2. Eandem authoritatem obligandi in Eccleſia, & eius Paſtoribus negat confeſſio Baſileenſis art. 10. Authoritatem in rebus fidei eſſe penes quemlibet priuatum ; adeoque nullam ſupremam dari cui mortales obligentur aſſerit confeſſio Argentinenſis cap. 1. Eandem ſupremam poteſtatem, aut penes Epiſcopos, ſeu Paſtores eſſe, aut penes ſynodos in quibus congregantur negat Saxonica Confeſſio cap. de Eccleſia. Bohemica art. 14. vult omnes in hac auctoritate eſſe pares. Gallica art. 30. *credimus omnes Paſtores eandem habere authoritatem, ideo nullam Eccleſiam poſſe vllam dominationem ſuper aliam prætendere*. Belgica art. 32. reijcit omnia inuenta humana, omneſque leges, quæ pro cultu Dei, à quocunque introduci poſſunt, vt ijſdem conſcientiæ vllo modo deuinciantur. Tam ergo hæc, quam Gallica confeſſio valedicit, cum alijs, omni ſupremæ poteſtati in negotio Religionis Chriſtianæ ; quare, ſi, vt ait Gallica, nullam dominationem habet vna Eccleſia ſuper aliam, nullam ſimiliter authoritatem, nullam iuriſdictionem prætendere poterit, ſi omnes Paſtores æqualem habent authoritatem, ſi nulla lex Paſtorum ligare poteſt conſcientias, nullus alteri præcipere poteſt, nullus alium corrigere, vel errores emendare, aut reformare poterit ; multo minùs vllus particularis poteſt id facere.

§. VII. Nunc ita. Ex dictis poteſtas reformandi eſt ſuprema poteſtas iudicandi, & decidendi controuerſias : ſed ſecundum Reformatos nulla datur eiuſmodi ſuprema poteſtas iudicandi, aut decidendi controuerſias ; imò nec condendi leges, aut obligandi homines in cauſa Religionis Chriſtianæ, extra nudum ſcripturæ corticem ; ergo ſecundum eoſdem, nulla ſimiliter datur reformandi poteſtas in illa eadem Religionis cauſa : Maior patet : nam reformare errores, & mores, inuoluit diſcuſſionem ſeriam ipſorum : hæc diſcuſſio ſupponit controuerſiam iſtam grauiſſimam, an ſint reuera errores contra fidem, qui prætenduntur reformabiles, corrigibiles, vel amouibiles ; iſta controuerſia ſupponit concertationem partium, an vna erret, & errauerit, ſubſitque correctioni, emendationi, ac reformationi ; altera verò pars non erret, adeoque habeat ius corrigendi, emendandi, reformandi,

mandi, ac decidendi motas lites: hæc omnia neceſſario ſupremam authoritatem petunt, quæ poſſit præcipere doctrinam ſanam, & prohibere tranſgreſſiones. Lis eſt de numero Sacramentorum, Sacrificio Miſſæ, Purgatorio; Catholici arguunt Reformatos de errore in hac cauſa; Reformati e contra arguunt Catholicos, prætenduntque reformandos eſſe; hoc autem nequeunt rectè prætendere, quin prætendant ſe poſſe iudicare has lites, niſi velint delirare, mouendo lites in ea cauſa, cuius nullum viuum iudicem in terris agnoſcunt, vnde hoc ipſo, quo prætendunt aliqua dogmata eſſe reformanda, debent admittere aliquam authoritatem in orbe, quæ iſtas lites examinet, & iudicet.

§. VIII. Reformati autem nullam iudicandi poteſtatem admittunt, cui mortales, inconſulta ſcriptura, teneantur acquieſcere, ſed poteſtas iudicandi eſt Synonima cum poteſtate reformandi, ergo hoc ipſo quo Reformati negant illam, ita etiam conuincuntur negare hanc, cum ſola ſcriptura ſit iudex, quatenus ſubeſt cuiuslibet particulari ſcrutinio, in quo omnes omninò homines ſunt pares, ſecundum dogmata Reformatorum, atque adeo ſecundum eoſdem, nemo alteri in cauſa fidei debet, vel præeſſe, vel ſubeſſe, vt conſtat ex principijs Reformationis ſuperius recenſitis. Vnde rurſus ſubſumo: ſed reformare Eccleſiam declarando errores, & ſententiam definitiuam ferendo, vti fecere Reformati, eſt dominationem prætendere, quod damnatur à confeſſione Gallica, eſt vnius, vel plurium hominum ſententiam pro oraculo Spiritus Sancti obtrudere, quod reprobatur à VVittembergica; eſt definitiones obligatorias nuſquam in ſcriptura repertas edere, quod reijcitur à confeſſione Anglica; eſt exercere poteſtatem prætoriam interpretandæ ſcripturæ, & ferendi leges, quod horret audire Auguſtana confeſſio: eſt exponendæ ſcripturæ authoritatem, quæ ſolius eſt ſpiritus Dei, ad publicas, vel priuatas perſonas, vel congregationes transferre, quod improbat Scoticana confeſſio; eſt denique iudicium, quod ad ſolas ſcripturas, vtpote regulas, ac normas deciſiuas omnium controuerſiarum attinet, ad homines referre, eiſque ſupremam iudicandi, reformandi, ac decidendi lites in cauſa fidei dare, quod vno ore, & conſenſu recuſatur à cæteris confeſſionibus: igitur nulla reformata Eccleſia, nullus reformatus, vel reformatorum coetus, citra manifeſtam arrogantiam, ſuperbiam, & rebellionem potuit ſibi aſſumere authoritatem reformandi Eccleſiam: ergo prætentæ Reformationis inſtitutio nulla nititur legitima

iuriſ-

iuriſdictione, vel poteſtate, ſed potius perduellione, temeritate, & impoſtura. Vnde ſit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Reformati ex proprijs Principijs non plus iuris habuere, vel habent pro ſua Reformatione, quam habuerunt pro ſuo ſchiſmate, Core, Dathan, & Abyron.

§. I. Conſtat ex dictis prætentam Reformationem, non alio niti fundamento, quam negatæ in rebus fidei authoritatis præcipitio; quæ ſane dementia ſuos etiam authores, per manifeſtiſſimam conſecutionem, omni prorſus authoritate in præfatis rebus deſtituit, iuxta Ariſtotelicas illas regulas. *Dictum de omni, & dictum de nullo*: quibus præſcribitur, vt quidquid vniuerſaliter negatur, vel affirmatur de aliquo ſuperiori, id ipſum affirmetur, vel negetur de quocumque contento ſub ipſo, vt quia vniuerſaliter negatur de animali, quod ſit lapis, negatur etiam de quacumque ſpecie, & indiuiduo contento ſub ipſo; & ſimiliter, quia vniuerſaliter de vitio affirmatur, quod ſit fugiendum, affirmatur etiam de quocumque vitio particulari, nempe ebrietate, auaritia, luxuria, ſuperbia &c. ea ſcilicet eſſe fugienda. Cum igitur prætenti Reformati vniuerſaliter negauerint, & negent in quacumque hominum ſocietate, vel collectione, vllam prorſus extare iudicandi, vel exponendi in negotio Religionis authoritatem, cui cæteri mortales, inconſulta ſcriptura, teneantur acquieſcere, neceſſaria vtique illatione, iuxta præfatas regulas, eandem authoritatem vti à reliquis mortalibus ſic à ſe ipſis etiam penitus excludunt. Reformatio autem Eccleſiæ, vt ſuperius oſtendi, requirit vtique ſupremam, abſolutam, ac irrefragabilem authoritatem, cum agatur de reducendo Euangelio, reparanda generis humani ſalute, ablegandis erroribus. Hæc enim ſunt grauiſſimæ Chriſtianæ Religionis cauſæ; quod ſi, vt clamant reformata principia, nulla in rebus fidei diſcutiendis, decidendis, vel proponendis extet authoritas, extra nudam ſcripturam, tota prætenſæ Reformationis machina nititur aperta coniuratione, adinſtar rebellionis Core, Dathan, & Abyron.

§. II. Vt igitur huc illuc ſine fræno vagetur prætenta Refor-

 matio,

matio, edocta à Luthero ſuo, non patitur iugum Chriſtianæ diſciplinæ, vel Eccleſiaſticæ iurisdictionis. Ille itaque lib. de Concilijs. *Etiamſi*, inquit, *omnium Synodorum decreta, per infundibulum demitti in tuum corpus poſſent; tamen nondum eſſes Chriſtianus, quia nimis parum conferunt*. Vnde ſecundum eandem Lutheri regulam: ſi quis omnium Reformatorum ſiue ſimul, ſiue ſeorſim ſumptorum dicta, ſcripta, decreta, ac ſententias aperto deglutiret ore, nondum eſſet Chriſtianus. An verò ex eadem Lutheri regula, Reformati vllam habent poteſtatem ſoluendi, ligandi, vel obligandi cæteros Chriſtianos? *Non*, inquit, Lutherus epiſtola ad Senatum Pragenſem, *quia omnes, qui Chriſtiani ſumus, habemus commune officium clauium*. Omnes ergò pueri, foeminæ, rudes, ignari, opifices, cerdones, Lanarij, Laniones, piſtores, & cæteri Chriſtiani habent claues ſcientiæ, iudicij, cenſuræ, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, vt nullus alteri ſubſit, nullus præſit: calculo igitur Lutheri, carent Reformati, omni prorſus authoritate reformandi ſupra cæteros Chriſtianos, quod ipſum fatetur colloquium Ratisbonenſe editum Lauingæ anno 1602. totum iudiciũ refundens in nudam ſcripturam.

§. III. Confeſſio Auguſtana tit. de poteſtate Eccleſiaſtica ait, *non eſſe neceſſariam legis ſeruitutem ad iuſtificationem*. Iuxta quam ſententiam, reformatio non poteſt habere vim legis chriſtianæ, quæ quemquam aſtringat, coerceat, vel obliget: quare ibidem dicit, Epiſcopos non poſſe vllos cultus inſtituere, vel tanquam neceſſarios exigere. Quidquid igitur proferunt, aut proponunt Reformati præter nudum ſcripturæ corticem, non debet tanquam neceſſarium exigi; atqui nihil in articulis controuerſis proferunt Reformati, ex nudo ſcripturæ cortice, atque adeò nihil prolatum ab eis in iiſdem articulis, debet tanquam neceſſarium exigi. Ergo Reformati neminem poſſunt ad ſuã Reformationem aſtringere. Confeſſio Gallica art. 33. *Excludimus omnes hominum inuentiones, cunctaſque leges, quibus vellent conſcientias obligare*. Confeſſio Anglica art. 21. *Vult ordinationes Conciliorum, nullius eſſe roboris, niſi iudicentur*; Vtique à quolibet, & qualibet *ex ſcripturis* exceptæ; nihil igitur obligat Chriſtianos, niſi ipſe nudus Bibliorum textus lectus, & propoſitus. Scoticana poſterior Confeſſio deteſtatur omnem ſupremam poteſtatem, in cauſa Religionis: deteſtanda igitur eſt vſurpata illa Reformatorum authoritas, qua volunt cæteros reformare mortales. VVittenbergica tit. de Euangelio, non vult illud ſortiri naturam legis. Certè ſi iuxta hanc

ſen-

ſententiam. Euangelium non obligat, multo minùs Reformatio. Heluetica prior cap. 2. Cauendum, ait, ne patres illimitatè audiantur, repudiatque traditiones, quamuis ſpecioſis inſigniantur titulis: quia nimirum vult ſolius ſcripturæ litteram eſſe regulam; adeoque ex tota Reformatione repudiandum, quidquid extra hanc litteram, vel præter eam proponitur. Conſentit Heluetica poſterior cap. 4. prior etiam confeſſio cap. citato, non vult ſe in cauſis fidei, vrgeri Patrum ſententijs, aut Conciliorum definitionibus; neque pariter mortalium vllus debet vrgeri ſententijs, aut definitionibus Reformatorum. Cum Gallica Confeſſione, Belgica art. 32. *reijcit omnes leges, quibus conſcientiæ deuincirentur, aut pro cultu Dei introduci poſsent*, & conſequenter Reformatio neque eſt lex, neque cultus Dei, quia ſcilicet, nihil de puro puto, ſcripturæ textu in rebus controuerſis producit, quod tamen Reformatio requirit. Senſum & ſententiam aliarum Confeſſionum, de negatæ Eccleſiæ authoritate iam vidimus. Hinc Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 9. §. 8. ait, *Definitionem Concilij eſse inſtar præiudicij, quod examen non impediat*; Ita vt ſcilicet ſubſit cuiuſlibet particularis hominis, vel mulierculæ iudicio, cenſuræque. Euici iam art. præcedenti Reformatos, ore proprio fateri, ſe in ſua Reformatione, omni caruiſſe authoritate, iam oſtendo ex dictis, quo malo omine, & progreſſu eandem Reformationem inchoauerint, continuentque.

§. IV. Et ita diſcurro: Ex præcedentibus conſtat reformationis opus inuoluere, & ſecum neceſſario trahere maximam vim, & ſupremam authoritatem, in cauſa Religionis decidenda: nunc ſic. Vel dabatur ſub initium, & progreſſum prætenſæ reformationis, ſuprema iudicandi, ac decidendi in cauſis Chriſtianæ Religionis authoritas, vel non dabatur, nec dabilis eſt, aut fuit talis authoritas, cui alij mortales, inconſultis Biblijs tenerentur obedire? Si dabatur, qua fronte ei repugnarunt, ac rebellarunt primi reformatores, inſtar Dathan, Core, & Abyron rebellantium contra Moyſem, & Aaronem? Si nec dabatur, nec dabilis fuit vlla talis authoritas; cur iterum tam temerario, tam cœco impetu arrogarunt reformati ſibi, præſumptuoſam illam reformandi authoritatem in eo negotio, in quo neminem prorſus mortalem agnouere iudicem? Rurſus vel decreta, ordinationes, & inſtituta prætenſæ reformationis, edita in eius confeſſionibus, Senatusconſultis, ſynodis, congregationibus, nitebantur aliqua hominum authoritate, vel non? Si primum, non ſubſiſtunt, quia refor-

mationis axiomata,condemnant eiuſmodi decreta,quę conſcientias obligare prætenderent; eaque ſubijciunt cuiuslibet pueri, muliercule, opificis, ignari, & rudis arbitrio, & examini; adeoque cenſentur vacua omni robore, & virtute aſtringendi quemquam.

§. V. Conſequenter,ſi prædicta decreta, & inſtituta, nulla prorſus humana authoritate nitebantur; ergo non debebant proponi, prædicari, vel doceri,tanquam inſtituta Chriſtianę Religionis, cum ex communi reformationis ſententia, nulla dabatur in hoc orbe legitima iuriſdictio decidendi, procedendi, aut proponendi in cauſa Religionis Chriſtianæ; adeòque nec in cauſa reformationis Eccleſię: Ex quibus infero manifeſta conſequentia, quod primi reformati, & eorum ſequaces fuerint, & ſint inſtar Dathan, Core, & Abyron: Si enim nulla exſtitit, aut exſtat iuriſdictionis poteſtas in rebus fidei,extra nudã ſcripturam, fuerunt ipſi, & ſunt veri imitatores, ac ſequaces prædictorum rebellium, ac ſchiſmaticorum, quòd intolerabili ſuperbia, ſe ſupra cæteros mortales extulerint, arrogando ſibi docendi, & iudicandi munus, & officium, in ea cauſa, in qua nullum agnoſcunt, vel agnouere iudicem:Si rurſus aliqua dabatur in cauſa Religionis authoritas,cui cæteri mortales,inconſulta ſcriptura, parere tenebantur, adhuc egere inſtar Core, Dathan, & Abyron, quod noluerint tali authoritati acquieſcere: ſed inflexibili pertinacia illi reſtiterint. Concludo igitur eos non habuiſſe, nec habere plus iuris pro iſta ſua prætenſa reformatione, quam habuere præfati Schiſmatici Core, Dathan, & Abyron: hi vt conſtat ex nu. 16. non agnouere ſupremam Moyſis poteſtatem, prętenti reformati nullam ſimiliter in Eccleſia abſolutam iuriſdictionem agnouere,vel agnoſcunt:illi perduelli pertinacia obſtitere Moyſi, & Aaroni, aſſumentes ſibi eorum iuriſdictionem: prętenti reformati reſiſtunt,& reſtitere Eccleſię, quamque ei negant authoritatem, ſibi aſſumpſere, & aſſumunt. Tandem vti acta, & geſta iſtorum rebellium, omni prorſus authoritate caruerunt, ità deciſiones reformatorum, iuxta propria principia, omni virtute carent. Deniq; vti rebellionem illorum vindicta diuina puniuit, ita eandem vindictam reformati, niſi reſipiſcant, experientur. Pergo nunc explicare faciem prætenſæ reformationis.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

In quantam vertiginem deuoluatur reformatio.

Quam deforme ſit reformationis corpus, quam male ordinatum quam Babylonicę confuſioni ſimile, ipſa eius lingua, externa ipſius larua demonſtrat.

ARTICVLVS PRIMVS.

Tota reformatorum iuriſdictio, in cauſa ſuæ reformationis, ſecundum eorum principia, ſubditur cuiuſuis de plebe particulari iudicio.

§. I. EA, in quibus homines, iuxta naturę, vel legum indulgentiam, ſunt ſui iuris, ſub nullius alterius hominis cadunt imperio: Sic quæ ſunt, vel in rebus publicis artes, vel in Scholis adiaphorę ſententiæ, neminem ad ſui ſequelam, vel profeſſionem obligant: prætenta autem reformatio, ex proprijs ſuis principijs, vult omnia ſua decreta, ſtatuta, dogmata ita eſſe adiaphora, vt ea ſubdat cuiuſuis arbitrario examini, & liberæ acceptationi, vel recuſationi, vt non plus authoritatis habeāt iſta, ad quemuis aſtringendum, quam vel opiniones, vel artes adiaphoræ ad ſui ſequelam: quod pro irrefragabili reformationis principio, ſtabiliuere primi reformati. Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 9. §. 12. aſſerens; *nulla Conciliorum, Paſtorum, Epiſcoporum nomina impedire, quominus omnes omnium ſpiritus, ad diuini verbi regulam exigamus.* Omnium ergo hominum etiam reformatorum, & reformantium ſpiritus, decreta, definitiones, ex Caluini ſententia, ſubſunt cuiuslibet è plebe particulari ſcrutinio. Omnino, inquit Lutherus tomo 7. lib. 3. cap. 7. & 8. vbi poſtquam dixit Verbum Dei, eſſe iudicem controuerſiarum, reſpondens quærenti, quo interprete, vel iudice verbum ipſum iudicaret, cum de ipſo controuerteretur. *Spiritus,* inquit, *dijudicat omnia:* quod ſi ſuſpecti ſint ſpiritus, quid faciendum? diſtinguit Lutherus, *duplici iudicio, ſpiritus eſſe explorandos,*

vno

vno interiore, quo per donum Dei, ſingularis quilibet certiſſimè iudicat, & diſcernit omnium dogmata, & ſenſus &c. Sed quia hoc iudicium parit tot ſectas, quot capita, aſſignat alterum iudicium, nempè *externum publici miniſterij, quod in Verbo conſiſtit, & externam ſcripturæ claritatem*: ſed ne hoc ipſum miniſterium, quemquam ſuo ligaret imperio, rem vno verbo, ibidem abſoluit Lutherus: *Sic*, inquit, *dicimus, ſcriptura iudice, omnes ſpiritus, in facie Eccleſiarum eſſe iudicandos*; Omnium igitur ſpirituum, dogmatum, ſenſuum, definitionum etiam reformatarum iudices ſunt ſingularis quilibet, verbum Dei, verbi miniſterium conſiſtens in ipſo verbo, quiuis de populo ex ſcriptura garriens, & *iudicans omnes ſpiritus in facie Eccleſiarum*. Idem aſſerit Melanchton in locis communibus; Brentius in Prolegomenis, & alij reformati quamplures.

§. II. Hanc aſſertionem fecere ſuam, confeſſiones reformatæ, VVittenbergica, tit. de ſcripturis. *Spiritus Sanctus eſt liberrimus, nec ad certam hominum genus eſt obligatus &c.* Ergo ad ſingulos, ſingulaſq; authoritas in cauſa Religionis, & reformationis pertinebit, & ſedere pro tribunali; & ſpiritus ille, qui non eſt obligatus in iudicando, ad certum hominum genus, ſedens in cerebro cuiuslibet hominis, omnes iudicabit. Hinc Auguſtana confeſſio, de poteſtate Eccleſiaſtica, art. variato. *Habet*, inquit, *Eccleſia donum interpretationis, id eſt, donum cœleſtis doctrinæ, ſed id donum non eſt alligatum ad Epiſcoporum titulum, vel ordinem: ideo nequaquam eſt poteſtas interpretationis, ſimilis regiæ, vel prætoriæ; ſed eruditi in verbo Dei, & renati Spiritu Sancto, vbicumq; ſint, aſſentiuntur verbo Dei, & id intelligunt alij magis, alij minus.* Vbicumque erunt ergo iſti ſpirituales, ſiue hiſtrio in foro, ſiue coquus in coquina, ſiue muliercula ad colum, ſiue Lanarius in officina, ſiue cerdo reficiens crepidam, habent donum interpretandæ doctrinæ cœleſtis. O donum Babylonicum, in illa confuſionis turre progenitum! Confeſſio Gallica art. 4. vult Canonem Bibliorum diſcernendum eſſe *per perſuaſionem internam*: Si Canon; vtique, & ſenſus, & explicatio reducenda erit ad iſtam perſuaſionem ſuſurrantem, & muſſitantem, in cuiuslibet homuncionis, & mulierculę cerebro, iudicantis de omnium hominum ſententijs, & doctrinis. Hoc ipſum iudicium, in re tanti momenti, ad eandem perſuaſionem reducit, Belgica confeſſio art. 5. ad quem internum ſpiritum, ſcripturæ Interpretationem refert: confeſſio Scotica prior art. 18. huic particulari cuiuſlibet ſcrutinio, ſubdit omnes Conciliorum, & Eccleſię vtique definitiones, Anglicana confeſſio art. 21. Hel-

uetica prior cap. 2. poſterior item cap. 2. Baſileenſis art. 11. Argentinenſis cap. 1. Saxonica cap. de Eccleſia; Bohemica art. 1. Synodus nationalis Belgica, Gallica, Germanica anno 1578. n. 29. & cap. 6. de Diſciplina Eccleſiæ, prohibet; ne vllus in Eccleſia ſuperioritatem ſuper alium habeat, loquendo de præsbyterijs, miniſtris, ſenioribus, Diaconis, ſed ſinguli inquit, *caueant a tali ſuſpicione*, ſcilicet ſuperioritatis.

§. III. Supereſt itaque, vt quiuis è plebe ſit ſupremus omnium Miniſtrorum, prædicantium, ſuperintendentium iudex in cauſa Religionis, & prætenſæ reformationis. Sedebit, ſcilicet, pro tribunali, fortè & in ſynodo nationali congregata, magna miniſtrorum, ac ſuperintendentium, & ſeniorum caterua, aperit Biblia, ſcrutatur ſcripturas, edit tandem decreta aliqua in cauſa reformationis, condit articulos reformatæ confeſſionis: ſed habentne vim obligandi illa decreta, illi articuli ſtatim, ac promulgantur ſine vlla tergiuerſatione? non, inquit aliquis è plebe homuncio, nam & nos ſcrutamur ſcripturas, & ius ſimiliter habemus ad miniſterium verbi, & Synodus Dordracena anno 1574. num. 20. ordinat, vt *opifices mechanici, & ſimilis fæx, qui volunt fieri miniſtri Eccleſiæ, admittantur, qui hæc dona habent, ſcilicet modeſtiam, ingenium diſcretionem, eloquentiam*: vult, inquiet inſuper, Caluinus, *nulla Conciliorum nomina impedire, quominus omnes omnium ſpiritus, ad diuini verbi regulam exigamus*; Decernunt item acta nationalis ſynodi Belgicę, Germanicæ, Gallicæ anno 1578. cap. 6. de diſciplina Eccleſiæ, *vt nullum presbyterum ſuper aliud presbyterum, nullus miniſter ſuper alium miniſtrum, nec ſenior ſuper ſeniorem ſuperioritatem habeat*. Sed eritne illa definitio ſynodi reformatæ norma, vel regula, quam ſequi oportet in credendo? non, inquiet iſte homuncio: *Sed tantum inſtar præiudicij*, vt ait Caluinus, *ita tamen, vt examen meum non impediat*: ſed replicabunt membra ſynodi, ſe nomine Eccleſiæ reformatæ fuiſſe congregata, adeoque ſpiritu, & verbo Dei ſcripto fuiſſe inſtructa: opponet ruſticellus pro ſe, Lutherum aſſerentem, *omnes ſpiritus in facie Eccleſiarum eſſe iudicandos*.

§. IV. Habet item pro ſe ruſticellus ille, vel cerdo ad crepidam ſuam, habet, inquam, Dauidis Blondelli fuſam ſatis diſſertationem, *de iure plebis, in regimine Eccleſiaſtico*; habet confeſſionis Anglicanæ ſententiam art. 21. *ordinationes Conciliorum, nec vim, nec robur habere, niſi indicentur ex ſcripturis deprompta*: habet primorum reformatorum praxim, & doctrinam, reijcientium omnium omninò hominum iuriſdictionem, & decreta, ad particulare cuiuslibet

iuslibet arbitrium, & examen; habet, totius prętenſę reformationis effrænem licentiam, voluendi, & euoluendi Biblia in linguas vulgares traducta, ex quibus ſinguli, & ſingulæ omnium Doctorum, interpretum, miniſtrorum, Conciliorum ſiue nationalium, ſiue generalium ſententias, dicta, decreta, definitiones expendant: habet item Cerdo ille Auguſtanæ confeſſionis axioma, tit. de poteſtate Eccleſiaſtica, ſcilicet *retinendam eſſe in Eccleſijs doctrinam de libertate Chriſtiana*. Quę nullis obſtringitur legibus, vt eodem titulo declaratur: manet ergo ſui iuris cerdo, ſeu ruſticellus ille, ne in vllius Miniſtri, prædicantis, ſuperintendentis, imò vel synodi ſententiam iuret, niſi eam prius ipſe pro tribunali ſedens, ad examen reuocet, acceptandam, ſi eius arbitrio videbitur, vel etiam reijciendam, vtroque notandam lapillo, ſi cerebello ſuo placuerit. Habet itaque ex principijs reformationis, quiuis de plebe, ampliſſimum libertatis diploma, quo ab omnium reformatorum ſimul, & ſeorſim ſumptorum iuriſdictione, in cauſa Religionis, eximitur, & quo ſubdit ſuæ cenſuræ omnes eorum ſententias.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex prætenſæ reformationis principijs, garrula quæuis muliercula, ſupremam habet authoritatem, iudicandi omnium reformatorum in cauſa fidei, vel reformationis, dicta decreta, ſententias.

§. I. REpetenda hic ſunt prætenſæ reformationis axiomata, quibus totius Eccleſię Chriſti Hierarchiam penitus ſubuertere, à ſedibus imis euellere moliti ſunt prætenti reformati: nempe *ordinata à Concilijs Generalibus, nec vim, nec robur habere, niſi dependenter à particulari cuiuſlibet ſcripturæ ſcrutinio*: vt innuit confeſſio Anglica art. 20. & 21. hoc particulare ſcrutinium pertinere ad ſingulos, ſingulaſque, vt vult confeſſio VVittenbergica tit. de ſcriptura citans illud, num. 11. *quis tribuat, vt omnis populus prophetet*, & Iudicum 4. *Debbora mulier excitatur in Prophetam*: hoc ipſum ſcrutinium ſiue reponatur penes totum populum etiam reformatum, ſiue penes quemlibet, & quamlibet ſeorſim, non poteſt quemquam ad aſſenſum obligare: quia ſecundum confeſſionem

nem Auguſtanam, poteſtas interpretandi, non eſt ſimilis prætoriæ: Secundùm confeſſionem Gallicam, nulla Eccleſia debet prætendere dominationem ſupra aliam, nec presbyterium ſupra presbyterium, nec miniſter ſupra miniſtrum, nec ſenior ſupra ſeniorem, vt decernunt acta nationalis synodi Germanicæ, Belgicæ, Gallicæ; tota iuriſdictio Eccleſiæ conſiſtit in miniſterio verbi, vt vult reformatio, hoc miniſterium conſiſtit in lectione ſacræ ſcripturę, quæ vt ſit licita omnibus, Biblia verterunt prætenti reformati, in ſua vulgaria idiomata, vt quilibet, & quælibet ea ſcrutetur; & inde expendat omnium ſententias in cauſa fidei.

§. II. Hinc dum Miniſter è ſuggeſtu ſuggerit, legitque verbum ſcriptum, ſecundum acta nationalis synodi Belgicæ, Germanicæ, Galiicæ, decernentia, vt *Miniſtri concionem habeant, de qua alij iudicabunt, & ſi quæ ſint emendanda, monebunt*. Hinc, inquam, ſinguli, & ſingulæ, nobiles, ruſtici, mulierculæ, pueri, puellæ, mechanici, ſuggeſtam lectionem, & concionem expendunt, ad amuſſim ſacri codicis aperti, & oculis cuiuſq; obiecti: id enim oneris ex præſcripto prætenſæ reformationis, incumbit cuilibet, nullius dicto, decreto, ordinationi, vel deciſioni acquieſcere, niſi ipſe ea expenderit in trutina ſacrorum Bibliorum, nec enim in iſto negotio plurium ſententia, quidquam obtinet authoritatis, apud mulierculas reformatas, vt declarat VVittenbergica confeſſio tit. de ſcriptura, & tit. de Concilijs: Vnde Melanchton in locis communibus, inquit, *Non talia ſunt iudicia Eccleſiæ, qualia ſunt iudicia politicorum: nam in politicis, aut Monarcha ſolus, aut in Senatu valet ſententia maioris partis: ſed in Eccleſia valet, ſententia congruens cum verbo Dei, & confeſſione piorum, ſiue ſint plures, ſiue pauciores impijs*: & infra. *Nec hoc recipiendum eſt, maiorem partem ſuffragiorum, anteferendam eſſe*. Pauci ergo erunt iudices, & ex illis adhuc minor numerus. Ex iſto aliqui pij, ex his quilibet, & quęlibet, vt tandem pauci ſint iſti omnes, & ſinguli, & ex omnibus vna muliercula, omnium omninò iudex.

§. III. Nunc ſic, omnis doctrina de fide, à quocumque miniſtro prædicante, ſuperintendente, imò, & toto reformatorum coetu in synodo nationali, vel generali congregato propoſita, ſubeſt ſcrutinio, & examini cuiuſuis infimæ mulierculæ, vel anus edentulę, an talis doctrina concordet cum ſcripturis, ergo tantundem habet iuriſdictionis illa muliercula, ſeu anus edentula in negotio Religionis, & prætenſæ reformationis, quantum habent omnes miniſtri, ſuperintendentes, cæterique reformati ſeorſim,

vel ſimul etiam in ſynodo congregati. Antecedens patet ex principijs ipſius reformationis, conſequentia item tenet; nam ſi omnes prędicantes, Miniſtri, Doctores, Superintendentes ſeorſim, vel ſimul in ſynodo, Conſiſtorio, aut presbyterio congregati ex vna parte, ſcrutarentur ſcripturas, & ex illo ſcrutinio doctrinam à ſe depromptam proponerent; ex alia parte ſederet illa muliercula, vel anus edentula, ſcrutans pariter ſcripturas, & ſcrutationes ſuas, cęteris mulierculis proponeret; non plus, nec minus ſubeſt iudicio, examini, ac Scrutinio cuiuslibet in particulari ſententia Miniſtrorum, ac totius ſynodi, ſeu Conſiſtorij, vel Presbyterij, quam doctrina illius mulierculę, vel anus edentulę: ergo paris eſt ponderis, & authoritatis ſententia prędictę mulierculę, vel anus, ac deciſio, doctrina, & definitio omnium Miniſtrorum, & reformatorum ſimul, vel ſeorſim ſumptorum; Si enim non debet pręſtari aſſenſus ſententię, vel ſcrutinio illius mulierculę, niſi prius expendatur ad trutinam Sacri Codicis, non etiam debet pręſtari definitionibus ſynodi, Conſiſtorij Miniſtrorum, vel ſuperintendentium, niſi ſimiliter illę examinentur, & diſcutiantur ad amuſſim Bibliorum; hoc enim inculcant axiomata reformationis: ergo tam eſt iudex omnium controuerſiarum illa muliercula, quam omnes reformati, ſimul, & ſeorſim.

§. IV. Patet hoc vlterius; nulla datur publica authoritas, in cauſa Religionis prædicandi, decidendi, vel proponendi ſacram doctrinam, quam ex reformationis principijs quilibet, & quęlibet, antequam illi ſe ſubmittant, non teneantur ex ſacris litteris, dijudicare, ſitne illa doctrina ſana, cui ſubijciantur, vel erronea, quam reijciant; ergo cuiuſcumque doctrinę in cauſa Religionis à reformatis ſimul, & ſeorſim propoſitę, ſupremus iudex eſt quęuis muliercula, vetula, vel anus edentula; quod ſi illius mulierculę ſententia nullum aſtringit, niſi prius examinetur, ad lunam ſacri codicis, ita ſimiliter nullius Miniſtri, ſuperintendentis, vel ſynodi reformatę ſententia, quemquam obligat, iuxta reformationis principia, niſi prius expendatur in trutina Bibliorum, ergo tam ſubeſt omnium reformatorum doctrina, cuiuslibet hominis particulari ſcripturę ſcrutinio, quam ſententia illius vetulę, vel mulierculę; ergo non minore pollet authoritate illa muliercula, quam omnes reformati in ſynodo Generali congregati, ergo ſicut illius mulierculæ doctrina ſubeſt cuiuslibet particularis hominis arbitrio, & examini, ita totius reformatę ſynodi definitio, & doctrina ſubeſt illius mulierculę ſcrutinio, & examini, ergo eiuſdem

tandem

tandem Synodi ſupremus iudex erit illa muliercula.

§. V. Quod ſi quis, mulierculam iſtam hoc ſupremo iudicandi munere, vel iure, priuare vellet, allegabit pro ſe prætenſæ Reformationis axiomata, ſuperius toties allata: allegabit quorumdam Reformatorum particulares, de hoc mulierculanum iure, ſententias: Nam Ioannes Maior contra Valerianum Magnum ſect. 2. *Nec priuandæ ſunt*, inquit, *ouiculæ libertate expendendi, doctrinam ſibi propoſitam, multo minus ad brutam, & mutam fidem adigendæ*. Atque illa muliercula eſt ouicula: ergo iudicio Ioannis Maioris, non eſt priuanda libertate expendendi doctrinam ſibi propoſitam à Reformatis, etiam in Synodo congregatis. Clarius adhuc pro muliercula cantat Iacobus Martini, in Vindicijs Eccleſiæ Lutheranæ pag. 201. *Concedimus*, inquit, *quod non quælibet, ſed eiuſmodi muliercula, quæ veram fidem habet, tam certa eſſe poſſit, imo longè certior de ſua fide, & ſalute nempe per verbum auditum edocta, à Spiritu Sancto, quam omnes Epiſcopi in Generali Concilio à Romano Pontifice approbato*: Adde etiam, quam omnes prætenti Reformati, Miniſtri, Doctores, ſuperintendentes, vel ſimul in Synodo, ſeu Conſiſtorio, vel ſeorſim ſumpti: ſed enucleatius id ipſum, in fauorem eiuſdem mulierculæ, exprimit ibidem ſubiungens, *& facile quoque concedimus, quod multæ in Eccleſia noſtra ſint mulierculæ*, (vtique vxores præſertim Miniſtrorum ſuperintendentium, & Doctorum reformatorum, eorumque ancillæ, gallinis, colo, coquinæ, piſtriniæque aliàs licet intentæ) *quæ longè plura & certiora ex ſacris litteris, & rectè intellectis ſciant, & intelligant, quam Epiſcopi Papani iſti, ſiue ſint in Concilio coacti, ſiue extra*: Eat nunc neſcio quis Miniſter ſuperintendens, doctor, imo tota aliqua reformatorum Synodus, & tentet obligare mulierculam iſtã, ad aſſentiendum ſuæ doctrinæ, recuſabit vtique illa, tam amplo libertatis iure dotata.

§. VI. Ne autem ſoli Epiſcopi Papani, etiam in generali Synodo congregati, ſubijciantur cenſuræ illius mulierculæ, definitiuam ſententiam contra omnes, qui ſibi, ſuæque doctrinæ credi, cum obligatione prætenderent, pronunciat Ioannes Botſacus Lutheranus, in Antiualeriano parte 2. cap. 3. *Hæc propoſitio*, inquit, *in materia fidei non eſt credendum omnibus, ſingulisue hominibus, vel Concilijs non eſt abſurda*, & parte 1. *omnes pij*, inquit; *ad ſcripturam ſacram remiſſi ſunt, ſine vlla Papæ vel Concilij mentione*; atque adeo muliercula illa nulli hominum, debet credere: ſed remittenda eſt ad ſcripturam, vt inde expendat omnium

hominum ſententias: hinc addit diſquiſitio Anonymi contra Valerianum Magnum cap. 2. *Rectè quidem verbis illi aduerſus Pontificios negant Eccleſiam, eiuſque doctores, aut Concilia, controuerſiarum fidei iudices eſſe tales, quorum ſententias ſequi omnes, ſi æternam damnationem effugere velint, obligati ſint.* Non ergo Eccleſia reformata, non eius Synodi, non conſiſtoria obligare poſſunt illam mulierculam, atque adeo tam pro tribunali in negotio fidei ſedere poteſt, ac tota Reformatorum multitudo.

§. VII. Cauſam tandem euicit muliercula, ſupra omnium Miniſtrorum, Doctorum, Prædicantium, Synodorum reformatarum cenſuras, Decreta, definitiones euecta, & iudex conſtituta, per diplomata ampliſſimæ libertatis, ac iuriſdictionis, ſibi ex Religionis reformatæ principijs conceſſa: prædicat Miniſter aliquis, prædicationem ex ſacris litteris expendit muliercula, producit definitionem Synodi reformatæ, vel editam à Synodo Religionis reformatæ confeſſionem, hanc, & illam examinat ad trutinam Bibliorum muliercula. Exiget obedientiam mulierculę, erga ſynodalem definitionem Miniſter: nolet acquieſcere muliercula, niſi prius ipſa ſedens pro tribunali, diſcutiat propoſitam definitionem; fulminabit pro Synodi authoritate Miniſter, cachinnos dabit muliercula, quaſi verò, inquiens, ignores dictum Melanchtonis aſſerentis iudicia Eccleſiæ, non eſſe inſtar politicorum, in quibus, vel Monarcha ſolus, vel maior pars præualeat. num vis eſſe inſtar Monarchæ? num veſtra Synodus vult eſſe inſtar iudicij politici, in quo maior pars præualet? ſed mira tua arrogantia, inquiet Miniſter, quod tu ſola vis tantum ſapere, quantum tota Synodus, & mulieres debeant tacere, & audire; tu es Magiſter in Iſrael, replicabit muliercula, & ignoras ſcripturam citatam à Confeſſione VVittenbergica, ex Iudicum 4. *Debbora mulier excitatur in Prophetam*: num audiſti Ioannem Maiorem, Iacobum Martini, Ioannem Batſacum, diſquiſitionem Anonymi, tandem Confeſſionem Anglicanam, volentem, quod Decreta Synodi, non habeant vim niſi declarentur deprompta ex Biblijs: ſit ità, inquiet, Miniſter. Declaratio tamen Synodi, præferenda eſt particulari cuiuſlibet examini: alias ad quid congregaretur? Quid obtundis mihi caput, inquiet illa, cum Auguſtana confeſſio dicat, quod poteſtas interpretandi, non ſit ſimilis regiæ, vel prætoriæ, flocci igitur facio veſtram declarationem, nec illi volo acquieſcere priuſquam ipſa eam, & cætera veſtræ Synodi decreta, expendam ex meis Biblijs: nam ſi vos ſcrutamini

ſcri-

ſcripturas, & ego eas ſcrutor, ſi vos ex ſacris litteris, conſulitis ſpiritum, & ego eum ſimiliter conſulo, ſi meum ſcrutinium propoſitum cæteris mulierculis, eas non obliget, niſi rurſus illæ ſcrutentur ſcripturas, illudque expendant, neque etiam veſtrum, vel me, vel quemquam alium, ex veſtris principijs, obligat, donec ego ipſa pro tribunali ſedens, illud examinem: ſupereſt ergo, vt illa muliercula, vel anus edentula, ſupremam habeat authoritatem iudicandi, expendendi, ac tandem decidendi omnium Reformatorum ſimul, & ſeorſim ſumptorum dicta, ſententias, Decreta, & Confeſſiones, in cauſa Religionis reformatæ editas. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Tota tandem Reformatorum iuriſdictio in cauſa Religionis reformatæ, deſinit in ludicram hiſtrionum ſcenam, & fanaticorum delirium.

§. I. EX Religionis reformatæ Principijs, apud Reformatos, duo profluxere monſtra, nempe Anarchia in adminiſtratione diſciplinæ, qua nemo ſubeſt, nemo præeſt, & Pandoxia in doctrina Religionis, ſeu quod libet audiendi, opinandi, & credendi æqua libertas; quod malum vtpote, omnibus olim hæreticis commune, deſcribit D. Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum. *Quod medicorum eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri: ſola ſcripturarum ars eſt quam ſibi omnes vendicant, ſcribimus indocti, doctique poemata paſſim, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant, alij adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur, alij diſcunt, proh pudor! à fœminis, quod viros doceant, ne parum hoc ſit, quadam facilitate verborum, imo audacia ediſſerunt alijs, quod ipſi non intelligunt.* Si vixiſſet hiſce temporibus Hieronymus, audiſſetque Iacobum Martini; vidiſſet hoc ipſum malum hodie vigere, & miraretur mulierculas Eccleſiæ reformatæ, quæ teſte Iacobo longè plura, & certiora ex ſacris litteris, à ſe lectis, & intellectis ſciant & intelligant, quam omnes Epiſcopi papani, ſiue ſint in Concilio coacti, ſiue extra Concilium conſtituti, adde, & quam omnes etiam Miniſtri, vel ſuper-

ſuperintendentes, ſiuè in Synodo congregati, ſiue extra Synodum conſtituti. Bone Deus: ſi iſtæ mulierculæ exſtitiſſent temporibus Apoſtolorum, non eſſet illis opus act. 15. conuenire, & videre de verbo hoc, & facere magnam illam conquiſitionem, ſaltem ſi extitiſſent temporibus Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Calcedonenſis Concilij, rem ſubitò definiuiſſent, abſque tam ſolemni diſputationis apparatu, vel tanto Doctorum, & Epiſcoporum numero: ſed habent hoc priuilegium, à fabris reformatæ Religionis, mulierculæ, garrulæ anus, deliri ſenes, pueri, puellæ, ruſtici, rudes, opifices, vt ſedeant pro tribunali, & omnium hominum dicta, ſententias, decreta in cauſa fidei ſuæ cenſuræ ſubijciant.

§. II. Vt præfatum fidei Tribunal, in cuiuſlibet fanatici cerebro collocarent prætenti Reformati, plura pro tanto priuilegio ſtatuere principia, ac primò vnanimi omnium Reformatorum conſenſu, decretum eſt ſolam ſcripturam, eſſe regulam totius veritatis, ac iudicem omnium controuerſiarum; ſecundo ipſam eſſe claram, euidentem, & cuiuſlibet ſenſui patentem, ſicut patet albedo, & nigredo, dulce, & amarum, lux deniq; ſolis, cũ ſcriptura prætendatur eſſe lucerna pedibus ſingulorũ, & ſingularum de grege reformato. Hinc tertio ſtatutum eſt à reformatis, vel Biblia in idiomata vulgaria omnium nationum, in quas penetrauit reformatio, verterentur, ad hoc vt quilibet, & quælibet illa ſcrutaretur; & ex illis omnium hominum in negotio Religionis, doctrinas, ſententiaſque dijudicarent. Quarto denique, & conſequenter ad dicta principia, ordinarunt ſimiliter reformati, & quidquid è pulpitis ſuggereretur, vel in ſynodis nationalibus, imò & Concilijs œcumenicis totius Eccleſię, aut definiretur, aut diſcerneretur, id nullius eſſet roboris, vel authoritatis, ad quemuis aſtringendum, niſi prius quilibet, & quælibet arriperet Sacrum codicem, & ad eius trutinam libraret propoſitam doctrinam, libertate data eam acceptandi, ſi ſic videretur ſpiritui reformato, vel reſpuendi, ſi idem ſpiritus ſic expedire iudicaret.

§. III. Hinc naſcitur, vt vltimus ex Concilio, vel ſynodo tantumdem habeat iuriſdictionis in negotio Religionis, ac reformationis, quantum habet totum Concilium, & quælibet muliercula, tam benè poſſit iudicare de toto illo Concilio, quam ipſum Concilium prætenderet, iudicare mulierculam: atque adeò quidquid iuriſdictionis ſibi aſſumunt prætenti reformati, iuxta ſua propria

prin-

principia, non eſt niſi hiſtrionica fabula, & merum fanaticorum delirium, vt ex eorum principijs elicitur: Nam VVittenbergica confeſſio tit. de Concilijs. *Multi in nomine Chriſti conuenire videntur, tamen pauci ſunt electi, & non eſt omnium fides, & in Eccleſiaſticis coetibus fieri ſolet, vt maior pars vincat meliorem.* Hinc Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 9. §. 8. monet, *vt non numerentur, ſed appendantur ſententiæ.* Quare? quia dubium eſt ex principijs Reformationis, quænam eſt melior pars, item quinam ſint electi, quorum ſententia, ex ijſdem principijs, prætenditur melior, & ne Spiritus Reformatorum, vllius hominis, vel hominum cœtus ſententiæ acquieſcere teneretur, Lutherus omnia repagula perrumpit, additque in ſuis aſſertionibus art. 29. *Via nobis facta eſt eneruandi authoritatem omnium Conciliorum, & liberè contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta &c.*

§. IV. Vnde ſic, vel credunt prætenti Reformati ſe pollere aliqua iuriſdictione in rebus fidei decidendis, vel non? ſi non, ergo nec prædicare, nec docere, nec proponere quidquam debent vlli mortalium in illa cauſa: ſi credunt ſe aliqua iuriſdictione pollere in prædictis rebus, adhuc illa corruit, iuxta eorum principia, cum nemo teneatur ei acquieſcere, vel aſſenſum præbere, quod patet ex principijs Reformationis, ſtatuentibus communiter, omnes omninò Reformatos in cauſa fidei decidenda, vel examinanda, eſſe æquales, ita vt vltimus è Concilio tantumdem habeat authoritatis, quantum tota collectio, & infimus quiſque e plebe, vel quæuis garrula anus, libere, & licite valeat, & poſſit omnium Reformatorum ſimul, vel ſeorſim ſumptorum, ſententias expendere, approbare, vel reprobare.

§. V. Vt tandem Decreta, edicta, vel definitiones Reformatorum, ſiuè in Synodo, ſiue in ſuggeſtis propoſita, & declarata, non plus roboris habeant ad inducendam obligationem acquieſcendi, in cæteris mortalibus, quam habent fictæ hiſtrionis fabulæ, in foro expoſitæ; quidquid enim hiſtrio vel ludit, vel agit, vel dicit, ſubeſt ſpectatorum iudicio, & cenſuræ; ſi hiſtorias narrat, hiſtorici iudicant, ſi merces exponit, emptores ſunt arbitri, ſi pharmaca vendit, conſiderant Medici, quamcumque ſimulat artem, opifices, in ſua quiſque arte penitus æſtimat: Apud Reformatos verò, nè quidem hæc ipſa diſtinctio in negotio Religionis habetur; quilibet, & quælibet in hac cauſa eſt actor, & cenſor: proponat Synodus reformata ſuam definitionem, ſinguli, & ſingulæ propoſitam definitionem examinare tenentur, ante-

quam

quam eam vel probent, vel acceptent: ex multis enim capitibus licebit populo reformato iſta diſcuſſio: nam dubium eſt, an omnes ibi congregati fuerint electi, adeoque an habuerint veram fidem, Deinde ex principijs reformationis, fortè maior pars vicit meliorem: rurſus fortaſſe etiam, non omnes fuerunt veri paſtores, in quibus vult Caluinus delectum haberi, ne qui dicuntur, tales eſſe quoque exiſtimentur, vnde quilibet, & quælibet debet examinare dotes, qualitates, & prærogatiuas Reformatorum, in Synodo definientium, vel proponentium negotia Religonis, vel Reformationis: eodem planè modo, quo ſpectatores hiſtrionem iudicant, an rectè pronuntiet, an eleganter componat, an ingenioſè fingat: adeo vt tota hiſtrionis Comædia ſubſit rigidiſſimæ anatomiæ, priuſquam hiſtrio ipſe, ſeu mimus, laudes, munera, vel præmia reportet.

§. VI. Similiter doctrina reformata, ſiue à Synodo definita, & propoſita, ſiue e ſuggeſtu à prædicante ſuggeſta, ſubeſt tam ſeueræ auditorum, & ſpectatorum anatomiæ, vt ſi ille præfatam doctrinam, tanquam abſolutè neceſſariam, adeòque ſine indagine acceptandam, vtpote à Synodo reformata definitam, pronuntiaret, ſibilis, & riſu, ne dicam, fuſtibus excipiendus cenſeretur: cum hoc ipſo velut ſacrilegus impoſtor haberetur, qui tam impudenti arrogantia vellet iura Reformatorum inuadere, vel priuilegia ampliſſima violare, per quæ plenitudo poteſtatis in omnium dicta, decreta, & ſententias, in cauſa fidei conceditur ſingulis in particulari, de grege reformato; & ſicut ſi Comædiam ſuam ille hiſtrio ita laudaret, vt diras, & execrationes in vituperatores, vel oblocutores fulminaret, hoc ipſo inſanus, arrogans, ac temerarius iudicaretur, quod omnium iudicia, ad arbitrium ſuum ſequendum, vellet compellere: ita Synodus illa reformata, vel Miniſter, ſi ſuam ſententiam velut obligatoriam proponeret, tanquam inſolentiſſimus blatero, iuxta prætenſæ Reformationis axiomata, eſſet habendus.

§. VII. Atque ita ſupereſt, vt tota prætenſæ reformationis iuriſdictio, in cauſa fidei, deſinat in apertiſſimum fanaticorum delirium; & pergamus vrgere decreta Synodi reformatæ. In hac quoad negotium Religionis, nullus præeſt, nullus ſubeſt, ſolus iudex eſt ſacer codex, & cuiuſlibet particulare ſcripturæ ſcrutinium, & huius ipſius ſcrutinij, in Synodo facti, iudex eſt quilibet, & quælibet de triuio, de plebe: maior pars non habet imperium in minorem; ſi hęc ipſa pars minor quidquam definierit,

licet

licet illa, ex Confeſſione VVittenbergica, eſſet ſanior, eo quod minor, quia maior pars ſolet vincere meliorem; ex eadem confeſſione, adeoque maior erit ordinarie peior pars, minoris tamen partis ſententia, ſubeſt cenſuræ cuiuſlibet particularis, ſiuè ex illa ipſa collectione, ſiuè è communi plebe; & diploma, quod in Synodo conſtituit minorem partem in cauſa Reformationis, ſupra maiorem, collocat etiam ſingulos, & ſingulas particulares, ſupra totam Synodum, cuius ſententia, ſi proponitur populo, ſimul etiam ſubditur eius examini, iuxta illud citatum à VVittenbergica confeſſione ex num. 11. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet*? ſi etiam eandem Synodi ſententiam, Miniſter aliquis è Synodo rediens, proponat acceptandam vxori, citra vlterius examen, iſta & maritum, & Synodum ridet, allegans illud aliud, à Confeſſione VVittenbergica citatum, ex Iudicum 4. *Erat Debbora prophetis*: hoc exemplum, & priuilegium ſibi fauere prætendit: ſtant hinc inde filij, & filię, qui forte norunt legere Biblia, habent & ipſi pro ſe diplomata reformatæ libertatis, nec Patri, nec Matri, in iſto Religionis negotio parere volunt, cum & ipſi debeant ſcrutari ſcripturas: contendit populus tam inter ſe, quam cum miniſtro, nulli creditur, nulli paretur: ſtant indeciſæ lites, interim hiſcere non audet Miniſter, nemo motas poteſt componere lites; cum quilibet, & quælibet in hac cauſa ſit iudex, vt tandem populus reformatus, ſiue in Synodis, ſiue in templis, ſiue in ſuis priuatis ædibus, quoad cauſam fidei ſit inſtar cateruæ ſtultorum, vel fanaticorum turbę, vbi nullus ordo, nulla diſciplina, ſed ſempiternus ſit horror, ſpectatis Religionis reformatæ principijs, & libertate ſcrutandi ſcripturas. vt mirer, qua fronte Reformati vexent Catholicos, compellendo eos ſub tam grauibus pœnis, ad ſuas ſynagogas, in ea cauſa, in qua nullum ipſi Reformati agnoſcunt iudicem, ſupra vllius conſcientiam, & negatio cuiuſcumque iuriſdictionis, & authoritatis in cauſa fidei, ſit præcipua baſis prætenſę Reformationis.

DISTINCTIO TERTIA.

Vti prætenſi Reformati, ex dictis huc uſque, non ſunt ullatenus legitimi Paſtores, vel Doctores; ita etiam ex proprÿs principÿs, in negotio Religionis Chriſtianæ, ſunt fallaciſſimi Impoſtores.

SVppoſito ex dictis in principio operis, Deum in ſola Religione Chriſtiana, prouidiſſe humano generi, media ſalutis æternæ: ſuppono item, vti in illa eſt certa ſalus, ita extra illam, eſſe certiſſimum interitum, hinc eſt, vt ibidem inſinuaui, quod fideles adulti ſub pœna damnationis, obligentur ad obſeruanda præcepta Religionis Chriſtianæ; quare ſicut certa ſalus, petit certam notitiam mediorum, ita huic certæ notitiæ non poteſt ſubeſſe falſitas aut mendacium: vnde Deus, qui alias obligat ſaluandos credituros, & fideles ſub reatu mortis æternę, ad Chriſtianę fidei inſtituta, non poteſt ob infinitam ſuam veritatem, & bonitatem, obligare genus humanum, ad prębendum certum & indubitatum aſſenſum, ſub damnatione, huic Religioni potiùs, quam illi, ſi omnes Religiones, pari paſſu, eſſent erroribus, & mendacijs obnoxię. proinde ſit.

SECTIO PRIMA.

Perpetua Eccleſiæ infallibilitas, per Reformatos negata probat ipſam Reformationem eſſe fallacē illuſionē.

Hanc Eccleſiæ infallibilitatem, in ſecunda parte huius operis, fuſius probabo, ex ipſorum Reformatorum ſecum pugnantium dogmatibus: Nunc breuiter inſinuo, neminem poſſe certò & indubitanter aſſentiri alicui doctrinæ, niſi certus ſit, eidem doctrinæ nullam ſubeſſe falſitatem, quod etiam ipſi Reformati admittunt, cum vel idcircò ſolam ſcripturam, pro regula deſignent, eo quod hanc ſolam falli neſciant proclament: cum autem inter Chriſtianos, multa hinc indè, per mutuam oppoſitionem ventilentur v. g. realis præſentia, Miſſæ ſacrificium, ſacramen-

cramentorum numerus, & neceſſitas &c. hinc in rebus tanti momenti, & in tam acri concertatione, non poteſt intellectus humanus, vni parti potius, quam alteri certò, & indubitanter aſſentiri; niſi ſit certus, vnam partem, præ altera, eſſe veram & indubitatam, adeoque requiritur infallibilis aliqua authoritas proponentis, quæ reddat certum crediturum, ſe abſque deceptione poſſe aſſentiri propoſitæ doctrinæ, alias certum, & indubitatum aſſenſum præbere nequit; hoc breuiter præmiſſo. Sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Eccleſia prætenſa reformata, ex proprijs principijs, & primæuo inſtituto, impoſturis, & abominationibus ſcatet.

§. I. VT Eccleſiam ſuam reformatam, à crimine ſchiſmatis, & Apoſtaſiæ, vindicarent prætenti Reformati, ſecundam Reformationis erexere baſim, & principium, quo ſibi ſedulo, ac ſollicitè præfixerunt, veram, ac viſibilem Chriſti Eccleſiam, non ſolum errare potuiſſe, ſed de facto fœdè, ac turpiter erraſſe in doctrina fidei, & morum. Quare, in quocumque ſtatuatur Eccleſiæ infallibilitas, ſiue in aſſiſtentia Spiritus Sancti, & Chriſti præſentis ſuo ouili, ne vel oues paſſiuè ſeducantur per errores, neue Paſtores, aut paſſiuè quoad propriam fidem decipiantur, aut actiuè decipiant, proponendo falſum pro vero, vt volunt Romani Catholici; ſiuè in ipſo verbo Dei ſcripto, eiuſque particulari ſcrutinio, præmiſſa inuocatione Spiritus Sancti, vt volunt Reformati: omni tamen eiuſmodi infallibilitate deſtitui poſſe, ac deſtitutam fuiſſe Eccleſiam, vnanimi conſenſu aſſerunt ijdem Reformati: nec dubitant id animosè effutire, non obſtantibus ſiue oraculis veteris Teſtamenti, ſiue ipſius Chriſti promiſſionibus, quas, vt præfatam infallibilitatem, quam ſolertiſſimè declinarent, penituſque à fidelium collectione reijcerent; varijs modis, gloſſiſque à ſenſu Catholicorum remotiſsimis, explicauere, ludibrioque expoſuere. Prætendunt idcircò Reformati, Eccleſiam, quam ex errorum tenebris, ac vitiorum gurgite, ſe excitaſſe dicunt, eſſe illam ipſam Eccleſiam, quam Chriſtus in terris fundauit, ſuoque pretioſo ſanguine acquiſiuit, vt eam ſibi glorioſam exhiberet, non habentem rugam, aut maculam; quam tamen à multis ſæculis erraſſe, & Idololatrijs macu-

latam fuiſſe, magnis vociferationibus proclamant; vnde tam ipſam ſuam Reformationem ſimiliter errare, & pollui poſſe, iuxta ſua principia, negare non poſſunt.

§. II. Eccleſia ergo, quam reparare gloriantur Reformati, vt ipſi ſomniant, fuit quondam illa ipſa, quam Chriſtus pro generis humani procuranda ſalute ædificauit: atque adeò ſicut illa, non obſtante tanta Chriſti ſollicitudine, non obſtantibus eius promiſſis, item & Prophetarum veteris teſtamenti oraculis, Reformatorum iudicio, apoſtatauit ab ipſo Chriſto, ſic & Eccleſia Reformata Apoſtaſiæ, & abominationibus eſt obnoxia, quantumuis particulare ſcripturæ ſcrutinium largo pulmone ſpumet, quantumuis ſpiritum internum, eius vnctionem, imò & inuocationem Spiritus Sancti iactet; adhuc tamen non poteſt ſe declarare immunem ab errore, quin forte de facto errauerit; & quotidie turpiſſimè erret, & in auſpicanda Reformatione, eaque propaganda, & propugnanda contrahat, & contraxerit næuos mendaciorum, & abominationem deſolationis; nam cum nullam huiuſmodi immunitatem ab erroribus, concedat Chriſti Eccleſiæ prætenta Reformatio, neque eandem Eccleſiam olim temporibus Apoſtolorum exiſtentem, poſſit prædicta Reformatio excedere, vel in ſanctitate vitæ, vel puritate doctrinæ, non poterit à periculo errorum, & ſeductionum ſe immunem reputare, ſi vera prætendat ſe dicere, de lapſu Eccleſiæ Chriſti, niſi impudentiſſima arrogantia Reformati, ſe ſupra Chriſtum efferant, tanquam ſapientiores, prudentioreſque.

§. III. Nunc autem, vt ſtet ſacrilegum ſchiſma Reformationis immune ab infamia Apoſtaſiæ; vno ore Reformati aſſerunt, veram Chriſti Eccleſiam erraſſe: ait ergo Confeſſio Gallica art. 31. *Credimus neminem ſe debere propria authoritate, in munia Eccleſiaſtica intrudere: ſed hoc faciendum eſſe per electionem: hanc exceptionem addimus, quoniam aliquoties oportuit, & hoc præſertim tempore, in quo ſtatus Eccleſiæ erat interruptus, vt Deus modo extraordinario homines excitaret, qui denuò Eccleſiam erigerent*: & art. 28. nominatim ait, ab Eccleſia Romana exulaſſe, puram Dei veritatem, ibique regnare omne genus Idololatriarum: vult ſcilicet iſta Confeſſio, vt ſubſiſtat ſchiſma Reformatorum, totius Eccleſiæ ſtatum fuiſſe interruptum, & ne vlla exciperetur, ſpeciatim nominat Romanam: idem habet Confeſſio Anglica art. 19. *Sicut*, inquit, *Eccleſia Hieroſolymitana, Alexandrina, & Antiochena errarunt, ita Eccleſia Romana errauit etiam in fide*. Fuerunt autem omnes iſtæ Eccleſiæ ſe-

mel

mel ſaltem vera Chriſti ſponſa, vt patet ex ſcripturis, & hiſtorijs Eccleſiaſticis; non enim aliàs poſſent errare in fide Chriſti; niſi eam fidem ſemel haberent. Idipſum ſupponit Auguſtana Confeſſio. tit. de Miſſa art. variato. *Ob hanc cauſam plectitur Eccleſia cæcitate, diſcordia &c.* & tit. de diſcrimine ciborum. *Obſcurata eſt doctrina de gratia & iuſtitia fidei*, & mox. *obſcurata eſt Euangelij doctrina*: VVittenbergica confeſſio tit. de ceremonijs Eccleſiaſticis ſub medium: *Negari non poteſt, quin hactenus multis annis, non ſolum diſciplina Eccleſiæ collapſa ſit, ſed & mores eius magnis, & horribilibus vitijs corrupti ſint: verum etiam doctrina Eccleſiæ intolerandis corruptelis deprauata fuerit*:

§. IV. Succedunt aliæ Confeſſiones: Scotica prior art. 20. de Concilijs Generalibus: *Cauſa Conciliorum partim ſunt ad hæreſes confutandas, & vt publicam fidei confeſſionem poſteris darent, quod vtrumque authoritate verbi Dei ſcripti fecerunt, idque ſine opinione cuiuſuis prærogatiuæ, quod quia in Generali Concilio eſſent, ideo non poterant errare*. Non admittitur ergo à Scotis reformatis, hæc Eccleſiæ prærogatiua, quod non poſſit errare: & ibidem dicit, *in Concilijs erratum manifeſtè, in rebus maximi ponderis, & momenti*. Heluetica prior cap. 2. ſupponit, Patres Eccleſiæ, eiuſque doctores poſſe, & aliquando diſcordare à ſcripturis, eorum proindè. ſententias, non eſſe ſemper recipiendas; in eodem, inquit, ordine *collocantur Conciliorum definitiones, vel Canones*: quia ex eodem capite ſupponuntur poſſe errare, vnde non vult definitiones Eccleſiæ pati; eſto eſſent roboratæ *multitudine idem ſentientium, vel longi temporis præſcriptione*. Confeſſio Belgica art. 7. *omnes homines mendaces ex ſe ipſis ſunt, ipſaque vanitate vaniores*: Argentinenſis cap. 8. taxat Eccleſiæ proceres, de erroribus quibuſdam, per eos inductis. Saxonica cap. de Eccleſia, ait eos non eſſe membra Eccleſiæ, qui *docent Synodos, in quibus ſoli Epiſcopi dicunt ſententias non poſſe errare*: ſecundum hanc igitur Confeſſionem errant, qui dicunt, Eccleſiam non poſſe errare. Confeſſio Cyrilli Lucaris, magni à Caluiniſtis habita cap. 12. *Certum eſt, quod Eccleſia in via errare poteſt, falſum pro vero eligendo*: Eandem blaſphemiam de erroribus Eccleſiæ Chriſti, profitentur doctores reformati. Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 12. Lutherus in colloquijs Latinis tomo. 2. cap. de Patribus. Sebaſtianus Francus Epiſt. de abrogandis ſtatutis Eccleſiaſticis. Perkinſus in expoſitione Symoli, Napperus in Apocalipſim, & vt alios innumeros taceam, Centuriatores Magdeburgenſes pluribus locis, per ſuas centurias.

§. V. Nunc

§. V. Nunc ſic: Eccleſia reformata non poteſt equidem plus ſapere, quam ſapiebat primitiua Eccleſia, nec largiora diuinæ prouidentiæ dona prætendere poteſt, quam illa merito prætendebat ſe habuiſſe: ſed Reformati volunt vnanimi conſenſu, quod non obſtantibus illis donis, & prærogatiuis, perierit decor ille, & facies præfatæ Eccleſiæ: ergo quantumuis Eccleſia reformata iactet verbum Dei ſcriptum, vnctionem internam, larga dona Spiritus Sancti, adhuc eſt abominationibus, & impoſturis obnoxia; Quod hoc diſcurſu probo; omnis Chriſtianorum Eccleſia, ſecundùm Reformatorum principia, eſt & fuit ſemper defectibilitati, & deceptioni ſubiecta; prętenta Reformatio præſumit ſe eſſe Eccleſiam Chriſtianorum: ergo prætenta Reformatio adhuc eſt, & ſemper fuit defectibilitati, ac deceptioni ſubiecta. Maior conſtat ex dictis in ſuperioribus §§. Minor eſt Confeſſio Reformatorum, & conſequentia eſt legitima. Rurſus omnis Chriſtianorum cœtus, quantumuìs legat Scripturas, eaſue audiat, & inuocet Spiritum Sanctum, poteſt adhuc ſecundùm Religionis reformatę principia diſcordare à Scriptura, & deſeri à Spiritu Sancto, & errare in doctrina fidei; prætenti Reformati tenent ſe pro cœtu Chriſtianorum: ergo prætenti Reformati quantumuìs legant Scripturas, eas audiant, & inuocent Spiritum Sanctum, poſſunt adhuc diſcordare à Scripturis, deſeri à Spiritu Sancto, & errare in doctrina fidei. Maior patet ex Reformatis aſſerentibus, non dari aliam infallibilem fidei regulam, præter Scripturam lectam, vel auditam, præmiſsà inuocatione Spiritus Sancti: ſicut enim Reformati volunt Eccleſiam erraſſe non obſtante tali lectione, & inuocatione, ità idem de ſe ipſis teneant neceſſe eſt; minor & conſequentia patent.

§. VI. Item, nulla Eccleſia fallibilitati, & errori in rebus fidei docendis obnoxia, poteſt ſuam ſententiam pro verà, certà, vel infallibili Religionis Chriſtianæ doctrinà proponere: Eccleſia reformata fallibilitati, & errori eſt obnoxia in rebus fidei docendis, ergo Eccleſia reformata non poteſt ſuam ſententiam pro verà, certà, vel infallibili Religionis Chriſtianæ doctrinà proponere. Maior patet, nam implicat, quod erronea doctrina ſit infallibilis, & e contra. Minor eſt Reformatorum dogma aſſerentium totam Dei Eccleſiam, eſſe fallibilitati, & errori ſubiectam, & conſequentia eſt legitima. Rurſus quæcumque Eccleſia non poteſt validè vel legitimè ſuam ſententiam pro verà certà, & infallibili fidei Chriſtianæ doctrinà proponere, hoc ipſo, eius dogmata

mata

mata meritò ſunt ſuſpecta de impoſturis, & abominationibus; ſed Eccleſia reformata non poteſt validè aut legitimè ſuam ſententiam pro verâ, certâ, & infallibili Chriſtianæ fidei doctrinâ proponere: ergo dogmata Eccleſiæ reformatæ meritò ſunt ſuſpecta de impoſturis, & abominationibus. Maior de ſe conſtat: ideò enim Chriſtiani nec tutò, nec certò credere poſſunt Iudæis, vel Turcis in negotio fidei, quia certi ſunt, quod, dum in ſuis erroribus delirant, non poſſint ſinceram, & infallibilem veræ Religionis doctrinam proponere: Minor patet ex principijs Reformatorum tenentium veram Chriſti Eccleſiam erraſſe, & errare poſſe, & conſequentia eſt legitima: Præterea illa Eccleſia, cuius dogmata ſunt ſuſpecta de impoſturis, & abominationibus, non eſt audienda in cauſa ſalutis æternæ, ſed potius fugienda, & execranda: ſed dogmata Eccleſiæ reformatæ ſunt ſuſpecta de impoſturis, & abominationibus: ergo Eccleſia reformata in cauſa ſalutis æternæ non eſt audienda, ſed fugienda, & execranda. Maior eſt certa, quis enim in cauſa ſalutis, audire vellet Diabolum, cùm eius dicta meritò ſint ſuſpecta de impoſturis? Minor elicitur ex principijs Reformatorum imponentium errores ipſi Eccleſiæ Chriſti, & conſequentia eſt legitima. Quare ſi omnis Eccleſia Chriſtiana, in ſuis definitionibus, ſententijs, dogmatibuſq; fidei; ſit errori, ac deceptionibus obnoxia, vt volunt vnanimi conſenſu Reformati, ſane ipſi Reformati ſimiliter in auſpicanda, formanda, ſuſtinenda, & propaganda deformi illa ſua Reformatione, ſunt, & ſemper fuerunt erroribus, & deceptionibus obnoxij, vt meritò credi poſſit, quod prætenta Reformatio, ſit meritrix illa Apocalipſis 17. *Quæ ſedet ſuper aquas multas*: (hinc inde per auia, & deuia per confractas errorum delabentes) *cum qua fornicati ſunt tot Reges, & inebriati ſunt vino proſtitutionis eius*: vt tandem Ecclesia reformata non ſit reformatio errorum, cum ſit ipſa erroribus ſubiecta: ſed potius deformatio, impoſtura, & illuſio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Secundùm eadem Reformationis principia, ſimili periculo præſtatur fides in negotio Religionis, prætentis Reformatis, ac præſtabatur olim Prophetis Baal, vel hodie Rabbinis Iudæorum.

§. I. Mirabuntur Domini Reformati comparationem iſtam inter ſe, & præfatos Pſeudoprophetas, ac doctores factam, ſed mirentur potius ſuorum principiorum abſurditates, ex quibus illa comparatio manifeſte deducitur. Cupiebant itaque olim ſcire veritatem, & certitudinem victoriæ, Reges Iuda, & Iſrael Ioſaphat, & Achab. 3. Reg. 22. ille Prophetam Domini, hic ſuos conſuluit Prophetas; diſſenſerunt in oraculis edendis, & ille, & hi: ille negauit ſucceſſuram victoriam Achab; hi affirmabant, ſed mors Regi Achab inflicta, declarauit illius primi veritatem; horum vanitatem. Deſiderant mortales hodie, ſcire puram Chriſtianæ Religionis veritatem, diuiſi ſunt à cæteris orbis terrarum Chriſtianis prætenti Reformati, & mendacia, impoſturas, idolomanias, & quid non cæteris Chriſtianis, totique Eccleſiæ olim antè illos exiſtenti imponunt, clamántque idcircò reformandam eſſe Eccleſiam in fide, relegandos errores, reducendum purum putum Euangelium. Mota lis eſt non parui momenti, à qua pendet generis humani ſalus, vbi nempè cubet Chriſtus? vbi paſcat? vbi illius ſponſa Eccleſia? partibus vtrimque dicentibus: ecce hic eſt, ecce illic. Cui hic ſit ceſſura victoria iſtius hæreditatis adeundæ, quærunt proſelyti? vident tàm Catholicos quàm Acatholicos in hoc conuenire, Biblia eſſe reuelata à Deo, diſſentire tamen acerrimè de Bibliorum ſenſu, quem proſelyti iſti ſcire certò cupiunt, vt ſciant quid neceſſariò, & indubitantèr in cauſa fidei, & ſalutis æternæ credendum ſit: ad tribunalia ſua prouocant Catholici, prouocant ad ſua prætenti Reformati, infallibilitatem in definiendo pro ſe ſtare ex diuinis oraculis aſſerunt Catholici, nullam infallibilitatem volunt Reformati, quin & omnes omninò homines fallibilitatis incuſant.

§. II. Ita vt non minus timendum ſit homini de ſua ſalute

ſollicito, conſcientiam ſuam fidere, vel aſſenſum præbere tribunalibus prætenſę Reformationis in cauſa fidei, quam Prophetis illis Achab, & modernis Rabbinis ſeductis; & ſeducentibus, & ex principijs Reformationis manifeſtè colligitur, & probatur ſic: Nullum, præter Sacram Scripturam exſtat in hoc orbe tribunal in cauſa fidei ſecurum, & immune ab erroris, & fallibilitatis periculo ſecundum prætentos Reformatos: ergo ſecundùm eoſdem, nullus citra erroris, & deceptionis periculum in cauſa fidei, debet credere vlli Reformatorum tribunali. Antecedens eſt commune Reformatorum principium; atque adeò non eſt eis plus fidendum, vel credendum in hoc negotio, quam vel Prophetis Baal, vel Rabbinis Iudęorum; ſiquod enim eſſet eiuſmodi infallibile Religionis tribunal, eſſet Concilium œcumenicum, hoc autem non, vt vnanimi conſenſu protententur Confeſſiones, & dogmata Reformatorum. Nec eſt, quod hanc infallibilitatem refundant in Bibliorum codicem; quaſi inde in corda Reformatorum, inſtar radij ſolaris inſiliret, nam etiam Biblia legunt, voluuntque Rabbini, ſuas etiam expoſitiones edunt, traduntque, cum tamen turpiſſimè, & vſque ad perniciem æternam ſuarum animarum, ſuorumque ſequacium errent, in erroremque trahant miſeros Hæbræos. Nec eſt, quod rurſus Spiritum Sanctum iactent, quem iactabant ſimiliter Prophetæ Baal, reuera tamen mendacia, & impoſturas protulerunt, & infęlicem Achab morti expoſuerunt: vnde ſine cum his ſimul ad Spiritum internum conuolent Reformati, pari loco ſunt cum dictis Pſeudoprophetis, & Rabbinis.

§. III. Cùm igitur pro generali ſuæ Reformationis principio, ſtatuant Reformati nullum Chriſtianorum cætum, in cauſa fidei decidenda, vel definienda eſſe infallibilem; nulla ſimiliter Reformatorum congregatio, vel Synodus, in hac eadem cauſa erit infallibilis, iuxta Ariſtotelicam illam regulam ſuperius allatam: *dictum de omni, & dictum de nullo*. Secundùm quam, quod vniuerſaliter negatur de aliquo, idipſum negatur de quocumque contento ſub ipſo; negant autem vniuerſaliter Reformati, omnem infallibilitatem in cauſa fidei, de quouis Chriſtianorum viſibili cætu: igitur eam negant conſequenter ad ſua principia, de quocumque particulari cætu contento ſub generali illa omnium Chriſtianorum collectione; ſi enim vlla hominum congregatio dotaretur infallibili authoritate definiendi res fidei, maximè Synodus Apoſtolica act. 15. hæc autem, vt impiè bla-

terat Lutherus in hunc ipſum locum, non habuit hanc infallibilitatem: *nam*, inquit, *aliquid vna miſcetur*. & vt hanc ſileamus, ſi vllum eſſet immune ab errore, eſſent quatuor prima œcumenica Concilia, Caluinus tamen lib. 4. inſtit. cap. 9. vult quod *vel imperitia falli poterant, vel nimio affectu præcipites ferebantur.* & Vrbanus Regius, prima parte operum de Eccleſia, vult omnia Concilia pernicioſè lapſa. Sed vt hos mittamus, nullum Concilium relinquit Anglicana Confeſſio art. 21. ab errore ſecurum, & multa Concilia de facto erraſſe vult tam ipſa, quam VVittenbergica Confeſſio. Et Auguſtana conqueritur, quod metas audaciſſimè tollunt Epiſcopi, qui triplicem ſibi arrogant poteſtatem, qua confirmant pernicioſiſſimos errores, decreta, & iudicia Conciliorum. Et Doctorum Eccleſiæ poſſe impingere in verbum Dei, ab eoque diſcordare vult cum cæteris Confeſſionibus reformatis Gallica art. 5.

§. IV. Conſiliona igitur, Synodus, Congregationes, & Concilia Reformatorum, ſiue nationalia illa ſint, ſiue prouincialia, ſiue occulta illa ſint; ſiue publica, Biblijs etiam præſentibus lectis, & auditis, non gaudent vlla infallibilitate in cauſa Chriſtianæ fidei. Siue enim repræſentent totam Eccleſiam Reformatam, ſiue nationem aliquam particularem, ſiue prouinciam, vrbem, oppidum, pagum, vel parochiam, non ſunt tamen exempta, vel ſecura ab errandi periculo, nam quod omnibus omnino Concilijs, Synodis, Congregationibus totius Eccleſiæ Dei olim, etiam illis ipſis temporibus, quibus volunt Reformati tantum viguiſſe purum putum Verbum Dei ſcriptum, negant; hoc ſibi citra temeritatis, & manifeſtæ arrogantię faſtum attribuere, vel præſumere non poſſunt. Includuntur enim ipſi, vt fatentur, in omnium Chriſtianorum maſſa, atque, vt habent iura, *plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus; & in toto partem non eſt dubium contineri.* Reformati autem tenent ſe eſſe partes Chriſtianiſmi, quod ergò de toto negant, negare etiam de ſe, vtpote partibus eiuſdem Chriſtianiſmi debent, atque adeò ſimul, & ſeorſim ſumpti non ſunt infallibiles.

§. V. Itaque perinde eſt credere prętenſis Reformatis in ſuis Synodis congregatis quoad cauſam Religionis Chriſtianæ, ac ſi quis crederet prophetis Baal, & modernis Rabbinis. Patet à paritate; nam nec illi Prophetę olim, nec Rabbini hodie dubitant effutire oracula veritatis, & tamen in his, & illis loquebantur, & loquitur Spiritus mendacij, vt tandem figmenta, & impo-

poſturas, tam illi, quam hi, protulerint, & proferant: ſed ex ore Reformatorum, etiam in ſuis Synodis congregatorum, non poſſunt ſperari niſi figmenta, & impoſturę: ergo non magis credendum ipſis in ſuis Synodis congregatis, quam pręfatis Pſeudoprophetis, & Rabbinis. Subſumptum probatur: cum enim Reformatio, inter pręcipua ſua fundamenta, recenſeat hoc etiam generale principium, ſcilicet nullum prorſus extra nudum ſcripturę corticem, dari infallibilem definiendi authoritatem, debent ſimiliter ſe ipſos in hoc ipſo principio complecti, & fateri ſe non habere infallibilem definiendi authoritatem, ſed potius fallibilem, & erroribus obnoxiam, adeoque eorum doctrinam pariter eſſe fallibilem: ſed qui non tradit, nec proponit niſi doctrinam fallibilem, non magis eſt audiendus in cauſa fidei, quam Pſeudoprophetę Baal, vel Iudęorum Rabbini: prętenti autem Reformati in cauſa fidei, ex profeſſo non tradunt, nec proponunt, niſi doctrinam fallibilem: igitur prętenti Reformati non magis ſunt audiendi, quam Prophetę Baal, vel Rabbini. Probatur maior: ſint duę Congregationes conuocatę, in cauſa fidei definienda ęque fallibiles, non magis vna meretur audiri, quam altera, ſed tam eſt fallibilis congregatio Reformatorum in cauſa fidei definienda, quam fuit olim congregatio Prophetarum Baal, vel hodie Synagoga Rabbinorum. Maior patet à paritate: nam vbi par militat ratio pro vtraque parte in aliqua cauſa, neutra alteri meretur pręferri. Minor conſtat ex principijs Reformatorum, & conſequentia eſt legitima. Qui ergo ſequuntur Prophetas, & Doctores reformatos, ex profeſſo fallibiles, certè pari paſſu poſſent ſequi Prophetas Baal, & Rabbinos, cum non maiorem ab illis ſecuritatem, in negotio ſalutis ęternę ſperare poſſint, quam à dictis Pſeudoprophetis, & Rabbinis. Secutus eſt Achab Prophetas ſuos fallibiles, ſequuntur hodie infęlices Hębręi ſuos Rabbinos; mors ſecuta Achab declarauit eum fuiſſe deceptum, & ſeductum: declarat hodie Chriſtianorum commune iudicium ſeduci Iudęos. Sequuntur Miniſtros, prędicantes, ſuperintendentes Reformatos, ex profeſſo fallibiles, tot millia animarum: Et mors ęterna, heu! heu! ad quam, niſi reſipiſcant, pręcipites currunt, oſtendet eos fuiſſe infælicisſimè ſeductos, & deluſos, ergo vlterius,

ARTICVLVS TERTIVS.

Reformati ex proprijs principijs, in cauſa fidei definienda, vel docenda, Antichriſtianam arrogantiam exercent.

§. I. NOlunt reformati vllum vnum præeſſe Eccleſiæ, volunt, vt ſit nauis ſine naucleró, ouile ſine paſtore, regnum viſibile ſine vllo capite viſibili. Conantur idcircò omnem ſupremam authoritatem penitus euertere, calumniantur proinde non poſſe talem admitti, ſine nota manifeſtiſſimæ tyrannidis, cum nolint conſcientię Reformatorum vllis legibus, vel præceptorum habenis frenari, vt declarat Confeſſio Auguſtana art. de poteſtate Eccleſiaſtica. Confeſſio VVirenbergica tit. de Euangelio. Confeſſio Gallica art. 28. Confeſſio Anglica art. 37. vbi ſpecialiter loquitur de Romano Pontifice. Scoticana Confeſſio poſterior edita anno 1581. Edinburgi. Belgica art. 32. Argentinenſis cap. 8. Saxonica cap. de Eccleſia. Heluetica prior cap. 17. Heluetica poſterior cap. 18. Quamobrem negant Reformati omnem in Eccleſia primatum, vti negarunt olim eorum Anteſignani, Lutherus in aſſertionibus art. 25. Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 6. Magdeburgenſes verò cent. 1. lib. 2. cap. 7. conantur vndecim argumentis dictum primatum tollere. Proteſtantes in catalogo teſtium veritatis à D. Petri primatu negato, gradum faciunt ad Pontificem Romanum, in eumque mania, Vatinianoque furore debacchantur, quòd dicitur Eccleſię caput, de quo Lutherus in reſolutionibus, & in captiuitate Babylonica. *Quo iure* inquit, *Papa ſuper nos conſtituit legem? quis dedit ei poteſtatem captiuandæ noſtræ libertatis per Baptiſmum nobis donatæ?* Quare hanc ſupremam capitis Eccleſiæ dignitatem, Antichriſtianam potiùs, quam Chriſtianam furioſè blaterant, vt Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 6. Melanchton lib. de poteſtate Papæ. Napperus in Apocalipſim pag. 68. Fulco in reſponſo ad Pſeudocatholicum 36. Simon de Voiion in Commentario in catalogum Doctorum in Epiſt. ad Lectorem. Oſiander in Epitome cent. 6. Carnerigtus in replica part. 1. VVitakerus lib. de Antichriſto. Douunhamus in tract. de Antichriſto lib. 2. cap. 8. Midletonus in Papiſtomaſtige, & tandem

tandem eſt communis Reformatorum ſententia, etiamſi legant in Scripturis expreſsis Matth. 16. *Tu es Petrus; tibi dabo claues regni cœlorum, quidquid ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlo.* Et Ioann. 21. *Paſce agnos meos, paſce oues meas.*

§. II. Supremam hanc dignitatem immaniter inſectantur ideò Reformati, quod ſtultè, & ſtolidè putent ſe multa contra eam allegare capita; duo tamen præ cęteris vrgent; primum, quod exerceat iuriſdictionis poteſtatem in Eccleſiam: ſecundum quod hæc ipſa iuriſdictio ſit erroribus obnoxia, atque adeò *ſapiat Antichriſtianam arrogantiam*; quæ phraſis eſt Bezæ; aſſumere ſibi authoritatem in homines contra priuilegium libertatis Chriſtianæ, quæque non ſeruiat ad aliud, niſi ad fallendas animas: Quam autem hoc ſit falſum, oſtendi in mea ſecuri euangelica part. 2. cæterum, hanc ſanè technam in ſe ipſos ſtruxerunt Reformati, ſibi ipſis parant illud ipſum malum, quod parant dictæ dignitati; in hæc ipſa duo capita ipſi impingunt; aſſumunt enim authoritatem docendi, & quidem authoritatem ex profeſſo fallibilem; nec orbis vnquam vidit quidquam in hoc negotio ſuperbius, inſolentius, imò & Luciferiano tumore inflatius, quam genus iſtud reformatum; nec enim Nabuchodonoſor ſtatuam ſuam, nec Iulianus Apoſtata Idololatrica ſua Sacra populis adoranda elatius propoſuerunt, quam iſti capitis ſui figmenta, & impoſturas proponunt; ex multis paucos delibare licet Lutherum audi tomo 6. Germ. Ien. fol. 87. *Eſto ſanè Eccleſia, Auguſtinus, & alÿ Doctores, item Petrus, Apollo, imo Angelus è Cœlo diuerſum doceat; tamen mea doctrina eſt eiuſmodi, quæ ſolius Dei gloriam illuſtrat*: Sapit ergo Lutherus pluſquam Petrus, Apollo, & Angeli de Cœlo. Zuinglius tom. 2. fol. 199. *Hoc certò ſcio, humana non ſuadeo, ſed diuina*: & tom. 2. fol. 10. *Quaſi verò Paulus Epiſtolis ſuis tantum tribuerit, vt quidquid in eis contineretur Sacroſanctum eſſet, quod eſſet Apoſtolis imputare immoderatam arrogantiam.* plus ergo vult ſibi licere Zuinglius, quam Apoſtolo Paulo. Caluinus lib. de libero arbit. *Res ipſa clamat non nos hodie loqui, ſed Deum de Cœlo virtutem ſuam exercere.* Legat, qui volet, tonantia Reformatorum Principum edicta, flammas, ferrum, igneſque minantia contra non conformiſtas, recuſantes ſe conformare iſti deformi Reformationi. Teſtetur id Anglia, Scotia, Suecia, Dania &c. Quid autem eſt antichriſtianam arrogantiam exercere, niſi hoc ſit?

§. III. Hinc audaciſſimè prodeunt, ex dogmatibus, libris

Con-

Confeſſionibus, & ore patulo Reformatorum, frequentes illę locutiones ſuperiùs citatæ, ſcilicet nulla Epiſcoporum, Paſtorum, Conciliorum nomina impedire, quominus, inquiunt Reformati omnes omnium Spiritus ad diuini verbi normam exigamus: via ipſis facta eſt, teſte Luthero, eneruandi omnia Concilia, eiſque contradicendi, & omnes omnium Spiritus in facie Eccleſiarum dijudicandi: omnium item hominum in cauſa fidei deciſiones, decreta, ſententias, cuiuſlibet particularis hominis, & mulierculæ examini, ac cenſuræ, ſubijcit prætenta Reformatio, vt patet ex eorum Confeſſionibus ſupra ſæpius allegatis: hoc autem iterum eſt Antichriſtianam arrogantiam, etiam ſecundum ipſa Reformationis principia, ſpirare, ſpumare, & exercere, vt ſic probo: Quiſquis nullo iuſto titulo ſuffultus, in negotio Religionis, ſeſe effert ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem, ſupra ipſam primitiuam Eccleſiam, is ſpirat Antichriſtianam arrogantiam ſecundum expreſſa Reformationis principia, & locutiones; ſed prætenti Reformati, nullo iuſto titulo ſuffulti, in negotio Religionis ſeſe efferunt, ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem; ſupra ipſam primitiuam Eccleſiam: ergo prætenti Reformati ſpirant Antichriſtianam arrogantiam. Maior eſt Confeſſio Reformatorum, aſſerentium hoc eſſe vnum è ſignis Antichriſti; minor etiam patet ex eorumdem Reformatorum praxi, ſeſe ſic efferentium; & vlterius probatur: Quiſquis abſque omni legitimâ authoritate, omnium Conciliorum, Epiſcoporum, Doctorum, Eccleſiarum, Spiritus, dogmata, & definitiones, in cauſa fidei, ſuo ipſius ſubijcit examini; cenſurę, & iudicio, is ſeſe effert ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem, ac ipſam primitiuam Eccleſiam; ſed quilibet, & quælibet ex prætentis Reformatis, abſque omni legitima authoritate, Conciliorum omnium, Epiſcoporum, Doctorum, Eccleſiarum, Spiritus, dogmata & definitiones in cauſa fidei, ſuo ipſius examini, cenſuræ, & iudicio ſubijcit: ergo quilibet, & quælibet ex prætentis Reformatis in cauſa fidei ſeſe effert ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem, ſupraque ipſam primitiuam Eccleſiam. Maior patet: nam efferre ſe ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem in cauſa fidei, aliud non eſt, quam ſe ipſum conſtituere ſupremum iudicem, cenſorem, & arbitrum doctrinæ, legum, ac deciſionum editarum in cauſa fidei, à toto Eccleſiaſtico ordine: patet item minor ex principijs Reformatorum, ſtatuentibus

singu-

ſingulos, ſingulaſque ex Reformatis debere ſcrutari Scripturas, & ex illis omnium hominum ſententias in negotio Religionis expendere, & iudicare; hinc quilibet Lanio, Piſtor, Sutor, Cerdo, quęlibet muliercula, Coqua, Lotrix habet Biblia vulgaria, illaque ſcrutatur, ad eaque exigit Prędicantium ſermones, ſuperintendentium dogmata, Synodorum Reformatarum deciſiones, Conciliorum Generalium, ac totius Eccleſiæ Dei Decreta: hoc autem ſecundùm ipſos Reformatos, eſt Antichriſtianam arrogantiam ſpirare, ſpumareque.

§. IV. Quod patet vlteriùs: Quicumque in cauſa fidei proponit, & imponit, conſcientijs hominum, ſententias ex profeſſo fallibiles, & erroribus, ac mendacijs obnoxias, non veram Chriſti, ſed fallacem Antichriſti doctrinam proponit, & docet; prætenti Reformati in cauſa fidei proponunt, & imponunt conſcientijs hominum, ſententias ex profeſſo fallibiles, & erroribus, ac mendacijs obnoxias: ergo prætenti Reformati in prędicta cauſa fidei non veram Chriſti, ſed fallacem Antichriſti doctrinam proponunt, & docent. Maior probatur: vel enim doctrina Chriſti excedit in veracitate, & certitudine doctrinam Antichriſti, vel non? ſi non; ergo tam ſalutaris eſt, tam digna, tam ſancta eſt doctrina Antichriſti, quando, aut vbicumque illa exiſtet, quam doctrina Chriſti; quod excedit omnem blaſphemiam: ſi doctrina Chriſti excedit in veracitate, & certitudine doctrinam Antichriſti, ergo hoc ipſo, quo doctrina in cauſa fidei, addo, & ſalutis æternæ eſt fallax, & erroribus, ac mendacijs obnoxia, non poteſt ſortiri naturam, vel rationem veræ doctrinæ Chriſti, ſed falſæ Antichriſti; aliàs perinde eſſet audire Alcaranum, ac Euangelium, Simonem Magum, & Simonem Petrum, Elymam Magum, ac Paulum Apoſtolum: ſupereſt ergo quod doctrina, quæ non eſt verax, & certa in cauſa fidei, & Salutis æternæ, non ſit doctrina Chriſti, ſed Antichriſti. Minor, quod ſcilicet Reformati non proponant niſi doctrinam ex profeſſo fallibilem, erroribus, & mendacijs obnoxiam, eſt ipſorum Reformatorum ſtatuentium omnem omnium hominum, ac totius Eccleſiæ doctrinam eſſe ſubiectam particulari cuiuſlibet examini, vt videatur an talis doctrina ſit ſcripturæ conformis, vel difformis; vnde conſequenter tenent neminem poſſe dare infallibilem certitudinem, de conformitate ſui dogmatis cum verbo Dei, atque adeò doctrina Reformatorum, non eſt certa, verax, aut infallibilis ex eorum proprijs principijs, ſed potius fallax, & mendacijs obnoxia

xia; non eſt ergo Chriſti, ſed Antichriſti doctrina: Antichriſti autẽ aduentus inquit Apoſt. ſecundæ ad Theſſ. *erit in omni ſeductione iniquitatis ijs, qui pereunt.* Cum igitur Reformati tollant omnem docendi iuriſdictionem, tenendum eſt eos docere in ſeductione iniquitatis ijs, qui pereunt: hoc autem eſt Antichriſtianam arrogantiam ſpirare, vt cum ipſis Reformatis loquar, id falſo imponentibus ſupremæ dignitati capitis viſibilis Eccleſiæ Chriſti.

§. V. Quid enim magis Antichriſtianum eſt, quam doctrinam ex profeſſo fallibilem, & mendacijs obnoxiam, in negotio Religionis, & æternæ ſalutis, mortalium conſcientijs per tot crudelia edicta, per tam ſeueras leges imponere, vti imponunt Reformati? quid ergo tam malignè, tam procaciter dicteria ſua euomunt in Vicarium Chriſti? quid eius ſupremam dignitatem tàm acerbis conuitijs de Antichriſtianiſſimo taxant? ex hoc ſolo capite, quod conceſſam à Chriſto D. Petro, eiuſque ſucceſſoribus iuriſdictionem legitime in oues ſibi ab eodem Chriſto concreditas, exerceat, iuxta illud Ioan. 21. *Paſce oues meas*; ſi hoc eſt Antichriſtianam ſpirare arrogantiam, vt blaterant Reformati; etiam ipſi pluſquam Antichriſtianam exercent arrogantiam, quod doctrinam ex profeſſo erroneam, & impoſturis obnoxiam, conſcientijs hominum, vt iterùm dicam, imponant, cogantque Catholicos per ferrum, & ignes, iſtis ſuis illuſionibus, & impoſturis acquieſcere: quòd quilibet, & quælibet de grege reformato ſit iudex orbis terrarum, omnium hominum, Conciliorum, Doctorum, totius Eccleſiæ Dei. Vndè colligo primò ex Reformatorum principijs, primos errorum anteſignanos fuiſſe Antichriſti præcurſores, ſatellites, eo quòd Antichriſtianâ arrogantiâ, ſe fecerint iudices orbis Chriſtiani, reformando Eccleſiam in ea cauſa, in qua nullum iudicem agnoſcunt, præter nudam ſcripturam. Colligo ſecundo, quòd quiſquis apud prætenſos Reformatos ſtatuit, decernit, docet, proponit quidquam in negotio Religionis, ſit ſimiliter Antichriſti ſymmiſta, arrogando ſibi eam authoritatem, quam principia prætenſæ Reformationis penitùs tollere moliuntur, ac tandem Reformatos omnes reuocantes ad ſuum particulare iudicium, omnium hominum in cauſa fidei ſententias, Antichriſtianam ſpirare arrogantiam.

SECTIO SECVNDA.

A quo, & qualis ſit doctrina prætenſæ Reformationis.

Duo ſpirituum genera inſinuant ſcripturæ; Alterum veritatis; Alterum mendacij: quàm autem certum eſt à ſpiritu veritatis, non mendacia, ſed veritates procedere, tam certum eſt errores, & doctrinas impoſturis obnoxias, non niſi à ſpiritu mendacij prouenire. Sit igitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Reformati ex ſuis principijs fatentur incertum eſſe, an quod docent in negotio Religionis, ſit à ſpiritu veritatis, an à ſpiritu mendacij.

§. I. EST receptiſſimum apud ſaniores chriſtianos axioma, quòd fidei diuinæ non poſſit ſubeſſe falſum: nomine autem talis fidei intelligitur doctrina, cognitio, & aſſenſus, quem elicimus mediante habitu ſupernaturali, circa myſteria Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, Sacramenta, eorumque numerum, & neceſſitatem &c. & hæc ipſa fides vocatur doctrina ſacra, doctrina ſalutis; quia ab ea pendet æterna noſtra ſalus, quæ ſine tali doctrina acquiri non poteſt: cum *ſine fide impoſſibile ſit placere Deo*. Hinc vt aliàs in præcedentibus notaui, & fuſiùs ſecunda parte declarabo; quia non deſcendit immediatè hæc doctrina à Deo ad ſingulos homines in particulari, non poſſunt mortales ad eam peruenire, niſi mediantibus alijs hominibus, qui eam declarant, & credendam proponunt: Quamquam autem prætenti Reformati dicant dogmata Chriſtianæ Religionis haurienda eſſe per ſingulos, ſingulaſque ex nuda ſcriptura, contrarium tamen ipſi per oppoſitam praxim operantur, cum habeant Miniſtros, doctores, Prædicantes, qui è ſuggeſtis ſuis non nudam ipſam litteram ſacri Codicis tantùm, ſed etiam eius expoſitiones auditoribus ſuis ſuggerunt, proponuntque: exſtant item innumeri commentarij ab ipſis Reformatis in ſacras ſcripturas

editi: prætendunt autem in his omnibus ſanctionibus ſe doctrinam ſalutis ſuis ſequacibus proponere, quamuis ſimiliter nudam ſcripturam labris ſuis ita extollant, vt clament nullum articulum proponi debere credendum, niſi qui in eadem ſcriptura de verbo ad verbum legatur expreſsè; habent tamen ſingulæ nationes reformatæ ſuas proprias Confeſſiones, quas vocant Religionis, in quibus ne vnum quidem articulum in punctis hodie controuerſis inuenias, qui reperiatur vllo prorſus modo in ſcriptura expreſſe, aut de verbo ad verbum, vt intuenti ſingulas confeſſiones, maniſeſtiſſimè patet; habent item Liturgias, & Catechiſmos, quorum quæſtiones, articuli, propoſitiones nullibi in Biblijs leguntur expreſsè, & licèt acerrimè prouocent Catholicos, ad oſtendenda dogmata ſuæ fidei in nuda ſcriptura de verbo ad verbum, ipſi tamen pro ſuis articulis, huic regulæ nolunt vllo prorſus modo ſtare, vt experientia prædictarum confeſſionum, & catechiſmorum luculenter oſtendit.

§. II. Vnde, tandem fateantur neceſſe eſt prætenti Reformati, quod doctrina ſalutis non ex nuda ſcripturæ litterà, ſed ex ſenſu verborum ſit haurienda, ex eodemque ſenſu controuerſiæ Religionis definiendæ, idque agnoſcit Hookerus in Eccleſiaſtica politia lib. 2. pag. 166. inquiens, *Non poſſet ſcriptura ea quæ ad Deum ſpectant docere niſi fidem hominibus adhiberemus docentibus verba ſcripturæ ita ſignificare, vt ipſi interpretantur*: Agnoſcit VVitakerus de ſacra ſcriptura pag. 521. *Quandoquidem ſcriptura non habeat viuam vocem, quam audiamus, vtendum eſt quibuſdam medijs, quibus inueſtigemus, quis ſit ſenſus, quæ mens ſcripturarum*. Tandem requiri interpretem ad declarandam ſcripturam, ex ipſis Reformatis, parte 2. eumeam, nunc ſi moueatur controuerſia, quis ſenſus alicuius loci controuerſi v. g. horum verborum: *Hoc eſt corpus meum*, neceſsitate ſalutis credendus? ſanè ſi expoſitiones à partibus vltro citroque altercantibus datæ, eſſent æque incertæ, non eſſet ratio, cur vni potiùs, quam alteri præberetur aſſenſus, & vt exemplo rem declarem: Stabant olim hinc Iudæi, inde Apoſtoli acriter diſputantes in veteri teſtamento, an hic eſſet Chriſtus, an verus Meſſias? ſi non fuiſſet certior Apoſtolorum, quam Iudæorum expoſitio, non ſubeſſet ratio, cur Chriſtiani, & alij credituri, Apoſtolis potius, quam Iudæis, aſſentirentur; Et vt ab Apoſtolis deſcendamus ad alios, altercabantur de Trinitatis, & Incarnationis myſterio, primitiui Chriſtiani, negabat perfrictà fronte, cum ſuis ſequacibus Arius diuinitatem verbi, aſſerebant

Pa-

Patres Nicæni Concilij, hi, & illi allegabant ſcripturas, eaſque ad inuicem conferebant, exponebantque: ſi autem & hi, & illi, æque incertas, & fallibiles ederent expoſitiones, cur, quæſo, Nicænæ Synodo præ Ario vllus fidem haberet? petit igitur fides Chriſtiana, petit doctrina ſalutis æternæ, hausta vtique ex ſenſu verbi diuini, vt ſit infallibiliter certa, nè mortales tam tutò cenſerentur credere Iudæis, hæreticiſque allegantibus ſcripturas, quam verorum fidelium cœtui: Expoſitiones autem ſcripturę, definitiones, ac doctrinas omnium Christianorum, in cauſa fidei propoſitas eſſe fallibiles, & erroribus obnoxias, eſt receptum prętenſæ Reformationis principium, quo etiam ipſa comprehenditur, vt vidimus.

§. III. Clarum eſt autem quòd expoſitio erronea ſcripturæ in materiâ Religionis, & cauſâ ſalutis æternę, non poſsit prouenire à ſpiritu veritatis, atque adeò neceſſe eſt, vt prodeat à ſpiritu erroris, & mendacij, & caſus eſt in textibus, de quorum ſenſu hodie maximè controuertunt inter ſe christiani, v. g. quomodo intelligatur hic textus *Hoc eſt corpus meum* an in ſenſu litterali, an in ſenſu metaphorico, & figuratiuo; cum enim hinc indè varię aſsignentur expoſitiones, ſibi inuicem non ſolum contrariè, ſed etiam contradictoriè oppoſitę, cumque veritas conſiſtat in indiuiſibili, adeoque omnes illę gloſſę ſibi mutuò aduerſantes, non poſsint eſſe verę, vna ex omnibus erit vera, alięque ipſi oppoſitę erunt falſę: expoſitio autem falſa non poteſt prouenire à ſpiritu veritatis, qui vera tantummodo dictat, & conſequenter procedit à ſpiritu erroris: omnis autem expoſitio incerta, & ex profeſſo erroribus obnoxia, eſt ſuſpecta de falſitate, adeoque non poteſt tribui ſpiritui veritatis: ſed ſic eſt, quod omnes expoſitiones, quas Reformati faciunt in locis, & textibus ſcripturę controuerſis, ſecundùm propria eorum principia ſint fallibiles, incertę, atque adeo erroribus obnoxiæ: ergo non procedunt à ſpiritu veritatis. Patet hoc: nam prima veritas eſt ſemper vera, & ab illa dictata non poſſunt eſſe niſi vera; vnde ſi humanus intellectus innitatur huic primę veritati, & eius reuelationi, illustrationi, & aſsiſtentię, in expoſitione de neceſsitate ſalutis credenda, falli non poteſt; ſi autem fallitur, iam non innititur in exponendo primę veritati, aut Spiritus Sancti aſsiſtentię, ſed potius ſeducitur à ſpiritu erroris, vti ſeducuntur ab ipſo ſpiritu in exponenda ſcriptura Iudęi, & hęretici omnes.

§. IV. In hoc ſiquidem caſu non datur medium; quod enim

in cauſa Religionis non procedit à ſpiritu veritatis, vtique procedit à ſpiritu erroris, & mendacij: atqui nulla doctrina incerta, & erroribus obnoxia, procedit à ſpiritu veritatis; ergo procedit à ſpiritu erroris. doctrina autem Reformatorum in cauſa Religionis, non procedit ab hoc ſpiritu veritatis, procedit ergo à ſpiritu erroris. Sumſumptum admittitur à Chriſtianis communiter, qui diſtingunt Deum à diabolo, & dicta Dei à dictis Diaboli, illa vtique ſunt vera certa, & infallibilia, hæc autem fallacia, mendacia, & deceptoria. Quod autem doctrina Reformatorum non procedat à ſpiritu veritatis, patet tum ex dictis, tum vlterius. Nulla doctrina in cauſa Religionis, cui poteſt ſubeſſe mendaciũ, & error, procedit a ſpiritu veritatis; doctrinæ Reformatorum in cauſa Religionis, poteſt ſubeſſe mendacium, & error: ergo doctrina Reformatorum in cauſa Religionis, non procedit à ſpiritu veritatis. Maior eſt certa apud Chriſtianos. Minor probatur; illi doctrinæ poteſt ſubeſſe mendacium, & error, quæ eſt fallibilis, & deceptioni obnoxia; doctrina Reformatorum eſt fallibilis, & deceptioni obnoxia, ergo doctrinæ Reformatorum poteſt ſubeſſe mendacium & error. Maior patet, nam doctrinam eſſe infallibilem, eſt non eſſe mendacio, aut errori obnoxiam: ergo e contra doctrinam eſſe fallibilem, eſt eſſe mendacio, & errori obnoxiam; minor eſt ipſorum Reformatorum, id tenentium de Conciliorum, ac totius Dei Eccleſiæ definitionibus, in cauſa fidei editis: patet denique conſequentia principalis, nam doctrina, cui poteſt ſubeſſe deceptio, & error procedit à ſpiritu erroris; doctrinæ Religionis reformatæ poteſt ſubeſſe deceptio, & error: ergo doctrina Religionis reformatæ procedit à ſpiritu erroris. Maior patet ex dictis. Minor eſt ſententia Reformationis, & conſequentia eſt legitima; atque adeò quidquid ſcribunt, prædicant, docent Reformati tam pro ſua Reformatione, quam contra fidem Catholicam Romanam; quia ex proprijs ipſorum principijs fallibiliter id prædicant, docent, ſcribunt, non procedit à ſpiritu veritatis, ſed potius à ſpiritu erroris, & ſic pergunt *in ſeductione iniquitatis, & in contradictione Core perunt*. At verò ad ſcripturarum ſcrutinium volant Reformati, & ego hoc poſticum occludo. Vnde ſit:

ARTICVLVS SECVNDVS.

Scrutinium ſcripturarum, Reformatis pro ſua reformatione allegatum, adhuc iuxta eorum principia relinquit incertum, an reformata illorum doctrina ſit à Deo verace, an autem à Diabolo mendace.

§. I. HVc tandem reducitur tota Reformatorum certitudo de ſua doctrina; vt nempe quilibet, & quælibet ſcrutetur ſcripturas, & ex illa omnium Paſtorum, Doctorum, Epiſcoporum, Conciliorum, imò & totius Eccleſiæ Dei doctrinam expendant, videantque an illa ſit, eiſdem ſcripturis conformis: & quia in iſto loquendi modo de conformitate doctrinæ cum ſcripturis iniqua impoſtura, & deprauata latet aſtutia, quâ miſeræ illaqueantur animæ, hanc ipſam doloſam conformitatem diligentiùs excutere placet: dupliciter itaque intelligi poteſt iſta conformitas, primò vt doctrina illa ſic conformis, ſit nudus aliquis textus integre de verbo, ad verbum, ex ipſa ſcriptura depromptus; vt ſi quis ad hoc vt probaret hunc articulum eſſe conformem ſcripturæ, nempè *baptizandum eſſe quemlibet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: tunc ipſum depromeret, de verbo ad verbum ex Matt. vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Secundo iſta conformitas intelligi poteſt, vt doctrina, quæ dicitur conformis, non ſit nudus, & aliquis expreſſus textus, ſed potius expoſitio ipſius, quæ ſupponeretur textui ipſi conformis: primus conformitatis modus poſſet etiam aliter intelligi, vt ſi doctrina conformis, non eſſet aliquis nudus textus, ſed eſſet propoſitio aliqua, quæ prætenderetur æquiualens, vel æquipollens in terminis & voce, alicui textui, & ſanè in illo caſu, & ad tollendam omnem fraudem, & æquiuocationem, deberet potiùs ipſe textus nude ſumptus adhiberi, quam propoſitio, quæ ei diceretur in terminis æquipollens, cum eiuſmodi propoſitio non exprimeretur verbis ipſius ſcripturæ, ſed potius verbis illius hominis prætendentis eam æquiualere ſcripturæ; adeoque ei eſſe conformem, cum in lite tam acri, cum Reformatis clamantibus nudam ſcripturam in articulis fidei probandis, vel fundandis,

dis, adhibendam ſemper eſſe, tutius ſit vti verbis ipſius ſcripturæ, quam verbis hominum, præſertim Reformatorum fatentium ſe eſſe fallibiles, & deceptioni obnoxios in ſuis ſententijs, & Bibliorum expoſitionibus, vt ex dictis conſtat.

§. II. De primo ergo conformitatis modo, ſeu textum ore prolatum eſſe illum ipſum, qui in ſcriptura expreſſe legitur non eſt lis præcipua Chriſtianorum: quia doctrinam ſic eſſe conformem, ſi valet iſta locutio, eſt ipſam ſcripturam eſſe ſibi ipſi conformem, id eſt ſcripturam eſſe ſcripturam, quia idem ſibi ipſi eſt idem, & ſic textus ſacer, eſt textus ſacer, ſeu eſt idem textus ore prolatus, & exaratus in ſcriptura, atque adeo doctrinam eſſe in hoc ſenſu veram, certam, & infallibilem, eſt ipſam ſcripturam eſſe certam, veram, & infallibilem: an autem idem dicendum ſit de textu alijs verbis, & vocibus expreſſo, quam iaceat in ſcriptura, lis eſt, cuius peiorem partem habent Reformati, cum omnem certitudinem à cuiuſuis hominis verbis, & ſententijs auferant, niſi illa declarentur deprompta ex ſcriptura, iuxta quam Reformatorum Regulam, quidquid Reformati proferunt, proponuntque in cauſa Religionis, tanquam conforme ſcripturis, niſi illud exprimatur ipſius ſcripturæ verbis, & terminis, non eſt acceptandum pro dogmate fidei; quare tenentur Reformati in eiuſmodi caſibus, mutare potiùs ſua verba, quam verba ſcripturæ, atque adeò allegare textus expreſſos, cum id in articulis controuerſis, exigant à Romanis Catholicis.

§. III. Lis ergo erit de ſecundo modo, nempe de expoſitione textus, & id ſonat verbum *Scrutari* apud Reformatos oppido frequens, & verbum *Expendere*, verbum *Examinare* & vox ipſa *conformis*, & *conforme*: Conformitas enim infert relationem duorum extremorum diſtinctorum ad inuicem; nam eiuſdem ad ſeipſum propriè non datur relatio, cum hæc ſit referentia, & habitudo duarum rerum ad ſe inuicem, atque adeò doctrina non dicitur proprie ſibi ipſi conformis, ſed alteri alicui regulæ diſtinctæ: nunc igitur quæſtio eſt, an in hoc ſcrutinio, & expoſitione per ipſum facta, poſſit contingere deceptio & error, ita vt doctrina, quæ fundatur in tali expoſitione, & ſcrutinio, & dicitur ſcripturæ conformis, reuera forte non ſit conformis, ſed potiùs difformis, & conſequenter impoſtura, & error; prætenti Reformati, qui omnem infallibilem certitudinem refundunt in nuda ſcripturæ verba, eamque negant omnium hominum dictis, ſententijs, definitionibus; docent conſequenter ad ſua principia,

nullius

nullius hominis, vel hominum cætus ſententiam, pro oraculo Spiritus Sancti recipiendam, ſed exigendam ad normam ſacri codicis, & ſine dubio quæſtio præfata habet locum in doctrinâ etiam Reformatorum, ſtabilitâ in eorum confeſſionibus, & catechiſmis, quorum articuli in punctis hodie controuerſis, locutiones, propoſitiones, declarationes non ſunt ſcripturæ textus, ſed potiùs ſunt verba, & phraſes ipſorum Reformatorum, quæ tamen omnia prætendunt Reformati eſſe conformia ſcripturæ.

§. IV. Illud etiam eſt ſeriò reflectendum, ſecundum Reformatos nullam aliam in Eccleſia exſtitiſſe, vel exſtare regulam acquirendæ doctrinę ſalutis, quam particulare cuiuſlibet ſcripturę ſcrutinium, ſeu verbum Dei ſcriptum, lectum, vel auditum, ad cuius amuſſim, quilibet, & quælibet quorumcumque hominum in cauſa fidei ſententias expendere debent: hoc autem ipſum ſcrutininm, ex quo hauriendа eſt ſecundum Reformatos doctrina credenda, eſſe illuſionibus, & impoſturis obnoxium aſſerunt principia, & praxis ipſorum Reformatorum; principia quidem, quę ſtatuunt ſingulos Reformatos poſſe errare in fide: praxis verò, qua cuilibet piſtori, lanioni, cerdoni, mulierculę concedunt Reformati Biblia vulgaria, vt inde expendant omnium hominum in negotio fidei ſententias, ne vllus ſeducatur per vllius hominis dictum. Addunt tamen aliqui ex ipſis hanc conditionem illos ſcilicet poſſe errare, quatenus verbum Dei, quod extat in ſacris litteris, & ex eis docetur, & diſcitur, non ſatis attendunt, & obſeruant, poſſunt ergo non attendere, & non obſeruare iſtud verbum, atque adeò poſſunt errare, alij verò aliam addunt limitationem Chriſtianos non poſſe errare in fide, quouſque ſentiunt, & loquuntur in verbo Dei, in quod nullus cadit error, id eſt quamdiu Miniſtri recitant, legunt, vel pronuntiant ipſum textum ſacrum v. g. Euangelium S. Ioannis, pronuntiant veram doctrinam, in quam nullus cadit error: ita vt doctrinam Miniſtrorum eſſe veram, ſit Euangelium v.g. S. Ioannis ſonans in ore Miniſtrorum eſſe verum, & ſic Reformatos non errare in fide, eſt verbum Dei eſſe verbum Dei, quo modo etiam Iudęi legentes vetus teſtamentum ſunt infallibiles: quia tamen Reformati non ſemper nudum ipſum verbum, ſed ſcrutationes verbi, & expoſitiones neſcio quales populo proponunt, ex Reformationis principijs in ea ipſa ſcrutatione poteſt error contingere, quia poſſunt quicumque Chriſtiani ſecundum Reformatos imò, & Concilia oecumenica diſcordare à verbo Dei ſcripto, imò ſecundum eoſdem

dem, etſi inuocent Spiritum Sanctum in eo ipſo ſcrutinio, poſſunt tamen ab eo deſeri, quia forte non eum vti decuit, inuocarunt, poſſibilem hanc diſcordantiam à verbo Dei in omnibus chriſtianis, & Concilijs aſſerit Confeſſio Anglica art. 21. Scotica art. 20. Auguſtana tit. de poteſtate Eccleſiaſtica. VVittenbergica tit. de Concilijs. Heluetica prior cap. 2. Belgica art. 7. Gallica art. 5. tandem Ioannes Maior contra Valerianum Magnum, ait, priuilegium infallibilitatis ſolis Prophetis, & Apoſtolis fuiſſe conceſſum, non verò reliquis Eccleſiæ paſtoribus, & doctor VVhitbij apud Ioannem Sorgentium, ait, Miniſtros, & ſuperintendentes Angliæ dum de rebus Religionis deliberaturi, inſimul conueniunt, id eos non facere ſub prætextu vllius infallibilitatis eis inhærentis.

§. V. Nunc ſic: ſinguli Chriſtiani, imò, & omnia Concilia generalia, quantumuis ſcrutentur Scripturas, imò & inuocent Spiritum Sanctum, poſſunt ſecundum Reformatos diſcordare in fidei eſſentialibus, & errare, in qua vniuerſali propoſitione includuntur etiam ipſi Reformati, vt ſimiliter diſcordare poſſint à ſacris litteris, & errare in fidei eſſentialibus quantumuis eaſdem litteras ſcrutentur, ergo nullus Chriſtianus vel crediturus debet vlli Reformatorum cœtui, vllis eorum Concilijs, Synodis, conuocationibus certò credere quod non diſcordent à Sacris litteris in fidei eſſentialibus, & errent quantumuis ſcrutentur Scripturas, quantumuis ſuas ſententias dicant eſſe conformes ijſdem Scripturis: antecedens eſt principium decantatum Reformationis. Nec valet dicere, quod, ſi, vti decet, inuocent in eo ſcrutinio Spiritum Sanctum, non poſſint errare, nam fieri poteſt ſecundum eoſdem, quod non inuocent illum vti decet, & conſequenter poſſint ab eo deſeri, & ſic errare, vt tenent de primitiuis Concilijs, Doctoribus, tota denique Eccleſia Dei: Illi enim doctores, Patres, & fideles ſupponuntur ſaltem ſemel habuiſſe veram fidem: alias non poſſent in ea errare, ſi illam nunquam habuiſſent, fidem autem illam non poterant habere ſecundum Reformatos, niſi ex Bibliorum ſcrutinio, ergo ſi fidem amiſerunt, in hoc ipſo ſcrutinio defecerunt, ſcrutando ſcrutationes, & deſerti fuerunt à Spiritu Sancto, quia eum forte non vti decuit inuocarunt.

§. VI. Probatur rurſus; nullus debet certò credere nulla Religionis decreta diſcordare à ſacris ſcripturis, quæ ipſemet tenetur expendere, an reuera concordent cum ſacris litteris: ſed ſecundum Reformatos, ſinguli chriſtiani tenentur expendere quæuis

decreta Religionis, an concordent cum ſacris litteris, ergo nullus debet certo credere decreta vlla Religionis non diſcordare à ſacris litteris. ſubſumo; ſed omnia Reformatorum decreta in quibuſcumque ſynodis, vel conuocationibus edita, præmiſſa etiam Spiritus Sancti inuocatione, poſſunt diſcordare à ſacris litteris: ergo nullus Chriſtianus debet talibus decretis certo credere. Maior, & minor, & ſubſumptum eſt expreſſa Reformatorum ſententia, & ambæ conſequentiæ ſunt legitimæ: Rurſus vrgeo: nullum ſcrutinium fallibile ſacri codicis, poteſt generare infallibilem fidei diuinæ aſſenſum, ſed omne ſcrutinium ſcripturæ factum à Reformatis eſt fallibile, ergo nullum ſcrutinium ſcripturæ factum à Reformatis poteſt generare infallibilem fidei diuinæ aſſenſum. Maior patet ex natura fidei diuinę excludentis falſum, vtpote nitentis fundamento, & motiuo infallibili nempè veracitate diuina, & myſterio reuelato: minor eſt ipſorum Reformatorum toties inculcantium militantis Eccleſiæ, Conciliorum, Paſtorumque fallibilitatem etiam in ſcrutinio ſcripturarum: & conſequentia eſt legitima. Item nullum ſcrutinium ſcripturæ, quod in negotio Religionis chriſtianæ, & æternæ ſalutis falli, & fallere poteſt eſt à Deo verace, ſed omne ſcrutinium ſcripturæ Reformatorum in negotio Religionis Chriſtianæ, & ſalutis æternæ fallere, & falli poteſt; ergo nullum ſcrutinium ſcripturæ Reformatorum in præfato negotio eſt à Deo verace; maior de ſe patet cum Deus non poſſit dictare fallibilia ſcrutinia in negotio fidei, cui nequit ſubeſſe falſum: minor eſt Reformationis principium, toties ab ea de toto fidelium cætu inculcatum, & conſequentia eſt legitima: denique omne ſcrutinium ſcripturæ in cauſa fidei, & ſalutis æternæ, deceptioni, & impoſturæ obnoxium, eſt à Diabolo mendace: ſic ſe habet ſcrutinium Reformationis in hac eadem cauſa; ergo omne tale eſt à Diabolo mendace. totus ſyllogiſmus fundatur in principijs Reformatorum.

§. VII. Retorqueo tandem diſcurſum Iacobi Martini quem contra Catholicos in opere aduerſus Valerianum Magnum ſtruit, in ipſos Reformatos cum quibus ſupponit fidem hauriendam eſſe, ex ſolis Biblijs, ſic procedit ille. ***Qui ſuam fidem non habent ex ſacra ſcriptura illi non credunt ſacris litteris*** (ego hanc amplio, qui ſuam fidem non habent ex verbo Dei ſiue ſcripto, ſiue tradito, & ab Eccleſia propoſito, illi non credunt eidem verbo) ***Pontificij***, inquit, ille, ſed prætenti Reformati, inquam ego, ſuam fidem non habent à ſacra ſcriptura (neque, ex ſacris traditioni-

bus addo ego) ergo prætenti Reformati non credunt ſacris litteris , aut ſacris traditionibus. Illa maioris pars verbis Iacobi expreſſa eſt axioma apud ipſum , & cæteros Reformatos receptum, ſecundum quos habere fidem ex ſcriptura , eſt doctrinam in eadem ſcriptura expreſſe contentam dumtaxat, profiteri ; minor verò conſtat manifeſta experientia , cum nullum articulum controuerſum Religionis reformatæ poſſint Reformati in ſcriptura oſtendere , vt percurrenti omnes eorum confeſſiones , & cathechiſmos patet : Pergo cum Iacobo . *Qui non credunt ſacris litteris*, inquit ille , *illi neque Chriſto , neque Deo credunt* : ſed prætenti Reformati , inquam ego , non credunt ſacris litteris , ergo prætenti Reformati neque Chriſto , neque Deo credunt ; maior eſt regula Reformatorum , minor patet nam credere ſacris litteris ſecundum Reformatos , eſt doctrinam in ſcriptura nude ſumpta expreſſe contentam credere:doctrina autem Reformatorum in punctis controuerſis nullo modo inuenitur in ſcriptura , cum ſit inuentio ipſorum Reformatorum , adeoque conſequentia eſt legitima . Nunc videant Reformati quomodo concludat diſcurſus Iacobi Martini,in fauorem Reformatorum , & in odium catholicorum adornatus : nam ſecundum ipſum credere ſacris ſcripturis , eſt Deo , & Chriſto credere , illis credere eſt doctrinam ex illis expreſſè , ac de verbo ad verbum hauſtam ſequi , & credere ; qui doctrinam non ſic ex ſacris litteris hauſtam profitetur,ſecundum Iacobum Martini , & etiam ſecundum Reformatos non credit ſacris litteris , Reformati credunt doctrinam non ſic hauſtam ex ſcripturis, non igitur credunt ſacris litteris ; ſi his non credunt ſecundum eundem ; nec Deo , nec Chriſto credunt , ſi huic non credunt , videant , cui credant , & caueant ne dum fingunt ſe credere ſacris literis,earum ſcrutinio , Deo , & Chriſto, non his , ſed Diabolo credant,tantæ ſcilicet molis erat Reformatorum condere cœtum , qui dum Eccleſiam Chriſti fallibilitatis incuſat , ipſe ſe erroribus , impoſturis, diabolicis illuſionibus obnoxium agnoſcat neceſſe eſt ; vt quid ergo Reformati orbem terrarum commouere tentarunt , ad hoc vt ſuam Reformationem ex profeſſo fallibilem , deceptoriam , doloſam , mendacemque ſtatuerent ? ſed rurſus inclamant ſcripturæ ſcrutinium , & ne iterum hic impune euadant . Sit .

DISTINCTIO QVARTA.

Reformati ſub doloſa ſcripturarum, & particularis Scrutinij larua, etiam ſecundum propria principia fateantur neceſſe eſt ſuam Reformationem, eſſe perditionis Laqueum.

SVb ſpecioſa iſta Bibliorum imagine, & vmbra, pernicioſum adminiſtrant viſcum Reformati, quo infęlices ſeducunt animas, infęliciter ipſi ſeducti, & ſeductores: ſcripturarum ſcrutinium clamant eſſe omnibus patulum, obuium, euidens, illudque ad ſingulos, ſingulaſque deuoluunt, callidè interim tegunt impoſſibilitem ſub illo ſcrutinio latentem perueniendi ad agnitionem veritatis, committunt tamen quemlibet, & quamlibet vaſtiſſimo ſcripturarum pelago, iubentque ducere in altum, & laxare retia in capturam profundiſſimorum arcanorum ſacri codicis, qui autem hanc velificationem in tam vaſto gurgite inſtituere nequeunt, ex Religionis reformatæ præſcripto, ſinuntur errorum fluctibus obrui, titubationum procellis ab omni ſalutis portu arceri; quibus artibus tam fatale generis humani præcipitium moliantur Reformati, facile ex hac diſtinctione videbitur.

SECTIO PRIMA.

Quomodo per Biblia omnibus conceſſa viam ſalutis obſtruant Reformati.

Quia finis ſine medijs acquiri non poteſt, vbi impoſſibilis eſt mediorum cognitio, media ipſa ad aſſecutionem finis applicare erit impoſſibile, cognitionem autem mediorum ſalutis in principijs Reformatorum eſſe impoſſibilem oſtendo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Libertas ſcrutinij ſcripturarum à Reformatis introducta, conuincit apud eoſdem nullam exſtare medium perueniendi ad agnitionem veritatis Chriſtianæ.

§. I. Sine Chriſtiana fide, & Religione neminem poſſe ſaluari, apud veros Chriſtianos communiter eſt compertum, ex illo ad Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo:* & Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus erit ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur:* terribilis iſta comminatio infert obligationem colendæ chriſtianæ Religionis abſolutam: obligatio verò requirit notitiam legis obſeruandæ: nam quia nihil volitum, quin præcognitum, nihil ſimiliter per actum voluntatis ſeruari, vel impleri poteſt, niſi illud ipſum præcognoſcatur ab intellectu, & proponatur voluntati: ſi autem intellectus illud ignoret, vtique voluntati proponi non poteſt, illa proinde in opus prodire non poteſt, ſi autem media acquirendæ iſtius notitiæ ſint impoſſibilia, erit & impoſſibilis ipſa notitia, vnde ex defectu cognitionis lex ignorata obſeruari non poterit, lex autem euangelica obligat, atque adeò obligatus debet habere notitiam eiuſdem, alias ad legem non obligaretur: quomodo iſta notitia acquiratur, ſic ſtatuunt communi conſenſu Reformati, nempè omne dogma neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, contineri in ſcriptura, tanquam in regula totius veritatis, ſic omnes reformatæ confeſſiones in præcedentibus ſæpius citatæ: Addunt iterum Reformati omnes homines, omnia Concilia, totam denique Chriſti viſibilem Eccleſiam errare poſſe, & ſæpius erraſſe, neminem proinde debere eis inconſulta ſcriptura credere, ſed ex illa omnes omnium hominum ſententias in cauſa Religionis à quolibet, & qualibet eſſe expendendas: ſubiungunt denique hoc aliud principium, nempè: non eſt alia ratio certò cognoſcendi veritatem in materia fidei, quam præmiſſa deuota oratione conſulere ex ſacris litteris Spiritum Sanctum, atque adeo nullus chriſtianus poteſt credere articulis fidei, niſi præmiſſa oratione conſulat Spiritum Sanctum ex ſacris litteris.

§. II. Ex iſtis principijs apud Reformatos communiter receptis

ptis ſequitur, quod cum nemo poſſit ſaluari ſine verâ fide; & hæc fides, ac notitia mediorum ſalutis non poſſit haberi ſecundum eoſdem Reformatos, niſi per particulare ſcripturæ ſcrutinium, quod, inquam, mortales omnes, qui ſaluari cupiunt teneantur ſub damnationis æternæ pœna ſcrutari ſcripturas præmiſſa oratione, & inuocatione Spiritus Sancti; vt autem ſinguli, & ſingulæ ſcrutentur ſcripturas, vti oportet, adminiculis aliquibus opus eſt, ſcilicet, vt ait Iacobus Martini contra Valerianum, *adhibendo coniunctim, non diuiſim linguarum peritiam, artium humaniorum veram cognitionem, aſſiduam ſacrarum litterarum lectionem multoties repetitam, & exactam textuum ſacrorum collationem*: Adminicula ergo iſta erunt linguarum peritia, artium humaniorum vera cognitio, aſſidua ſacrarum litterarum lectio, multoties repetita, & exacta textuum Sacrorum collatio: pro hac ſcrutinij particularis libertate, Reformationis diplomate omnibus, ſingulisque promiſcuè conceſſa, in fauorem Reformatorum allegat apud Auguſtinum Redingum, Iacobus Vedroſius prætenſæ Reformationis Miniſter octo argumenta, ſeu mendoſas fallacias potius.

§. III. Incipiamus nunc à pueris, ruſticis, mulieribus, rudibus & ignaris: iſti omnes ſine vera fide ſaluari non poterunt, hanc concipere nequeunt vt fatentur Ioannes Maior, Iacobus Martini, Ioannes Botſacus contra Valerianum, niſi ex ſcriptura, præmiſſa oratione, & inuocatione Spiritus Sancti. cum iſtis tribus in hoc principio conſpirant cæteri Reformati: quare ſupradicti omnes, ſi ſaluari velint debent veritatem fidei certò cognoſcere, hanc autem certo cognoſcere non poſſunt, niſi ex ſcriptura, vnde Biblia vulgaria apud Reformatos promiſcuè multitudinini conceduntur, ſcripturam verò conſulere non poſſunt iſti ijdem, niſi adhibitis præfatis adminiculis: nunc ſic, ergo omnes pueri, ruſtici, mulieres, puellæ, laniones, piſtores, ſutores, molitores, cerdones, agricolæ, cæterique opifices, qui aſpirant ad ſalutem, tenentur ſub damnationis æternæ pœna addiſcere perfectè, & integre linguam Hebraicam, Caldaicam, Syriacam, Ægyptiacam, Græcam, Latinam, tenentur item omnes præfati ſub damnationis pœna addiſcere litteras humaniores, ſcilicet, Grammaticam, Poeticam, Rhetoricam, & quia iſta parum conducunt, ſine dubio tenentur ſub eadem pœna addiſcere Philoſophiam, & Theologiam. Dum prædicti laniones, piſtores, ſutores, opifices, mulierculæ, & agricolæ tam immenſo incumbunt oneri, ego interim mirarer quid faceret Reſpublica, oppidum, pagus,

vel

vel ciuitas à Reformatis inhabitata, dum, inquam, opifices, agricolæ, patres, & matresfamiliæ, famuli, & ancillæ exercitarentur in tam arduo rerum ſtudio, quis interim curaret coquinam, piſtrinam, aut cæteras officinas Miniſtrorum, & ſuperintendentium, dum illorum vxores, ancillæ, famuli diſtenderentur litteris, & linguis comparandis, cum iſti, & iſtæ habeant præceptum Chriſti, *Quærite primum Regnum Dei*? hoc autem quærere nequeunt, niſi adhibita prædicta diligentia, nec omnes iſti ſunt tam felicis ingenij, vt præfatas artes, & linguas tam facile aſſequantur, quin & plerique ſunt ſtupidi, alij non habent, vnde ſe ſuſtentent per totum illud tempus, quo iſtarum facultatum notitiam acquirerent, deinde mulieres in omnibus bene ordinatis Republicis deſtinantur potius ad colum, coquinam, domeſticam curam, quam ad ſcholas.

§. IV. Nunc igitur, qui vel præ occupatione, vel paupertate, vel ingenij hebetudine, aut ſenſuum exteriorum impedimento non poſſunt tantos adire labores, & tantam ſcientiarum linguarumque encyclopædiam acquirere in ordine ad notitiam ſalutis acquirendam, vnum ipſis ſupereſt, nullam ſperare ſalutem, cui enim deſunt media, certe finem aſſequi non poteſt, illi autem deſint media neceſſe eſt, cui notitia mediorum eſt impoſſibilis; hanc autem notitiam in ordine ad ſalutem æternam aſſequendam acquirere, ſecundum Reformatos nemo poteſt niſi adhibitis prædictis adminiculis. Nec valet dicere, quod poſſint omnes illi audire Miniſtros, nam tunc deſtruitur generale Reformatorum principium, nempè *Solam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, omnes omninò homines in rebus fidei eſſe fallibiles, nulli mortalium in negotio ſalutis vel Religionis inconſulta ſcriptura credendum eſſe, non eſſe aliam rationem cognoſcendi veritatem fidei, niſi præmiſſa oratione, & inuocatione Spiritus Sancti conſulere ipſum Spiritum Sanctum ex ſacris litteris*. Deſtruitur tandem communiſſima Reformatorum praxis concedentium Biblia vulgaria plebi reformatæ, vt inde quilibet, & quælibet ſui Prædicantis, & Miniſtri doctrinam expendat: omnes igitur rudes, ignari, & impediti, qui non habent prædicta adminicula non poterunt ſcrutari ſcripturas, vel acquirere notitiam Chriſtianæ Religionis, atque adeò prætentæ Reformationis calculò, declarantur deſtituti æterna ſalute, & deſtinati gehennæ; & conſequenter apud prætentos Reformatos non eſt vlla via præfatis omnibus perueniendi vnquam ad agnitionem veritatis.

§. V. Tran-

§. V. Tranſeamus iam ad viros ſaltem doctos, qui improbo forte multorum annorum labore, tam vaſtam ſuperauere prouinciam, iſti poſtquam acquiſiuerunt magnam illam ſcientiarum, linguarumque copiam, egredientur ſcrutari ſcripturas, hi debent exactiſſimè conferre ad inuicem iſtas linguas, earumque phraſes, proprietates, accentus, deinde conferre translationes, examinare conformitatem capitum, & textuum cum linguis originalibus, earumque proprietatibus: finito iſto labore, & non niſi longo temporis interuallo exantlando, capit iterum doctus ille præ manibus biblia non quidem expoſita, ſed in nudis ſuis characteribus propoſita, incipit ea ſcrutari conferendo textum ad textum, ſine dubio debet percurrere ſcripturam à capite ad calcem, in decurſu huius ſcrutinij debet diſcutere an ſint modi diuerſi legendi ipſum textum, habito reſpectu ad antecedentia, & conſequentia, ne vis ipſius debilitetur in probando: hic autem ſubeſt dubium, an ſibi ſoli debeat credere, an autem Patres primitiuæ Eccleſiæ in ſubſidium, & conſilium adhibere: ſi adeat Patres, magnus ſupereſt labor cum omnes debeat legere, vt ſenſum omnium in re tanti momenti aſſequatur; ſi ſibi ſoli credendum eſſe putat: vult Iacobus Martini, vt ſcrutinium iſtud fiat per ſacrarum litterarum lectionem multoties repetitam, per exactam ſacrorum textuum collationem, id ego intelligo, quoties vel oritur dubium, vel controuerſia circa aliquem articulum, vel tentatio contra ipſam fidem, iſte tunc debet totum præfatum ſubire laborem, & legere toties, quoties ſcripturam, ac textus conferre. Hinc nunc Principes, viri nobiles, Magiſtratus, Mercatores, & alij Reipublicæ officiales ſunt excluſi ab iſto ſcrutinio, quoties vel eorum munus, vel cura publica, vel honeſta recreatio, vel diſtractio familiæ, vel infirmitas capitis, vel corporis obſtant, nè prædictum ſcrutinium inſtituant: quotusquiſque eorum, quæſo, peritiam iſtam linguarum, vel ſcientiarum habet? quotuſquiſq; eorum eſt ſui iuris, & temporis, vt ſcripturam totam peruoluat? & ne id faceret, deberet eam memoria retinere, ſi ergo iſtis non vacat inſtituere ſcrutinium iſtud, iam per Reformatos ſunt excluſi à notitia mediorum ſalutis, adeoque ab ipſa ſalute.

§. VI. Concludo tandem, quod ſi ſuperſit vlla ſalus apud prætentos Reformatos, illa reſeruata ſit aliquot viris doctis duntaxat, qui vaſtos illos labores ſupra memoratos ſuperare poſſunt: ſed ſecundum principia Reformationis ne quidem iſti ſunt certi an ſint aſſecuti veritatem: nam ſecundum Reformatos ſunt falli-

biles,

biles, cum omnes homines ſecundum eos errare poſſint in fide, poſſunt ergo iſti docti errare in ſcrutinio, indagine, & collatione ſcripturæ, ſicut errarunt Ariani, & hodie errant Iudæi, ſed non poſſunt, inquiunt Reformati, ſi vti decet, inuocent Spiritum Sanctum; ſed contra vel debent habere notitiam Spiritus Sancti ante ſcrutinium ſcripturarum, vel poſt ſcrutinium illud, ſi ante ſcrutinium, iam per ipſos habuerunt fidem de Spiritu Sancto, & conſequenter de toto Trinitatis myſterio, antequam conſulerent Spiritum Sanctum ex ſacris litteris, neque enim poſſent inuocare, quem ignorant, *Quomodo*, inquit Apoſtolus ad Rom. 10. *inuocabunt in quem non crediderunt?* & hinc act. 19. D. Paulus *inueniens quoſdam diſcipulos dixit: ſi Spiritum Sanctum accepiſtis credentes, illi dixerunt, ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audiuimus*: quare cum neminem audiuerint de Spiritu Sancto loquentem in eum credere non poterant, vnde ſi iſta fides, qua credendum eſt Spiritui Sancto, antequam inuocetur ſit certa, iam certa fides concipi poterit ſine ſacris litteris, vel lectis, vel auditis, ſi iſta fides eſt incerta, eum inuocare non poterunt credituri; ſi autem poſt ſcrutinium tantũmodo credendum in Spiritum Sanctum, debet ergo præcedere totum ſcripturæ ſcrutinium, tota illa indago, antequam inuocetur Spiritus Sanctus, qui ſciri non poteſt ſine prædicto toto labore, & indagine, atque adeò totus ille labor eſt erroneus, cum eum non potuerit præcedere inuocatio Spiritus Sancti, adhuc à ſcrutatore ſcripturæ ignorati, ſed dato quod eum inuocet vir ille doctus, qui forte per ſpecialem aliquem motum eum nouit, poteſt contingere, quod eum non inuocauerit, vti decet, adeoque poteſt ab eo deſeri, & ſic errare in ſcrutinio, indagine, & collatione: tandem niſi certò conſtet viros illos doctos habuiſſe magnam peritiam linguarum, & ſcientiarum, & adhibuiſſe totam ſæpe diligentiam, & inuocaſſe vti decet Spiritum Sanctum, non poteſt certò credi an acquiſiuerint veram fidem, nulla igitur apud Reformatos eſt via perueniendi ad agnitionem veritatis Chriſtianæ, ergo neque Reformati ſimul, vel ſeorſim ſumpti poterunt per nudum ſcripturæ ſcrutinium vnquam notitiam ſalutis acquirere; atque adeò ijdem Reformati omnes pueros, ruſticos, mulieres, opifices, agricolas, nobiles, & ignobiles, doctos, & indoctos, ac infideles omnes, ſuppoſito tam intolerabili labore ſcrutinij ſcripturarum, ab æterna ſalute penitus excludunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Biblia vulgaria Reformatorum ſecundum ipſos Reformatos ſunt potius inſtrumenta ſeductionis, quam fundamenta veræ Religionis.

§. I. REformati non poſſunt aut ſibi, aut ſuis ſequacibus per vllum fundamentum certum oſtendere verſiones ſuas vulgares eſſe maioris authoritatis, aut magis conformes textibus originalibus, quam ſit editio vulgata, hanc autem eſſe authenticam negant Reformati. Caluinus in Antidoto Trid. Martinus Kemnitius in examine eiuſdem Concilij, Georgius Maior in præfatione ad Pſalmos. Tilmannus Hebuſius de Sexcentis erroribus Pontificiorum. Samuel Mareſius lib. cui titulus Candela ſub modio poſita inquiens; *Nulli verſioni ſupremam authoritatem deferimus, hunc honorem ſolis originalibus reſeruantes*: Synopſis purioris Theologiæ diſp. 3. theſi 11. *ineptum*, inquit, *aut Græcam ſeptuaginta interpretum, aut latinam vtriuſque teſtamenti verſionem cũ Pontificijs, aut vllam aliam non receptam, vſitatamque modo, ſed authenticam facere*: nunc ſic: vnde conſtat prætentis Reformatis ſua Biblia eſſe conformia originalibus? certè nequeunt oſtendere originalia ipſa: nam fortè nulla talia iam extant, tota ergo fides Reformatorum reſoluitur in dictum translatorum ſuorum, nempe Lutheri, Caluini, Bezæ, Tindalli, & aliorum Reformatorum, qui creduntur ab ipſis Reformatis, verſati in Græcis, Hebraiciſque literis; his tamen ſecundum Religionis reformatæ principia, non eſt fidendum, nam nulli mortalium, nequidem vniuerſali Eccleſiæ in negotio ſalutis, & fidei credendum tenent Reformati, niſi nudum ſcripturæ corticem proponenti, nemo igitur illis viris doctis ex hoc ipſo capite, quod docti ſint, aſſentiri poteſt, iuxta Reformationem, nam nulli conſtare poteſt illos interpretes fuiſſe in Græcis, Hebraiciſque litteris bene verſatos, ſi ipſe eaſdem litteras ignoret, ergo nemo mortalium citra erroris periculum poteſt fidere Biblijs vulgaribus Reformatorum niſi prius ipſe Græcas, & Hebraicas litteras addiſcat, vt videat an illæ verſiones vulgares ſint benè translatæ, qui igitur ignorat illas linguas, non poteſt ſine periculo erroris, & damnationis fidere ſuã

ſalutem Biblijs vulgaribus Reformatorum : nam ſecundum Iacobum Martini contra Valerianum , accurate iudicanti, non eſt hærendum verſionibus , ſed ad ipſos fontes accurrendum.

§. II. Rurſus ſic . vel prætentis Reformatis abſolutè conſtat ſua Biblia vulgaria eſſe ſcripturas authenticas , & diuinitus reuelatas , vel id tantum conſtat probabiliter , vel certè nullo modo id eis conſtat ; ſi nullo modo , iam temere ſua Biblia vulgaria habent Reformati pro verbo Dei , nec vllum dogma fidei inde poſſunt ſumere : ſi conſtat tantum probabiliter: ergo adhuc nullum dogma fidei poſſunt inde depromere , nec in talibus Biblijs articulos Chriſtianæ Religionis fundare , qui debent niti fundamento infallibili : ſi abſolutè conſtat Reformatis ſua Biblia vulgaria eſſe ſcripturas authenticas , & diuinitùs reuelatas; peto vnde habeant hanc certitudinem ? nam ex dictis conſtat Reformatos non deferre ſupremam authoritatem vlli verſioni, quia tranſlatores ſecundum eos fuerunt homines fallibiles. Sciunt item Reformati exemplaria , quæ exſtant in linguis orientalibus non eſſe niſi ſimplices copias , ſciunt tranſlationes factas ex huiuſmodi exemplis non eſſe maioris authoritatis , quam ſit ipſum exemplū: vnde nulli Reformato conſtare poteſt , ſua Biblia eſſe magis conformia originali quam vulgata editio Catholicorum : hanc autem Reformati reſpuunt : atque adeò ignorant an ſuæ verſiones ſint conformes originalibus, & conſequenter an ſint verbum Dei: igitur Biblia vulgaria Reformatorum , non erunt certa fundamenta Chriſtianæ Religionis, ſed potius inſtrumenta ſeductionis, vt ex ipſis Reformatis mox infra conſtabit.

§. III. Sed reſpondent nonnulli ex ipſis , cuilibet Reformato conſtare de legitima verſione per conuenientiam verſionum omnium in doctrina neceſſaria. ſed cōtra primo, ſi conuenientia verſionum omnium in doctrina neceſſaria ſecuros reddit Reformatos de fidelitate verſionum quibus vtuntur, certè debet eis conſtare , qui ſint articuli neceſſarij , & donec eis de his certò conſtet , non poterunt ex conuenientia in doctrina neceſſaria habere ſecuritatem de fidelitate tranſlationis ; atqui Reformati nondum determinarunt articulos neceſſarios , vt diſt. ſeq. videbimus , ergo non poſſunt ex conuenientia in articulis neceſſarijs eſſe certi, aut ſecuri de fidelitate tranſlationis : vt enim Reformati ſint certi de doctrina neceſſaria , debet ſecundum eorum principia quilibet , & quælibet examinare verſiones, ad hoc examen ritè faciendum, debent callere linguas originales , percurrere exemplaria, eaque

ad inuicem conferre, vt ſciant an verſiones vulgares habeant conuenientiam in eiuſmodi articulis neceſſarijs: deinde debent ſinguli, & ſingulæ determinare hos ipſos articulos, vt præfatam conuenientiam penitius inſpiciant, interim mortales omnes, qui vel ex imperitia, vel impedimento non poſſunt determinare articulos neceſſarios, aut ex eo quod linguas orientales ignorent, non poſſunt ipſas verſiones diſcutere, vt conuenientiam earum in doctrina neceſſaria videant, non tenentur interim quidquam credere, atque adeo, ſi interim moriantur, vel ſine fide chriſtiana ſaluabuntur, vel ſi abſque hac fide ſaluari nequeunt, damnabuntur. Nec valet dicere, quod debeāt fidere ipſis tranſlationibus, vel ſuis Miniſtris aſſerentibus prædictas verſiones eſſe authenticas, nam eſt communis Reformatorum ſententia nulli mortalium in negotio fidei credendum: rurſus illæ verſiones vel generant certitudinem ſolum humanam, vel etiam diuinam: ſi primum, non ſufficit ad fidem diuinam, quæ petit eſſe ſupra humanam certitudinem: ſi ſecundum, vnde conſtet, cum vertens ſecundum Reformatos ſit homo fallibilis? neque enim Reformati credunt vulgatæ editioni, eo quod teneant eſſe factam ab authoritate fallibili: ergo non poſſunt Reformati iuxta ſua principia habere certitudinem fidei, aut ſecuritatem de conuenientia verſionum in doctrina neceſſaria.

§. IV. Reſpondent Deum non permittere, vt doctrina neceſſaria in verſionibus corrumpatur, nec eius prouidentia tolerat, vt veritas illa, quæ ad ſalutem hominum eſt deſtinata, ad homines nō perueniat. Contra 1. hoc nō concedunt editioni vulgatę Rom. Eccl. cuius verſionem accuſant Reformati de erroribus. Contra 2. Neq; id concedunt verſionibus vulgaribus, quas multis erroribus ſcatere inter ſe queruntur: Nam Hieronymus Emſerus reformatus. *Mille ac quadringentos errores in Lutheri verſionibus, & tricies ſuam ſententiam retractaſſe Lutherum in ſolo Euangelio* S. Matthæi notat; & Ioannes Dietenbergius: *octingentos ſeptuaginta quatuor in ijſdem dinumerat*: Caluini verſionem manifeſtat Molinæus in tranſlatione noui teſtamenti parte 12. inquiens, *Textum euangelicum deſultare facit Caluinus ſurſum deorſum, vim infert litteræ euangelicæ, & illum multis in locis tranſponit, & inſuper addit litteræ:* Verſio Oecolampadij, inquit Beza in defenſ. Caſtall. *In multis eſt impia, & à Spiritus Sancti ſententia prorſus diſcrepans. Verſio Caſtallionis cæteris viſa purgatior*, inquit Beza, *eſt ſacrilega, impia, ethnica*. Sed qualis ipſius Bezæ, ſeu Geneuenſis? Sereniſſimus Rex Iacobus in colloq.

Hampt. *omnium peſſima,* inquit. *ad cuius errores adnotandos,* inquiunt Caſſalio, & Molinæus *libro nimis magno opus foret:* ſed quid de verſionibus Anglicis? in verſione Tindalli *bis mille deprauationes* collegit Tonſtallus, in cuius rei fidem exſtat ſanctio Henrici VIII. edita in Parlamento anno Regni ſui 34. *Quæ fallax, mendax, & deteſtanda renuntiatur Tindalli Bibliorum interpretatio.* De verſione autem iam in vſu apud Reformatos Anglos, inquit Carlilus lib. contra deſcenſum Chriſti ad inferos; *Interpretes noſtri,* inquit, *Bibliorum ſenſum deprauarunt, veritatem obſcurarunt, ignaros deceperunt, in multis locis à ſententia ſcripturas detorquent, & ſectari ſe tenebras magis, quam lucem, & errores potius, quam veritatem manifeſtant.* Doctor Braghton. in admonitione ad Proceres Angliæ *publica traductio Bibliorum,* inquit, *facit vt myriades myriadum nouum teſtamentum abyciant, & ad æternas flammas proruant.* De omnibus verſionibus Anglicanis Rex Iacobus in narrat. colloq. Hampton. *profeſſus eſt ſe nunquam vidiſſe Biblia Anglicè bene verſa:* Hæc Reformati de ſuis verſionibus.

§. V. Nunc ſic. Quicumque ingerunt ſuis ſequacibus verſiones erroneas, mendaces, & impias loco veræ ſcripturæ, illi proponunt potius inſtrumenta ſeductionis, quam fundamenta veritatis, aut orthodoxæ Religionis; prætenti Reformati ingerunt ſuis ſequacibus verſiones erroneas, mendaces, & impias loco ſacræ ſcripturæ; ergo prætenti Reformati proponunt ſuis ſequacibus potius inſtrumenta ſeductionis, quam fundamenta veritatis, & Orthodoxæ Religionis: Maior admittitur ab hominibus veris Chriſtianis, qui idcircò horrent Talmud, & Targum Iudaicum, ob impias expoſitiones, & verſiones in illis contentas; minor patet ex Confeſſione Reformatorum de ſuis proprijs verſionibus, & conſequentia eſt legitima: rurſus illæ ſunt verſiones erroneæ, quæ humana tantum, & fallibili authoritate factæ ſunt, & nituntur verſiones Reformatorum ſic factæ ſunt, & nituntur: ergo ſunt erroneæ; maior eſt ſententia Reformatorum reijcientium editionem vulgatam, eo quod prætendant eam humana tantum, & fallibili authoritate factam eſſe: minor etiam eſt ipſorum in frontiſpicijs Bibliorum vulgarium, referentibus ſuos traductores, qui humana tantum authoritate illa tranſtulerunt, & cōſequentia eſt legitima: nunc denique ſic. verſiones erroneæ non ſunt fundamenta veræ Religionis: verſiones reformatorū ſunt erroneę: ergo. maior patet: quia vera Religio niti debet fundamento infallibili, in quo diſtinguitur à falſa Religione, quæ erroneo tantum

tum

tum nititur fundamento. minor eſt Reformatorum, vt conſtat ex dictis, & conſequentia eſt legitima; atque adeò apud Reformatos non eſt vera Religio, quantumuis ſua Biblia vulgaria euoluant, ſed impoſtura, & ſeductio.

ARTICVLVS TERTIVS.

Nulla verſio vulgaris facta à Reformatis ſecundum ipſos Reformatos, eſt ſcriptura Canonica.

§. I. HIc iterum notandum commune Reformationis principium de fallibilitate omnium mortalium in cauſa fidei, notitiam ſalutis à quolibet hauriendam ex ſola ſcriptura: proinde Biblia vulgaria omnibus, & ſingulis Reformatis, Reformationis calculo conceſſa; verſiones autem vulgares non eſſe authenticas ſcripturas, ex ipſis Reformatis oſtendo. Nihil obnoxium deceptioni, & fallibilitati humanæ eſt verbum Dei infallibile, omnis verſio vulgaris Bibliorũ facta à prætentis Reformatis, eſt talis: ergo nõ eſt verbum Dei infallibile. maior patet ex ipſis Reformatis articulo præcedenti citatis, nolentibus vlli verſioni vulgari ſupremam authoritatem deferre: item ex verſionibus Iudaicis Talmud, & Targum: tum etiam, quia fieri non poteſt, vt ſit verbum Dei infallibile, quod à fallibilitate tantum humana dependet: minor etiam eſt Reformatorum fatentium ſuas verſiones factas eſſe ab hominibus, & humana authoritate, vt conſtat ex frontiſpicijs Bibliorum vulgarium cuiuſlibet nationis reformatæ, & conſequentia eſt legitima.

§. II. Rurſus: qui copiam ſimplicem non ex originali deſcriptam, ex alia ſimplici copia tranſumptam, nulla ſufficienti authoritate firmatam proponunt, illi pro ſcripturis diuinis humanas tantum opiniones vendunt: ſed prætenti Reformati copiam tantum ſimplicem ex alia copia ſimplici tranſumptam, nulla ſufficienti authoritate firmatam proponunt: ergo prætenti Reformati pro ſcripturis ſacris humanas tantum opiniones vendunt. maior eſt Reformatorum art. præced. qui ſolis originalibus ſupremam authoritatem deferre volunt: Minor ſimiliter eſt ipſorum, cum ſola originalia ſecundum eos ſint authentica, ſed ipſorum Biblia non ſunt originalia, imo Reformati nunquam viderunt originalia Moyſis, Prophetarum, aut Euangeliſtarum manu conſcripta, ſupe-

ſupereſt ergo, vt ſua Biblia tranſcripſerint, tranſtulerintq; ex copia ſimplici; addit synopſis purioris Theologiæ theſi 11. *Expreſſa ex authentico eſt ipſa ſcriptura ſacra, quatenus ea in alias linguas religioſiſſimè translata plenè, & preſsè quantum fieri poteſt, ei reſpondet*: ſubſumo: ſed Biblia vulgaria Reformatorum nō ſunt ex authentico: ergo. minor ſubſumpta eſt eorundem aſſerentium ſola originalia eſſe authentica, hæc autem non extant, vt habet Beza in præfatione in nouum teſtamentum: item verſionem eſſe expreſſam ex authentico, & eſſe ſacram ſcripturam ſunt ſynonima ſecundum ſynopſim citatam, ergo verſio, quæ non eſt expreſſa ex authentico ſeu originali non eſt ſacra ſcriptura, verſiones autem vulgares Reformatorum non ſunt ex authentico, ergo nec ſunt ſacra ſcriptura: item verſiones, quæ carent ſuprema, & infallibili authoritate, non ſunt ſcriptura canonica, verſiones vulgares Reformatorum carent huiuſmodi authoritate, ergo non ſunt ſcripturæ canonicæ: totus ſyllogiſmus fundatur in principijs Reformatorum dantiū iſtam ſupremā authoritatem ſolis originalibus.

§. III. Nunc ad reformatos multipliciter ſic. Qui docent Biblia non canonica, & non authentica, eſſe canonica, & authentica, non ſunt Doctores veritatis, ſed prætenti reformati docent Biblia non canonica, & non authentica eſſe canonica, & authentica, ergo prætenti Reformati non ſunt doctores veritatis: Maior admittitur à veris Chriſtianis. minor probatur, quia reformati mandant ſuis ſequacibus, vt legant ſua Biblia vulgaria, ex quibus fidem depromant tanquam ex verbo Dei authentico, quamuis illa non ſint authentica, vt conſtat ex ſuperius iam dictis, vnde iterum ſic: qui docent verſionem authoritatis fallibilis eſſe infallibilem, aut ſeducitur, aut ſeducit; prætenti reformati docent verſiones authoritatis fallibilis eſſe infallibiles: ergo prætenti reformati, aut ſeducuntur, aut ſeducunt: maior patet: minor probatur: nam reformati remittunt ſuos ſequaces ad verſiones vulgares, tanquam ad authoritatem infallibilem: cum tamen, vt vidimus, authoritatem infallibilem refundant reformati in ſola originalia, & vt art. præced. vidimus, fateantur verſiones vulgares erroribus ſcatere. vnde ſic: nulla verſio erronea eſt verbum Dei, verſiones vulgares reformatorum ſunt erroneæ; ergo verſiones vulgares reformatorum non ſunt verbum Dei; maior de ſe patet: minor eſt reformatorum ex art. præced. & iterum infero illas verſiones non eſſe ſcripturas canonicas, cum non ſint Verbum Dei.

§. IV. Nunc quæro, cur reformati recurrant toties ad textum Græcum, vel Hæbraicum, vti ſolent, vel in ſuis ſcriptis, vel ſermonibus vocales Græcas, & Hæbraicas blaterare? cum tamen illi textus nunc exſtantes non ſint originales, nec conſtet totum nouum teſtamentum eſſe Græcè primò ſcriptum: Cenſent enim graues authores Mathæum hebraicè ſcripſiſſe, Marcum Latinè, tunc ſic: ſi reformati non oſtendant certo totum nouum teſtamentum eſſe Græcè ſcriptum, nullum vtique Græcum exemplar poterit dici exemplar quomodolibet ex originali deſcriptum: ſed prætenti reformati non oſtendunt certò totum nouum teſtamentum eſſe Græcè ſcriptum, ergo nullum exemplar Græcum noui teſtamenti poterit dici à prætentis reformatis ex originali quomodolibet deſcriptum: maior patet, quia non poteſt dari deſcriptum ex non ſcripto. minor probatur, quia hactenus id non præſtiterunt: item ſi prætenti reformati non oſtendant certo nouum teſtamentum eſſe Græcè ſcriptum, & tamen promiſcuè recurrant ad textum Græcum, velut ad originalem noui teſtamenti, tunc recurrunr ad textum, quem ignorant eſſe originalem: Sed prætenti reformati non oſtendunt certo totum nouum teſtamentum eſſe græcè ſcriptum, & tamen promiſcue recurrunt ad græcos textus, ergo recurrunt ad textus quos ignorant eſſe originales. Quid interim faciat miſera plebs ſeducta à ſuis Miniſtris ſeductis, & ſeducentibus? nam ſtante iſto Reformationis principio, quod Deus doceat quemlibet, & quamlibet ſolum per ſacram ſcripturam, &, vt probatum eſt hactenus, nulla verſio vulgaris Reformatorum ſit ſcriptura ſacra, quid facient populi? cui ſcripturæ credent? reſpondebunt vtique perfricta fronte ſeductores iſti Miniſtri, credant Biblijs vulgaribus Anglicis, Scoticis, Germanicis, Gallicis, Belgicis, *Quatenus*, vt inquit ſynopſis purioris Theologiæ, *religioſiſſime translata, preſſe, & plene reſpondent authentico*: an autem iſta vulgaris verſio reſpondeat authenticæ ſcripturæ, neſcit populus reformatus, qui nec Græca nec hebraica exemplaria intelligit, multo minus prima originalia vnquam vidit, nouit prædictas verſiones non eſſe originalia Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, nouit non eſſe copias publica, & infallibili authoritate firmatas, deſcriptas, vel collatas cum originalibus: quia nullam talem authoritatem in rebus fidei Chriſtianæ admittit prætenta Reformatio: in hoc igitur caſu credit plebs reformata verbo Miniſtrorum, quæ ſecundum Reformatorum principia, prohibetur vlli mortalium in negotio

gotio Religionis; vel ſalutis æternæ credere: atque adeò dum Reformati credunt ſuis verſionibus vulgaribus, non credunt verbo Dei, ſed verbis hominum, cum verſiones vulgares Reformatorum ſecundum ipſosmet non ſint ſcripturæ canonicæ, & ſic relicto verbo Dei ab Eccleſia propoſito, ſequuntur verba fallacia ſuorum Miniſtrorum: ſed hic non finiunt mala Reformationis. Vnde ſit.

SECTIO SECVNDA.

Quales ſint effectus, vel fructus ſcrutinij Bibliſtici

Quid pariat in grege reformato hoc priuatum ſcrutinium non non eſſet opus ſcripto mandare: ſed ad oculum in ædibus, oppidis, vrbibus reformatis inſpicere, in quibus ſuſque deque omnia negotia fidei vertuntur: ſit tamen.

ARTICVLVS PRIMVS.

Reformati per ſcrutinium Bibliſticum cuilibet conceſſum, & per propria principia fouent omnes hæreſes, & blaſphemias contra fidem Chriſtianam.

§. I. HIc præmitto Tertulliani de hac ſcrutinij priuati libertate ſententiam lib. de præſcrip. cap. 39. *Non periclitor*, inquit, *dicere, ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrent, cum legam: oportet hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſunt*. quam latam delirandi, & errandi licentiam aperiant prætenti Reformati, luce clarius oſtendunt eorum principia, quæ ſingulos, ſingulaſque faciunt interpretes ſcripturarum, doctores orbis, iudices omnium fidei controuerſiarum, Conciliorum, & totius Eccleſiæ arbitros, cuiuſlibet nouitatis chimicos, modo ſcripturas pro capitis ſui vertigine, ſuis inuentionibus adaptent: Conqueritur tamen Vedroſius apud Redingum, quod Georgius Rhetus ex Reformatione ad Catholichiſmum, & veram Eccleſiam conuerſus aſſeruerit ſcripturam eſſe omnium hæreſum cauſam, litium materiam, naſum cereum,

ænigma

ænigma Spinghis, regulam lesbiam, ac plumbeam, quæ cuiuis figuræ aptari poſſit. non dixit hoc Georgius de ſcriptura in ſenſu à Spiritu Sancto intento, & à vera Eccleſia propoſito, ſed de eadem ſcriptura, vt ſubeſt priuato ſpiritui, & inſtinctui, & in eandem ſcripturam dominanti, omnibuſque hæreticis familiari, atque adeò in hoc vtique ſenſu, ſeu libertate ſcrutinij priuati, eſt cauſa hæreſum, & litium, vt ſupra dixit, Tertullianus, & rectè notat D. Auguſtinus lib. de hæreſibus, & lib. contra aduerſarium legis, & Prophetarum, vbi habet Manichæos tentaſſe ex ſcripturis probare Diabolum eſſe creatorem mundi. Item Vadiani finxere Deum eſſe corporeum ex illo Geneſis 1. *faciamus hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. percurrebat vetus teſtamentum Iulianus Apoſtata, ridebatque cur Deus iraſci, pœnitere, dolere dicatur? cur Zelotes? Ariana ſimiliter peſtis teſte Auguſtino tom. 6. in ſermone Arianorum. quadraginta circiter blaſphemias contra filium Dei, & Spiritum Sanctum euomuit, & pro ijs ſtabiliendis viginti octo ſcripturæ loca enumerat. Impius Neſtorius pro ſua ſententia contra vnitatem perſonæ Chriſti teſte Epheſina Synodo parte 2. actione 1. in dogmate ſuo quaternione 17. & 21. refert ſe ad nudam ſcripturam, & ex ea pro ſuo errore pluſquam viginti octo loca depromit. Quid multis: alij ſcripturarum inſtructi textibus, nuptias penitus auferre tentarunt, alij damnare ſecundas, alij duas ſimul habere vxores dixere licitũ: alij matrimonij vinculum pro coniugum arbitrio diſſolubile ſtatuere: tandem Epiphanius 50. hæreſes: Auguſtinus vero 88. tom. 6. enumerat ſcripturæ verbis, & phraſibus inſtructas.

§. II. Has & ſimiles hæreſes, ac blaſphemias licitas eſſe conſtat ex prætenſæ Reformationis principijs, ſcripturæ particulare ſcrutinium promiſcuè multitudini concedentibus, & omnium conciliorum definitiones cuiuſlibet arbitrio ſubijcientibus ampliſſima libertate quidlibet audiendi, credendique in negotio Religionis donata, ita vt nemo poſſit corrigi in eo, quod ſentit, docet, vel profitetur, atque adeò liberum erit cuilibet, quam voluerit hæreſim vel blaſphemiam colere: Quod ſi quis talem errantem ab errore ſuo remouere tentaret, negabit cuiquam id licere; ſe nemini ſubditum eſſe in cauſa fidei, ſed ſoli ſcripturæ ſe eſſe ſubiectum, & tanta pollere authoritate in eo Religionis negotio, quanta polleat Oecumenicum Concilium, imò ac tota Reformatorum turma: nam in promptu habet theoremata ac principia Religionis reformatæ, illud ſcilicet Confeſſionis Auguſtanæ *retinen-*

tinendam eſſe doctrinam de libertate Chriſtiana: illud item Confeſſionis VVittenbergicæ tit. de Concilijs: *Spiritum Sanctum eſse liberrimum, nec ad certum genus hominum alligari, cum dicatur* num. 11. *Quis tribuat vt omnis populus prophetet.* Citabit pro ſe Confeſſionem Anglicanam art. 21. negantem omnem abſolutam authoritatem obligandi Concilijs generalibus, niſi præmiſſo prius proprio cuiuſlibet ſcrutinio hominis, & examine. Confeſſionem Gallicam art. 33. reſpuentem *omnes leges hominum, quibus conſcientias ligare vellent*: Scoticam ſecundam, dirum in modum execrantem cuiuſuis iuriſdictionem in rebus fidei: cæteras denique confeſſiones remittentes omne iudicium, & arbitrium in negotio Religionis ad ſolam ſcripturam, quam ſinguli, & ſingulæ, ex Reformationis præſcripto ſcrutari debent, & inde doctrinam credendam haurire: habet ille idem pro ſe Lutherum in aſſert. art. 29. dicentem: *Via nobis facta eſt eneruandi authoritatem omnium Conciliorum, & contradicendi eorum geſtis*: habet Caluinum lib. 4. inſtit. cap. 8. & 9. nulla Epiſcoporum vel Paſtorum nomina impedire examen: manet interim in poſſeſſione ſui iuris, & libertatis vir ille, manet ſimiliter quilibet hæreticus, blaſphemus, ſchiſmaticus, ne vnquam corrigi poſſit.

§. III. Nam ſit v. g. qui neget Chriſtum eſſe verum Deum, paruulos eſſe baptizandos; ſint ab oppoſito Reformati: volant inter partes vltrò, citroque textus ſacri codicis, refractarius ille iurabit ſe inuocaſſe debite Spiritum Sanctum, percurriſſe Biblia, contuliſſe ſcripturas ad inuicem, negabit ſententiam contrariam ſibi in Biblijs patere: dicent Reformati iſtos eſſe articulos neceſſarios; inficiabitur ille id ſibi apparere; quid hic facient Reformati? declarabuntne iſtum hæreticum? vel blaſphemum? id non poſſunt, nam ille nihil agit, niſi iuxta leges, principia, ac priuilegia Religionis reformatæ, nam prætendet ſe præmiſſa inuocatione Spiritus Sancti, poſſe determinare ex ſcriptura per facultatem ſibi à Reformatis conceſſam, qui ſint articuli neceſſarij, & ab ijs excludet articulum de diuinitate Chriſti, & Baptiſmo paruulorum: excludet ſimiliter ſi voluerit ex catalogo neceſſariorum, omnes confeſſionis Anglicanæ ſpeciales articulos, Auguſtanæ, VVittenbergicæ, Helueticæ, Argentinenſis, Baſileenſis, Saxonicæ, Bohemicæ, Belgicæ, Gallicæ, Scoticæ: Audit ſingulas nationes reformatas obſtupeſcentes pro ſuis confeſſionibus earum ſententias, & deciſiones inuocato, vt prætendet, debite Spiritu Sancto, iuxta Reformationis indulta, & principia, ex

ſcripturis expendet, & iudicabit eas non eſſe neceſſarias. quod ſi dictarum confeſſionum fautores, ſequaces, & authores dicant eum non debite inuocaſſe Spiritum Sanctum, dicet eos potius debite eum non inuocaſſe, qui articulos non neceſſarios obtrudunt: contra hunc Reformati nullam authoritatem ſupremam allegare poſſunt; nam axiomata reformata §. præced. citata pro ſe habet: ſe denique probaturum ſuam ſententiam, & improbaturum reliquorum mortalium dicta, per particulare ſuum ſcripturæ ſcrutinium.

§. IV. Ex his omnibus habetur omnes hæreſes, & blaſphemias eſſe licitas, quoties ſcripturas ſiue apte, ſiue inepte pro ſuo quiſque delirio citauerit, nam tuebitur ſe citatis Reformatorum principijs, plenam ei ſcrutinij priuati libertatem, & arbitrium in omnium hominum, Conciliorumque dicta concedentibus: adiunget ex Reformationis praxi, omnem doctrinam eſſe licitam cuiuis, ſi iuxta ſuum priuatum ſenſum iudicauerit eam eſſe conformem ſcripturæ, quam ipſe ſcrutatus eſt, & eius textus ad inuicem iactat ſe contuliſſe, ſicut pro ſuis erroribus fecerunt Ariani, Manichæi, Vadiani, Neſtoriani, & quotquot vnquam extiterunt hæretici, quod ſane tam accuratè, quàm eleganter refert Vincentius Lirinenſis lib. de profanis nouitatibus, his verbis: *Vtuntur hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimonijs per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſis, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos per Euangeliſtas, per Prophetas, ſiue enim apud ſuos, ſiue apud alienos, ſiue priuatim, ſiue publice, ſiue in ſermonibus, ſiue in libris ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis, nihil vnquam pene de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcillani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque peſtium, cernes infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ noui, aut veteris teſtamenti ſententijs fucata non ſit, & colorata; ſed tanto magis cauendi, & pertimeſcendi ſunt, quanto occultius ſub diuinæ legis vmbraculis deliteſcant: ſciunt enim fœtores ſuos nulli fere citò eſſe placituros, ſi nudi, & ſimplices exhalentur: atque idcircò eos cœleſtis eloquij, velut quodam odore adſpergunt, vt ille qui humanum facile deſpiceret errorem, diuina non facile contemnat oracula.* Hæc ille, vbi vides hæreticorum genium, ſub fucato ſcripturarum ſcrutinio latentem, & exitium inde prouenienſ exactè deſcriptum.

§. V. Nunc ex dictis concludo: vti iuxta Reformatos dantes libertatem ſingulis, ſcrutinij bibliſtici, liberum eſt, omnium hominum ſententias reſpuere; ita liberum eſſe omnium Refor-

matorum dictis, & articulis diſsentire: vnde iſte ſic diſsentiens, vel tenetur à ſua ſententia recedere, & ſententiam Reformatorum ſequi, vel non? ſi non, ergo libere, & licite poterit tenere, quam voluerit ſententiam, quantumuis hæreticam, blaſphemam, quæ talis eſset etiam iudicio Reformatorum: ſi tenetur à ſententia recedere, & Reformatis adhærere, deſtruuntur hoc ipſo Reformationis principia, quæ omnibus concedunt arbitrium tenendi, vel reſpuendi, quod voluerint: vnde iterum ſic. vel poterunt Reformati talem hominem licite condemnare, vel non? ſi poſsunt, iterum corruunt eorum principia, ſtatuentia pro iudice cuiuſlibet hominis, particulare ſcripturæ ſcrutinium; ſi non poſſunt eum condemnare, ergo iam fateri debent, omnes hæreſes, blaſphemias, ſchiſmata contra Chriſtianam fidem, licita eſse, atque adeò permittenda, vtpote, quæ corrigi, aut emendari non poſsunt.

ARTICVLVS SECVNDVS:

Per eandem libertatem ſcrutinij bibliſtici, Religio Reformata, præcipitat ſuos ſequaces, in deſperationem inueniendi vnquam ſalutis æternæ doctrinam.

§. I. Diuerſum in indaganda, & acquirenda veritate progreſſum, ab eo, quem Chriſtus inſtituit, formauere Reformati; inculcat Chriſtus in Euangelio paſſim, vt credatur: obmurmurant Reformati, ne vlli mortalium credatur: laudat credentes Chriſtus Matth. 8. 9. & alibi. obiurgant, per ſua principia Reformati: voluit Chriſtus audiendos Paſtores Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* voluit medio doctore, & inſtructore proponendam, & hauriendam fidem. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes: docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis*: ſtabiliuit per hoc iuriſdictionem, & authoritatem Eccleſiæ, cui omnes tenerentur obedire Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*: non Eccleſiam, non Concilia, non Paſtores conſulendos, vel audiendos volunt Reformati, ſed quilibet, & quælibet iubetur ſcripturas ſcrutari, & inde omnium hominum expendere doctrinas, & tandem quid ſit credendum determinare, cum nullam agnoſcant Reformati

viuam authoritatem in terris, cui ſit acquieſcendum, quod præter Confeſſiones reformatas ſuperius citatas, apertè aſſerit Iacobus Martini Lutheranus, in ſuis vindicijs pag. 232. *Nullus hominum*, inquit, *hanc docendi habet iuriſdictionem, per quam alij teneantur credere*. & pag. 235. *omniuo quilibet verè Chriſtianus, iudicare, quantum in ipſo eſt, debet, an miniſterium, quod exercetur, ſit verum, ſit purum, & quidem ſecundum analogiam fidei, & verbum inſitum, ſi non poteſt iudicare ex ſacra ſcriptura*. Igitur nec ipſa quidem ſcriptura erit Reformatis vniuerſalis illa regula, toties olim ab ipſis decantata: ſed verbum inſitum, quod pro ſe iactant Turcæ, Hebræi, Ariani, Manichæi, Anabaptiſtæ, Sonciniani. Idem ſentit Ioannes Maior, contra Valerianum Magnum pag. 318. *Nec priuandæ ſunt ouiculæ facultate*, inquit, *expendendi doctrinam ſibi propoſitam*. Item Ioan. Botſacus, contra eundem Valerianum parte 1. cap. 7. *omnes pij ad ſcripturam remiſſi ſunt, ſine vlla Papæ, vel Concilij mentione*: addo ego, & ſine Miniſtrorum, Prædicantium, vel ſuperintendentium neceſſitate.

§. II. Supereſt ergo, vt, ſtantibus Religionis reformatæ principijs, omnem infallibilem docendi authoritatem negantibus, & remittentibus quemlibet, & quamlibet ad ſcripturarum ſcrutinium, iam non niſi per examen rerum, & articulorum vera Religio ſit quærenda, & haurienda, quem tamen laborem, nemo mortalium exantlabit: nam ſi quæſtio eſſet de alijs infidelibus nō Chriſtianis, ex quibus, qui veram Religionem quærere inſtitueret, per ſuum ſcrutinium, & examen, deberet non vnam tantum, ſed omnes omnium ſectas, & profeſſiones, illarumque articulos, & dogmata inquirere, & diſcutere: en tibi in limine indaginis ingens onus! vix enim vllus homo callet omnium Religionum nomina: ex ipſis Chriſtianorum ſciſſuris, & ſectis, multas enumerant Epiphanius, & Auguſtinus: hic tamen aperte fatetur, ſe non potuiſſe aſſequi omnium hæreſum notitiam, dum catalogum octoginta, & amplius ſectarum concludit. & licet infidelis ille haberet, omnium Religionum nomina, adhuc remanet dubius, vnde incipiat.

§. III. Sed accedat infidelis ille ad ipſam Chriſtianam Religionem, in qua videt tot ſectas, tot ſchiſmata: audit reformatæ Religionis axiomata, ſæpè iam citata, ex quibus pro inueſtiganda, & acquirenda veritate, intelligit ſe remiſſum ad ſcripturarum ſcrutinium, & articulorum examen: Supponamus autem, quod pro agnoſcendo Canone Sacri Codicis exantlauerit immenſum

illum laborem, quem ſect. 1. art. 1. huius diſtinctionis inſinuaui, quod tamen impoſſibile factu, quilibet ſenſatus videt: ponamus tamen exantlaſſe. arripit Biblia, voluit, euoluitque, ibi legit multa tropicè, allegoricè, figuratè, litteraliter, moraliter, myſticè, legit verba, ſenſum ignorat, petit quid ſibi velit hic vel ille textus: occlamant Reformati, ſe explicaturos ei ſcripturam, per ſcripturam: ſed ille animum aduertet ad multiplices ſectas, & ſententias, in quas ipſi Reformati ſunt ſecti, & diuiſi: videt Pruritanos prurientes auribus, videt Anabapriſtas, Soncinianos, Proteſtantes, Caluiniſtas, Lutheranos, Independentes, Tremulos, vbi quæram, inquiet, ſenſum textus lecti, vel audici? dicet cum Tertull. cap. 10. de præſcrip. *vbi ern finis quærendi? apud Marcionem?* apud nos, inquient Proteſtantes. *ſed Valentinus proponit:* proponunt Puritani, *quærite, & inuenietis apud Valentinum*: apud Puritanos? *ſed & Apelles, Hebion, Simon*, Anabaptiſtæ, Soncinian, *hac me pronuntiatione pulſabunt*: & dicent ſe diuino ſpiritu inflari, ac ſcripturas per ſcripturas explicare, aut ergo omnes audiendi, aut nullus? non omnes, quia Spiritus Sanctus contraria, aut contradictoria non dictat: ergò nullus erit audiendus, idque ex duplici cap. 1. quia ſecundum Reformatos, nulli mortalium in cauſa fidei credendum. 2. nemo erit audiendus donec ſciatur, cur vnus præ alio, audiri debet: *ero itaque*, inquit Tertull. *nuſquam, dum vbique conuenior, quærite, & inuenietis*: vt ergo inueniat idoneos interpretes, caſu quo vellet alicui credere, debet tranſire omnia Imperia, Regiones, Academias, Ciuitates, oppida, Doctores, Prædicatores, vt inueniat idoneum interpretem, qui præ ceteris audiendus erit; debet item euoluere Annales, Concilia, expoſitiones, vt videat, an præmortuæ hæreſes rectè fuerint damnatæ, cum Sonciniani excitent Arianiſmum, Anabaptiſtæ aliam, Tremuli, & Independentes diuerſam: tandem nec omnes audiendi erunt, ob ſuas contradictiones, nec vllus; quia nulli mortalium, in negotio fidei, credendum tenent Reformati.

§. IV. Sed age nunc, ſi non inuenit idoneum interpretem, ipſemet conetur ſcripturas exponere: vtique procedat oportet ad examen doctrinæ, & articulorum; vel ergo omnes articuli fidei diſcutiendi ſunt, vel nulli? omnes articulos fidei examinare, & diſcutere nullus poteſt: nam ſi agendum eſt de articulis controuerſis Romanæ Eccleſiæ v. g. de reali præſentia, ſacrificio Miſſæ, Purgatorio, Indulgentijs, ſiue etiam agendum ſit de ſpecialibus

arti-

articulis ipſorum Reformatorum, plures, & diuerſos habent pro varietate nationum, vt ex eorum Confeſſionibus liquidò conſtat: vt ergo ille veritatis aſſequendæ cupidus, ſciat, quid credendum, per iſtos omnes articulos, & Confeſſiones excurrere debet: ſed quis vel quando hæc omnia diſcutere, vel examinare poterit? tenetur tamen id facere, iuxta prætenſam Reformationem, quia nulli mortalium debet credere, ſed omnium hominum ſententias in negotio Religionis, debet ex ſcriptura expendere, vt videat, quid ſit credendum; & quia videt infinitas vltro citroque impugnationes, & defenſiones, cum ſciat agi de negotio ſalutis æternæ, debet controuerſias omnes percurrere, & illarum oppugnationes, & propugnationes examinare, & donec totum illud examen ad limam Sacri Codicis inſtituat, & abſoluat, nihil interim tenetur credere. Bone Deus! quādonam poſſet finire iſtud Scrutinium? cum ad ſingulos articulos debeat adhibere collationem textuum, debeatque ſibi ipſi, per ſeipſum conſulere, ſcrutando ſcripturas, quod tamen quam ridiculum ſit teſtatur. Tertull. de præſcrip. cap. 57. inquiens, *Quoniam nihil proficit ſcripturarum examen, niſi planè, vt aut ſtomachi quis ineat euerſionem aut cerebri*: remanet ergo illi homini proceſſus in infinitum, voluendo, reuoluendo ſcripturas per collationem textuum, repetitam lectionem, accuratam meditationem, vt volunt Ioannes Maior, & Iacobus Martini, & ſic inquit Tertull. *ſemper quæremus, & nunquam credemus*. ſupereſt denique deſperatio vnquam inueniendi veritatem apud Reformatos, & tandem ceſſare debet ab inquirēdo, nè fortè vt ait D. Auguſt. Epiſt. 49. *Cum expectat ante Bibliorum Sacrorum finire quæſtiones, prius finiat vitam iſtam, quam tranſeat de morte ad vitā*. Sed audiat iſte Miniſtros, inquient Reformati. contra ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ex libertate Scrutinij priuati, & Reformationis principijs, Reformati manifeſtam exercent tyrannidem, mouendi controuerſias, in ea cauſa, in qua nullum iudicem cognoſcunt.

§. I. PArticulare cuiuſlibet hominis ſcripturæ Scrutinium ſtatui ſupremum in negotio fidei iudicem, ex Confeſſionibus, alijſque Reformatorum principijs, ſuperius vidimus: nunc

nunc Doctorum reformatæ Religionis ſententias, de ea ipſa re audiamus. Iacobus ergo Martini contra Valerianum Magnum: *Singuli Chriſtianorum*, inquit, *Si, vti decet, inuocauerint Spiritum Sanctum, poſſunt ſine errore ex codice Sacrarum Scripturarum, quorumcumque hominum, etiam Conciliorum generalium, doctrinam expendere.* Ioannes Maior contra eundem Valer. *Singuli Chriſtianorum, in ſacris litteris eruditi, poſſunt, ſalua authoritate docentium, exemplo Berhoenſium, ex mandato Chriſti, ſcripturas ſcrutari eo fine, vt ſciant, an quæ vel à Concilio, vel ab alijs traduntur, & ſibi credenda proponuntur, cum Verbo Dei ſcripto concordent, an ſecus.* Ioannes Botſacus contra dictum Valerianum. *Omnes pij ad ſcripturam remiſſi ſunt, ſine vlla Papæ, vel Concilij mentione.* Anonymus contra eundem ait, rationem hominis ſanam, cuiuis ſufficere, tum ex hiſtorijs, alijſque certis principijs, ad dijudicandam ſacrarum litterarum authoritatem, tum ex ipſis ſacris litteris, earumque collatione, non tantum omnia, quæ ſimpliciter ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſed & multa vtilia, licet non adeò neceſſaria; idem habet Conradus Bergius in præfatione ſuarum diſſertationum: multis idipſum conatur oſtendere Vedroſius, apud Redingum diſsert. 2. cap. 2. quibus adde illud Auguſtanæ Confeſſionis axioma: *Poteſtatem interpretandæ ſcripturæ non eſſe ſimilem prætoriæ, vel Regiæ*, vt ſcilicet poſſit obligare quemquam: *ſed eruditi in Verbo Dei, & renati Spiritu Sancto, aſſentiuntur Verbo Dei, illudque intelligunt, alij magis, alij minus*: & illud aliud Confeſſionis VVittenbergicæ tit. de ſcriptura. *Sententia ſcripturæ quærenda eſt in ipſa ſcriptura, & apud eos, qui Diuino Spiritu excitati, ſcripturam per ſcripturam interpretantur*: ex Anglia ſufficiat citare, vnum Stillingfleete, ex tractatu de reductione fidei proteſtanticæ &c. principio 16. *Nulla*, inquit, *intolerabilior vſurpatio, contra Chriſtianam fidem, quam, quod vllus homo, vel hominum cœtus prætendat infallibilem aſſiſtentiam, in eo quod proponunt, qualis fuit in Chriſto, & Apoſtolis &c.* omnem igitur eiuſmodi aſſiſtentiam, intendit Stillingfleete remouere à cœtu Proteſtantium, & ſanè rectè, ne vllus habeat fidem, vel ipſi Stillingfleete, vel Proteſtantibus ſimul, vel ſeorſim ſumptis: quid plures referam?

§. II. Ex his ſequitur primò apud Reformatos, nullam extare authoritatem decidendi cauſas fidei, aut quemquam ad ſuas deciſiones obligandi: quemlibet in ſua cauſa ſibi ipſi ſufficere, per ſuum particulare Scrutinium: nec eſſe neceſſe, vllum alium doctorem, interpretem, inſtructorem, in hac eadem

cau-

cauſa adhibere, vel audire; Miniſtros proinde debere abſtinere à docendo: ſequitur 2. omnes controuerſias, motas à Reformatis, circa verſiones, Canonem, numerum, integritatem S. Scripturæ, eo fine ab eis moueri, vt nunquam terminentur; cum vnica, & ſuprema regula deciſiua controuerſiarum, ſecundum eos, ſit ſola, & nuda ſcriptura, ſubiecta Scrutinio particulari, cuiuſlibet cerdonis, ſartoris, mulierculæ, cumque prædictas quęſtiones, de ſe ipſa motas, non determinet, nec aliud ſecundum præfatos Reformatos, exſtet Tribunal deciſiuum controuerſiarum, extra prædictam Scripturam, ſequitur manifeſtè Reformatos, nec poſſe, nec vnquam potuiſſe determinare, qui ſint libri canonici, qui non? quæ verſio emendata, quæ non? an exemplaria ſunt conformia originalibus? an reuera libri, qui exſtant, ſint dictati à Deo, & conſequenter an quidquam in ijs, ſit reuelatum à prima veritate? nam iuxta Reformatorum principia, nullus extra ſcripturam exſtat in orbe infallibilis iudex, qui de prædictis dubijs ſententiam definitiuam ferat, vel dubitantibus ſatisfaciat, vel refractarios compeſcat; atque adeò Reformati relinquunt ſub dubio, & controuerſia, quam nunquam ex ſuis principijs poſſunt decidere, an habeant veram ſcripturam, integrum eius Canonem, emendatam verſionem, copiam originalibus conformem, aut quidquam tandem à Deo reuelatum.

§. III. Ex dictis nunc manifeſtè concludo, Reformatos exercere, manifeſtam tyrannidem, in mouendis controuerſijs, tam in ſupradictis punctis, quam in cæteris Chriſtianæ Religionis articulis, & ad negotium ſalutis æternæ ſpectantibus, in ea, inquam cauſa, in qua nullum, extra ſcripturam iudicem agnoſcunt, vt ſic e eorum principijs oſtendo. Quicumque ex profeſſo tenent ſe, & reliquos mortales carere omni ſuprema authoritate iudicandi in cauſa Religionis Chriſtianæ, & ſalutis æternę, & adhuc in praxi iuriſdictionem decidendi, in prædicta cauſa vſurpant, illi manifeſtam tyrannidem exercent; prætenti Reformati ex profeſſo tenent ſe, & reliquos mortales, carere omni ſuprema authoritate iudicandi in cauſa Religionis Chriſtianæ, & ſalutis æternæ, & adhuc tamen in praxi iuriſdictionem decidendi, in prædicta cauſa vſurpant: igitur prætenti Reformati manifeſtam exercent tyrannidem: maior per ſe eſt nota: hinc enim de Pharaone, & Nabuchodonoſor conquerebantur Hebræi, de Paganis, Gentilibus, & Hæreticis primitiua Eccleſia, de execranda Turcarum ſæuitia, Chriſtiani, eo quod exercuerint au-

thoritatem, in ea Religionis, & ſalutis cauſa, in qua nullam re-uera habuere: minor verò, quoad primam partem eſt aperta Reformatorum Confeſſio, vt ſupra vidimus, quoad ſecundam partem, patet ex ipſa eorum praxi, alto ſupercilio, pronuntiantium anathema huic, vel illi ſententiæ, largo pulmone blaterantium, in ſuis Confeſſionibus contra Eccleſiam Romanam, ſeueriſſimas edentium leges, contra non conformes deformi ſuæ Reformationi; Cum tamen Confeſſio Gallica art. 30. dicat *Nulla Eccleſia ſuper aliam Eccleſiam, poteſt prætendere dominationem.* vera igitur eſt conſequentia, quod Reformati, qui, ex ore proprio, carent omni prorſus authoritate in rebus fidei, manifeſtam exerceant tyrannidem, quod in his rebus, vllo modo velint, aut leges præſcribere, aut ſententias ferre, aut mortales ad ſuas Synag ogas compellere.

§. IV. Rurſus, illi manifeſtam exercent tyrannidem, qui turbant Eccleſiam Chriſti, & ſcindunt eius vnitatem in ea cauſa, quam profitentur, non poſſe vnquam decidi, vel definiri; prætenti Reformati turbant Eccleſiam Chriſti, ſcindunt illius vnitatem, in ea cauſa, quam profitentur, non poſſe vnquam decidi vel definiri, ergo prætenti Reformati manifeſtam exercent tyrannidem, maior patet: ſi enim poſset ea cauſa decidi, vtique id fieri poſset, per particulare cuiuſlibet ſcrutinium, per hoc autem non: nam ipſi Reformati, per hoc ſcrutinium, non poſsunt componere inteſtina ſua bella, aut diſſidia; liberum enim eſt hoc ſcrutinium omnibus Reformatis, Tremulis, Caluiniſtis, Puritanis, Proteſtantibus, Lutheranis, Presbiterianis, Anabaptiſtis, Soncinianis, Antitrinitarijs, Ariminianis, Independentibus, qui omnes allegant pro ſe, ſuum particulare ſcrutinium, & per illud, defendunt ſui capitis inuentiones; per illud idem ſeſe propugnabant, ſeſeque opponebant Eccleſiæ olim Ariani, Neſtoriani Eutychiani, & Reliquæ eiuſmodi peſtes vadant nunc Reformati, & conentur motos iſtos componere fluctus, excitatas ſedare lites, animoſas in ſe inuicem reconciliare partes; quamdiu, ſanè ſtat pro quolibet, & qualibet, ſcrutinij priuati libertas, aerem flagellaret, quiſquis hoc attentaret: minor verò eſt, tum ſententia Reformatorum tollentium omnem ſupremam authoritatem iudicandi, & totum Eccleſiæ tribunal deuoluentium in ſingulos ſingulaſque, & eorum particulare ſcrutinium, quo nunquam poſsunt decidi controuerſiæ, tum etiam praxis eorum, qua conſtat eos, non ceſsare a mouendis litibus, & al-

tercationibus, contra reliquos omnes Chriſtianos, ſine vllo medio, vel modo terminandi dictas altercationes, adeoque conſequentia eſt legitima.

§. V. Cum itaque Reformati quemlibet, & quamlibet per ſuum particulare ſcrutinium, conſtituant arbitrum omnium controuerſiarum, nullus iuxta hoc principium tenetur vllius hominis, vel hominum ſententiæ acquieſcere: nullus item homo, vel hominum cœtus poteſt quemquam ad ſententiam ſuam ſequendam adigere, citra manifeſtam tyrannidem. his tamen Reformatorum principijs non obſtantibus, Reformati ipſi decidunt, & proponunt omnes ſuos articulos controuerſos profitendos, ad eoſque mortales compellunt, quorum ne vnum quidem in Biblijs oſtendunt, & tamen clamant contra Epiſcopos, Paſtores, Concilia, & Eccleſiam, quod vellent quidquam determinare, vel ad definitiones ſuas quemquam obligare, cum nullum viuum aut ſupremum iudicem in cauſa Religionis Chriſtianæ admittant: vel igitur articuli fabricati, à Reformatis in ſuis Catechiſmis, Confeſſionibus, Liturgijs, ſynodis ſpectant ad Chriſtianam Religionem, ipſorum iudicio, vel non? ſi ſpeſpectant, manifeſtam exercent tyrannidem, ſi intendant per illos obligare, cum eos condere non potuerint, iuxta propria principia negantia, omnem obligandi authoritatem in terris, ſi non ſpectant: adhuc manifeſtam exercent tyrannidem, quod eos vocent articulos, vel confeſſiones fidei, qui de fide non ſunt. Rurſus in lite, quam mouent contra Romanam Eccleſiam, vel agnoſcunt aliquem vnum, & ſupremum iudicem in hoc mundo, vel non? ſi agnoſcunt, ſunt tyranni, & turbatores, quod eum negent in ſuis principijs, ſi non agnoſcunt, ſunt tyranni, & turbatores, quod litigent in cauſa, quæ ob defectum iudicis decidi non poteſt: ſed inquiunt, habemus miniſtros, & doctores contra ſit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Stante eadem Scrutinij priuati libertate, etiam ſecundum Reformationis principia, Miniſtri ſunt intolerabiles vſurpatores, quod vllo modo doceant, vel prædicent, debentq; ſecundum Reformatorum leges è Rebuspublicis, tanquam inutilia membra eijci.

§. I. ACerrimum intulere bellum, Eccleſiæ Præſulibus Reformati, quo ſic liberius ſuo ſchiſmati laxarent fræna licentiæ: quare quo maiore applauſu, iſtam rebellionem obtegerent, finxere nullum fuiſſe opus doctoribus, Paſtoribus, Concilijs, ad veritatem Chriſtianam intelligendam, inueſtigandam, vel acquirendam; & triplici medio vſi ſunt, ad hoc ſuum ſtratagema perficiendum, nempè nullam in hoc orbe exſtare authoritatem cui cæteri mortales, in cauſa fidei, inconſulta ſcriptura, tenerentur acquieſcere, omnes homines, in illa eadem cauſa, eſſe fallibiles, nulli proinde eſſe credendum, ſolam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis, hanc itaque ſe ſola ſufficere, hanc eſſe claram, & euidentem: ſuperfluere idcirco Doctorum, & interpretum munia in hoc Religionis negotio, in quo liberum, & licitum eſt, per Reformationis principia, cuilibet ſcrutari ſcripturas, & ex ijs omnium hominum doctrinas expendere, ac tandem quid ſit credendum determinare: de primo, & ſecundo Reformatorum medio, in ſuperioribus egi: hoc tertium de ſcripturæ ſufficientia, inculcant Confeſſiones Reformatæ. Anglica art. 6. Gallica art. 5. Belgica art. 7. Scotica art. 18. Heluetica poſterior item cap. 1. Baſileenſis art. 11. Argentinenſis cap. 1. Bohemica art. 1. Auguſtana in præfatione VVitembergica tit. de ſcripturis: ex quibus locis hoc habemus, quod ſi ſola ſcriptura ſufficiat, vtique iam ſuperfluunt omnes prædicantes, miniſtri, ſuperintendentes, doctores reformati, nam ſcripturam ſufficere, eſt hos ſuperfluere; hic inter malleum, & incudem video Miniſtros reformatos: aliud eis video parari malum, de ſcripturæ euidentia, & claritate, a Reformatis, in odium

Paſto-

Paſtorum, & Conciliorum Eccleſiæ, toties inculcata.

§. II. Audiamus ergo eos pro hac euidentia obſcuriſſimæ ſcripturæ clamantes. Iacobus itaq; Martini contra Valerianũ Magnum cap. 4. *Sacra Scriptura*, inquit, *ſatis clara, & perſpicua eſt*: hinc mox infra deducit, *cum, quod fidei articulos attinet, adeò clara, & perſpicua ſit* (ſcilicet Scriptura) *adhibita mediocri diligentia, & ſtudio externo, a quouis intelligi poſſit, ſiue intus a Spiritu Sancto, ſpiritualiter illuminetur, ſiue non &c.* adeò quippe ſecundum hunc euidens eſt ſcriptura, vt non ſit opus Dei gratia, vel Spiritus Sancti ſpeciali illuſtratione; multò minus, vtique erit opus vllo doctore reformato, vel Miniſtro, non magis, quam ad videndum ſolem in meridie: idem aſſerit Iacobus Maior, contra eundem Valer. ſect. 2. *ſcripturam*, inquit, *inſimulare obſcuritatis in ijs, vbi tractantur, quæ omnibus, & ſingulis hominibus, ſcitu, factuque ſummopere neceſſaria; nihil aliud eſt, quam Deum contumelia, ipſius Protbonotarios opprobrio, ſcripturam ignominia afficere*. Eſt ergo clara, & euidens ſcriptura, ſi vera dicit Maior, cui adſtipulatur Ioannes Botſacus, contra præfatum Valerianum part. 1. cap. 9. *Ità comparata eſt Sacra Scriptura, vt & huius ſenſum aſſequi poſſint Laici fideles, teſtante ipſa ſcriptura, quæ ſe vocat lucernam*. pſalm. 119. *ſplendentem in loco tenebricoſo 2. Petri* 1. Sequitur Anonymus, contra eundem Valerianum, cap. 3. *Neque enim tanta eſt vbique ſacrarum litterarum obſcuritas. quid? adeo clara quædam ſunt, vt à quouis audiente, vel legente protinus intelligantur*: & ibidem ait *rationem hominis ſanam, cuius ſufficere ad dijudicandum, tum ex nonnullis principijs, tum ex ſacris litteris, quæ ſunt neceſſaria* Conradus Bergius, contra Valer. ait, *ſolum Chriſtum eſſe caput, ſolam ſcripturam normam, & fundamentum fidei eſſe*: Ex Reformatione Anglicana Stillingfleet tract. de reductione fidei proteſtanticæ, principio 15. *Admiſſo quod hæ ſacræ litteræ, totam Dei voluntatem, tam planè reuelatam contineant, vt nullus ſobrius inquiſitor poſſit errare in neceſſarijs ad ſalutem, nulla poteſt ſupponi neceſſitas vllius infallibilis cœtus, vel ad atteſtandas, vel ad declarandas eaſdẽ ſacras litteras.* habemus fatentes reos, & inter illos Stillingfleet, cũ cõfœderatis miniſtellis reformatis, eſse fures, & latrones, qui nefariè docendi munus ſibi arrogant, vbi tamen ſentiunt nullum eſse opus vllo doctore, & pecus nihilominus deglubunt, præbendas, ac Eccleſiaſtica beneficia deglutiunt, cum interim fateantur ſe eſse telluris inutile pondus.

§. III. Nunc ergo ex dictis ita diſcurro: ſecundum Reformatos,

tos, ſcriptura in neceſſarijs ad ſalutem, eſt adeò clara, & euidens, vt nullo indigeat interprete: eſt tam adæquate ſufficiens, vt contineat clare & expreſsè omnia conducentia ad Dei cultum, & ſalutem animæ, hinc particulare cuiuſlibet hominis ſcripturæ ſcrutinium, eſt cuique norma, & regula credendi, per quam omnium hominum, & Conciliorum ſententias expendat: vnde infero in manifeſtiſſima conſequentia, ergo omnes Miniſtri, Doctores, Prædicantes, ſuperintendentes reformati ſunt temerarij vſurpatores, eo quod vllo prorſus modo docendi, declarandi, interpretandi munus in cauſa Religionis aſſumant, & ſalaria, ſtipendia, ac redditus pingues à Rebuspublicis, populis, & ſubditis exigant, vt probo: illi ſunt aperti vſurpatores, qui per impoſturas extorquent dignitates, & facultates, ac imperium in animas, ſibi arrogant, contra propriam ſuam Religionem, & profeſſionem; ſed prætenti Reformati, Miniſtri, doctores, ſuperintendentes, per impoſturas, extorquent dignitates, ac facultates, & imperium in animas contra propriam ſuam Religionem, & profeſſionem arrogant: ergo prætenti reformati Miniſtri, doctores, & ſuperintendentes ſunt aperti vſurpatores: Maior patet in Turcis, & alijs infidelibus, qui per impoſturas, facultates acquirunt, animaſque per mendacia, & fraudes ſuarum opinionum perdunt, in eaſque imperium exercent; minor conſtat ex dictis, & praxi Reformatorum, dicentium ſcripturas ſolas ſufficere, & tamen ipſi docendi munus, tam ſuperbo ſupercilio ſibi arrogant, vt in cauſa fidei condant leges, forment confeſſiones, addant ſeueriſſima mandata, torturas per igues, per cruces, per carceres, in recuſantes eis obedire.

§. IV. Rurſus vrgeo: ſi ſcriptura adeò eſt clara, & euidens vt nullo indigeat interprete, vt quid ergo prædicant, docent, vel interpretantur Miniſtri? ſi eſt tam clara, & conſpicua Bibliorum lux, vt quid ipſi interpretationis lumen addunt? nam nulla eſt apud Reformatos de luce dignoſcenda diſſentio, non ſunt diſcordiæ affirmantium, & negantium, lucem eſſe lucem, aſſerentium eſſe noctem, eſſe lignum vel lapidem: item ad dignoſcendam lucem nemo commentarios exarat, nemo inſtitutiones componit, Reformati tamen de ſenſu, & intelligentia ſcripturæ multa volumina conſcripſerunt, nam teſte Ioanne Brerlæo, lutherani, contra caluiniſtas paucis annis, pluſquam centum volumina, conſcripſerunt. Vice verſa Caluiniſtæ, contra Lutheranos, de ſenſu ſcripturæ, circiter quinquaginta quatuor: Reformati promiſcue

con-

contra ſe inuicem, pluſquam ducenta quinquaginta tria volumina compoſuere: ſi igitur ſcriptura eſt clara, & aperta oculis omnium, vt quid iſti inſanierunt ſcribendo in re clara, & euidenti? vel igitur ſincere putant ſe loqui Reformati, dum aiunt ſcripturas eſſe euidentes in neceſſarijs, vel tantum ficte? ſi ſincere putant ſe loqui, ſunt arrogantes vſurpatores, quod aſſumant authoritatem docendi homines, in re, vbi iudicant, nullum opus eſſe tali authoritate: ſi ficte loquuntur, ſunt impoſtores, quod ſub fallaci prætextu talis claritatis, abducant animas ab authoritate Eccleſiæ, ac Conciliorum, & Paſtorum, & ipſimet per ſummam nequitiam, eam authoritatem, quam dictis Concilijs, & Paſtoribus negant, ſibi ipſis vſurpant.

§. V. Rurſus vel omne quod eſt neceſſarium, in cauſa fidei, & ſalutis, habetur tam expreſſè, & euidenter in ſcriptura, vt quilibet, & quælibet per ſe ipſum, ſine alio adminiculo, illud ibi inueniat, vel non ita habetur? ſi habetur: ergo Miniſtri ſunt vſurpatores, quod prætextu Miniſteriatus ſui, tot prædia, & facultates in Rebuspublicis poſſideant, quod ipſum miniſteriatum ſupra alios in ea cauſa, in qua mortales, ſecundum eos, nullius ope indigent, aſſumant: ſi omne neceſſarium, non habeatur ibi expreſſe vel euidenter, rurſus Miniſtri ſunt fallaciſſimi ſeductores, quod tum fucato prætextu claritatis ſcripturæ, animas decipiant, & mactent: iterum ad hominem. Eſt clara, & euidens ſcriptura ſecundum Reformatos, omne neceſſarium ad ſalutem ibi habetur expreſſe, nulli hominum in negotio Religionis eſt credendum inconſulta ſcriptura, hæc ſola eſt ſufficiens, & regula totius veritatis, particulare cuiuſlibet ſcripturæ ſcrutinium eſt ipſi norma credendi, nulla eſt neceſſitas vllius infallibilis cœtus ad atteſtandas, & declarandas ſacras litteras: hæc ſunt axiomata reformata, vt ijs Reformati conuellerent Paſtorum Eccleſiæ authoritatem: ſed, ô numinis prouidentiam! malum, quod parabant Eccleſiæ, in caput ipſorum iuſtiſſima talionis vice redundat: ſi enim ſubſiſtant præfata axiomata, ergo iam Miniſtri, Prædicantes, doctores, ſuperintendentes omnes reformati, rurſus ſunt ſacrilegi vſurpatores, quod vllo modo doceant; ſunt fures, quod beneficia, & redditus poſſideant, intuitu ſui Miniſterij; ſunt inutilia terræ pondera; ergo ablegandi ſunt ex Rebuſpublicis, abolendæ omnes eorum Academiæ.

§. VI. Item auferenda ſunt ab ipſis omnia bona, quæ ob dictum miniſterium poſſident, ſunt præterea tineæ, & ærugines

loco-

locorum, Ciuitatum, pagorum, & oppidorum, vbi ſunt, docent, vel prædicant, comedentes ſubſtantias, & facultates Reipublicæ, ac populorum, in cauſa, in qua ſunt ſuperflui, ſecundum propria eorum principia; ſunt otioſi, & inutiles, & tanquam tales, debent à Principibus reformatis, e ſuis terris, & locis expelli, iuxta leges Anglicanas tit. de vagabundis, apud Ferdinandum Pulto, quæ decernunt, vt otioſi omnes ſeuere puniantur, & expellantur confuſibiliter è locis, Caſtris, oppidis, Ciuitatibus, tanquam vtique pernicioſæ Reipublicæ peſtes; nam ſcripturam ſolam ſufficere, vt volunt Reformati, eſt ſuperfluere omnes Miniſtros, doctores, ſuperintendentes reformatos, hos ſuperfluere, eſt eſſe otioſos, & inutiles Reipubliæ; vt tales, iuxta præfatas leges, debent è locis omnibus expelli, quæ enim vel docent, prędicantque omnes iſti, vel ſunt in ſcriptura clarè, & euidenter, vel non ſunt? ſi ſunt, vt quid iſti docent, cum quilibet, & quælibet ſecundum eos poſſit illa per ſuum particulare ſcrutinium acquirere: ſi non ſunt, vt quid iterum illa docent, cum ſecundum eoſdem Reformatos, quidquid non eſt in ſcriptura clare, & expreſſe, non ſit neceſſarium: non ſunt ergo neceſſarij vllo modo Miniſtri, vel ſuperintendentes, ſunt igitur tineæ, imò & fures, quod facultates deglutiant, intuitu operis ſuperflui; expellendi igitur ſunt, & priuandi ſuis miniſterijs, & dictis facultatibus.

SECTIO TERTIA.

Quā fidem mereantur Doctores, & Miniſtri reformati

Si cæcus cæco ducatum præbeat, inquit Chriſtus, *nonne ambo in foueam cadunt*? ſi Doctores Reformati ſe fateantur cæcos, ſupereſt ſane, eos ſeducere in foueam infœlicitatis æternæ, ſuos ſequaces.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex modo, quo Reformati explicant ſuam fallibilem authoritatem, coniunctam cum ſcriptura infallibili, ſequitur non magis eis credendum, in negotio fidei, quam Iudæis, Arianis, vel ipſius Sathanæ ſuggeſtionibus.

§. I. HIc præmittendum, quod Reformati totam certitudinem, & infallibilitatem in cauſa fidei, refundant in

ſolam

ſolam ſcripturam, vbi aduertendum, quod licet ſacri codices ſint certiſſimi, vtpote à Deo dictati, vt in eis nullus prorſus error, quatenus à Deo ſunt reuelati, admittatur, nec etiam in rebus, vllus error ineſt, nam Dei attributa, animarum immortalitas, fructuum, herbarum, lapidum, elementorum naturæ, proprietates in ſe ſunt certiſſimæ, & veriſſimæ: quia tamen non ita infallibilis, aut indefectibilis eſt intellectus acies, vel indago, error, qui non prouenit ex rebus, prouenit ex humana ratione indagante, & examinante: quot hodie extant volumina? quot libri olim exarati de naturis rerum, de aſtris, Cœlis, aquis, ac reliquis elementis, de piſcibus, herbis, arboribus, de corporum conſtitutione, & complexione, morborum cauſa, ac cura, & cæteris rebus? pauciſſimas tamen adhuc demonſtrationes acquiſiuimus, & vix aliud in Philoſophia, ac alijs facultatibus habemus, præter meras, & incertas opiniones, quamquam rebus ipſis nulla inſit falſitas, nulla inhæreat incertitudo: quare vti certum eſt ad conſtantiam, & indefectibilitatem dogmatum ſalutis æternæ, neceſſarium eſſe, vt res Religionis verbo Dei, & reuelatione diuina conſtent: ita ſimiliter negari non poteſt, quin error, qui non eſt in libro, facile poſſit oriri ex humano iudicio, & examine, vt patet manifeſtè in Iudæis, habentibus ſcripturæ litteram, & in litteræ ſcrutinio, ac diſcuſſione miſerrime errantibus, patet in omnibus hæreticis, qui non niſi per prauum veriſſimæ, ac in ſe certiſſimæ ſcripturæ intellectum, tot errorum monſtra, ſingulis ſucceſſiue ſæculis, à morte Chriſti pepererunt: atque adeo poteſt naſci error, falſitas, & incertitudo de rebus; ac ſacris litteris in ſe veriſſimis, ex prauitate, & mala diſpoſitione intellectus, ac humanæ rationis imbecillitate.

§. II. Quare ad euitandum errorem, oportet duplicem adeſſe infallibilitatem, ſcilicet, examinantis, & rei examinatæ, intelligentis, & rei intellectæ, & conſequenter ad euitandam deceptionem, & inconſtantiam doctrinæ Religionis non ſufficit ſcripturarum in ſe certiſsima veritas, & integritas: ſi enim pendeat illa doctrina tantum à fallibili examine, tam periclitabitur eius veritas, quam periclitata eſt olim in examine rerum, in ſe alioquin certarum, vt patet in tot gentilium Philoſophorum delirijs; nolunt tamen Reformati admittere vllam abſolutam infallibilitatem in examine, expoſitione, vel propoſitione doctrinæ ſacræ: ſed omnem eiuſmodi diſcuſsionem, & propoſitionem, ac interpretationem eſſe abſolutè fallibilem, deceptioni, & dia-

bolicæ illuſioni obnoxiam, & totam authoritatem in negotio Religionis docendæ eſſe impoſturis ſubiectam.

§. III. Adduntтamen quandam limitationem, quam, vt è multis paucos audiamus, affert Ioannes Maior, contra Valerianum Magnum: *omnes*, inquit, *Christiani poſſunt errare quatenus verbum Dei, quod extat in ſacris litteris, non ſatis attendunt, & obſeruant: nulli Chriſtiani poſſunt errare in fide, quouſque ſentiunt, & loquuntur in verbo Dei, omnia concilia poſſunt errare in fide quotieſcumque recedunt in ſuis decretis à verbo Dei ſcripto, non poſſunt autem errare, quando præfata decreta depromunt ex tabulis ſacrarum litterarum*: ſecundum huncReformatum, nemo errat dum attendit ad verbum ſcriptum, errat autem ſi non attendit, poteſt verò non attendere, atque adeò poteſt errare, vnde eadem ſectione negat authoritatem infallibilem Concilijs, *cùm clarè*, inquit, *probetur non ſolum ea poſſe errare, ſed erraſſe ſæpius*: poſſunt igitur eæ conditiones deeſſe Synodis, Doctoribus, Miniſtris reformatis, atque adeò ij omnes poſſunt errare, etiamſi voluant, legantque verbum Dei ſcriptum: & ibidem, vt oſtendat quomodo habeatur certitudo fidei, ait, *eam haberi per aſſiſtentiam Spiritus Sancti, per diligentem Sacræ ſcripturæ meditationem, per dictorum parallelorum collationem, per analogiæ, quæ eſt in fide obſeruationem, ac in praxi fidelem applicationem*, & infra dicit, *hanc certitudinem gigni in mente legentis, ſeu audientis per ipſam litteram ſacri textus*. ſubiungit ſect. 3. cap. 1. hoc notabile: *neque diuerſæ*, inquit, *& diſtinctæ ſunt actiones Spiritus Sancti, ab actionibus verbi, ita vt peculiari actu illuminet, & doceat Spiritus Sanctus, peculiari, verbum: ſed vtriuſqu vna, eademque eſt actio, inſtructio, & condocefactio; illius, vt cauſa principalis, huius, vt minus principialis & organicæ*: & paulo ſuperius ait, *hanc internam illuminationem productam in mente, eſſe ſimul tempore, cum perceptione ſenſus verbi*: verbum ergo lectum, vel auditum producit mirabiles quoſdam motus, & ſuſurros in mentibus Reformatorum legentium, vel audientium verbum Dei ſcriptum, ſicut ignis producit calorem in ſubiecto ſibi applicato. mira vis creatiua litteræ lectæ, vel auditæ, vt ex ore reformatorum, addamus, & Rabbinorum, ac Iudæorum, hæreticorum omnium prolata, producat, & creet neſcio quod lumen, quas viſiones in mentibus auditorum! admirabilis facultas conceſſa Reformatis! quidni, & Rabbinis, ac Iudæis, vt ad nutum ſuum creent illa, quæ totius conditæ creaturæ vires excedunt?

§. IV. Sequitur Iacobus Martini in vindicijs Eccleſiæ Lutheranæ

ranæ pag. 127. vbi hanc propoſitionem Reformatorum, *omnes Chriſtiani poſſunt errare in fide*, explicans, *Concedimus*, inquit. *interim non eſt propterea neceſſe, vt actu errent: nam à poſſe ad eſſe, non valet conſequentia, & , vt ſinguli Chriſtiani poſſunt errare, ſic quoque ſinguli Chriſtiani poſſunt non errare, nempe quando non ſuas cogitationes, vel aliorum deliria, ſed tantum Spiritum in ſcriptura loquentem audiunt, & ſequuntur*: poſſunt ergo Reformati ſequi ſuas cogitationes, & aliorum forte miniſtrorum ſuorum deliria ſequi potius quam Spiritum Sanctum, ſic loquentem. & pag. 128. inquit, *Diſtinguo inter Concilia vera, & à Papa Romano coacta, & congregata, illa quoad attinet, repetimus noſtram reſponſionem, poſſe, ſiue poſſibile eſſe, omnes errare, non autem eſt propterea de abſoluta neceſſitate, vt omnes errent, ideoque poſſibile quoque eſt omnes non errare*: & pag. 130. ait, errorem poſſe contingere, quando media ad intelligendum verbum ſcriptum, non fuerunt adhibita, nempe ardens oratio, diligens, accurata, & pia meditatio, linguarum, & artium humaniorum vera cognitio, aſſidua ſacrarum litterarum lectio multoties repetita, exacta illarum collatio; ſubſcribunt huic ſententiæ Ioannes Botſacus in Antiualeriano pag. 292. *Errare*, inquit; *poſſunt Miniſtri quotquot non ingrediuntur, iuxta Canonem verbi, ſi verò hunc Canonem attendunt, minime errant*: ſed vnde conſtabit quod hunc Canonem attendant, ſi nulla detur infallibilis authoritas, quæ diſcernat in eo caſu falſum à vero: idipſum quod ſupradicti authores tenent, admittunt omnes confeſsiones reformatæ, aſsignantes ſolam ſcripturam pro regula; hinc Doctor Stillingfleet principio 29. *nullus Chriſtianus*, inquit, *poteſt obligari ſub prætextu infallibilitatis, ad credendum quidquam in materia fidei, niſi quod eſt reuelatum ab ipſo Deo, in ſcriptura, in qua credit contineri Dei placita* &c. nihil igitur de ipſa reformatione, eſt credendum, ſecundum hanc regulam, quandoquidem, vt intuenti patet, nullus articulus controuerſus Religionis reformatę inueniatur in ſcripturis reuelatus. ſequitur Doctor Tillotſon, in ſuo opere, contra Ioannem Sargentium, ſtrenuum hæreticorum ſui æui, & patrij ſoli Antigoniſtam: in hoc opere conatur ille probare, nullam dari infallibilitatem in rebus fidei, imò vt refert idem Sargentius, præfatus Tillotſon, ait, nullam dari infallibilem certitudinem de exiſtentia ſacri Codicis, & ne plures repetam, ita communiter tenent reformati, reijcientes omnem prorſus infallibilitatem, præter eam, quam dicunt inhærere cortici Bibliorum.

§. V. Volunt itaque Reformati, vt ex parte intellectus nulla

detur infallibilis certitudo de re intellecta, licet ex parte ipſius rei intellectæ in ſe, detur certitudo, vnde nolunt vt nobis infallibiliter conſtet, rem ita eſse, prout ipſi eam proponunt, ſed tantum ſufficere, quod conſtet ita eſse probabiliter, hoc eſt, quod Chriſtiani non debeant de myſterijs ſibi propoſitis, habere fidem infallibilem, cui nequeat ſubeſse falſum, ſed tantum meram opinionem cui poteſt ſubeſſe falſum; & cum Reformati, ſcilicet, credunt res ſibi à ſuis Miniſtris propoſitas, eſſe forte veras; reuera tamen forte ſunt falſiſſimæ, adhuc tamen audacter prædicant, proponuntque Reformationis articulos Miniſtri; licet meritò ſint incerti, an exponant veritatem, an potius mendaciſſimam impoſturam; quare quia ſic poſſunt errare Reformati, vt tamen poſſint non errare, & ſi placet Dominis Reformatis, addamus hanc modificationem, nempè Reformatos ſic poſſe errare, vt reuera forte turpiſſimè etiam de facto errent, vſque ad perniciem ſuarum animarum: quando igitur Reformati exponunt ſacram ſcripturam, in locis controuerſis v. g. illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus* contra Soncinianos, & Seruetianos, illud aliud contra Catholicos, *hoc eſt corpus meum*, vel vetus teſtamentum de aduentu Meſſiæ contra Iudæos, vel primum articulum ſymboli contra Manichæos, in quibus omnibus lis eſt de vero, & genuino verborum ſenſu, aliud iuxta propria principia, vel ſibi, vel ſuis auditoribus, ac ſequacibus perſuadere non poſſunt, quam quod opinentur ſanè ſe proponere verum ſenſum, licet neſciant certò an verum, an potius ſpurium ſenſum proponant, hoc ſolo ipſis remanente miſero ſolatio, quod in eo ſenſu, ſic poſſint errare, aut poſſint non errare, forte tamen de facto errant damnabiliter; vnde ſic: Reformati non habent maiorem certitudinem de exiſtentia, aut veritate myſteriorum fidei, quam habet is, qui Pariſijs exiſtens opinabiliter diceret, Turcam Conſtantinopoli ſedere in meridie: nam is ita dicens, ſic poteſt errare, vt forte erret!

§. VI. Tota ergo Reformatorum certitudo poteſt eſse coniuncta, cum ſplendidiſſimo mendacio, & huc tandem reducitur, quod quidem ſic opinentur, vt putent: an igitur quidquam de tota reformatione ſit neceſsarium ad ſalutem, ſic ſecundum Reformatos forte eſt verum, vt forte ſit falſum, cum in ea re poſſint Reformati ſic errare, vt poſſint non errare, ita tamen, vt neſciant, an quod tenent, vel credunt circa ſuæ Reformationis articulos, ſit à Deo, an à Diabolo, adeo, vt non ſint certiores de præfata ſua Reformatione, quam ſunt Iudæi hodie, vel Turcæ de ſuis dictis,

ctis, hi enim quod dicunt, & docent, putant eſse verum, licet non ſint certi, an non ſit falſum; atque adeo tantam merentur fidem Iudæi & Turcæ, in cauſa Religionis, quam merentur Reformati, vt ſic oſtendo ex dictis: nam quidquid docent vel proponunt Reformati, in negotio fidei, ſecundum propria eorum principia, eſt mera opinio, putantium res ita eſse, neſcientium tamen an ſint veræ: ſed quod docent, vel proponunt Iudæi, vel Turcæ, ſimiliter eſt mera opinio putantium rem ita eſse, neſcientium tamen an ita ſit; vnde infero quod dicta Turcarum, vel Iudæorum in cauſa Religionis, tantum mereantur fidem, quantam merentur dicta Reformatorum: patet hoc; nam ipſi reformati non aliter definiunt ſuam fidem, quam definitur opinio merè humana, quæ poteſt eſse falſa, & erronea, ſic autem ſe habent ſententiæ Turcarum, & Iudæorum, vnde non minus opinantur illi, quam reformati, ergo tam horum, quam illorum ſententia, eſt mera opinio, ergo tantumdem fidei merentur in dictis quoad Religionem Iudæi, & Turcæ, quam Reformati.

§. VII. Quod rurſus oſtendo: nam ſi Reformatio ex proprijs principijs, & Confeſſione ipſorum Reformatorum eſt mera opinio humana, etiam Turciſmus, & Iudaiſmus, eſt tantum mera opinio humanæ imaginationis vtique: & ſi putent Reformati, licet poſſint falli, ſe tamen poſse non falli, putant ſimiliter id ipſum Turcæ, & Iudæi ſe quidem poſse non falli; ergo reformata Religio, non minus, quam Turciſmus, & Iudaiſmus manebit ſolummodo intra latitudinem opinionis, ſeu imaginationis humanæ: nunc ſic: atqui ex ſententijs, quæ prætenduntur eſse ſolummodo meræ opiniones, alteram eligere eſt liberum, & parem fidem meretur tam vna, quam altera, vna æque ac altera confert libertatem aſsentiendi alteri oppoſitæ: ergo cum prætenta Reformatio, ex proprijs principijs, ſit tantum mera opinio, ſeu imaginatio humana, non maiorem meretur fidem, quam Turciſmus, vel Iudaiſmus, ergo eadem Reformatio ſecundum Reformatos non eſt eligibilior, quam Turciſmus, vel Iudaiſmus: ergo nec plus credendum ipſis Reformatis, in negotio Religionis, quã Turcis, & Iudæis; nec obſtat, quod legant Reformati ſcripturas, *quod orent deuotè Spiritum Sanctum, quod adhibeant artium, & linguarum peritiam, diligentem meditationem ſacri codicis, exactam illius Collationem per textus parallelos*: nam adhuc his omnibus non obſtantibus, poſsunt Reformati errare: quia poteſt contingere, quod præfata illa non vti decuit, adhibuerint, vt conſtat ex dictis ipſorum ſupra citatis.

§. VIII. De-

§. VIII. Deinde Iudæi, Manichæi, Ariani dicent se hæc omnia exacte adhibere; legunt scripturas, easque ad inuicem conferunt, adhuc tamen errant, & ipſi Reformati iam supra fatentur his omnibus adhibitis, fidei tamen ipsorum poſse subeſse falsũ, cum ſit tantum humana opinio; ergo etiam his omnibus adhibitis adhuc non habent maiorem certitudinem de sua sententia, quam habent Turcæ, Iudæi, Manichæi, Ariani; nec obſtat item quod dicant creari in mentibus Reformatorum, per actionem verbi, indiſtinctam, inquiunt, ab actione Spiritus Sancti, nescio quos motus, quas exſtases, quos internos susurros: nam ſi verbum scriptum, lectum, vel auditum id habet ex se, habebit idem in Iudæis, Manichæis, Arianis, & ſiuè proferatur à Reformato, ſiuè à Turca, ſiuè à Iudæo, ſiuè ab Ariano, vel Manichæo, id etiam habebit ex se, ſicut ignis à quocumque applicetur materiæ, comburet. deindè æquat iſta euasio Iudaismum, Manichæismum, Arianismum, Chriſtianæ Religioni, nam petenti ab ipsis, intelliguntne sacras litteras? omninò respondebunt. vnde habetis iſtum sensum? ex actione verbi indiſtincta ab actione Spiritus Sancti. quis facit vos certos, quod illud verbum sit reuelatum? actio quam producit in nobis, ipsum verbum; sed quis facit vos certos de illa actione? verbum lectum, vel auditum. en circulum! vadant Reformati iam, & conuincant si poſsunt Iudæos, Manichæos, Arianos, Soncinianos: tandem hæc actio, vel condocefactio eſt mera opinio secundum principia Reformatorum, nec certior, quam sententia Iudæorum, vel Arianorum; ergo à primo ad vltimum, iuxta eadem principia, non plus credendum reformatis, in negotio Religionis, quam Iudæis, vel Arianis, aut Manichæis.

§. IX. Imò quam ipſius Diaboli ſuggeſtionibus, nam ſi quam prætendunt pro ſuis dictis certitudinem reformati, alia non eſt, quam quod producant ſcripturam certam, in qua tamen ne vnum quidem articulum proprium ſuæ reformationis oſtendunt, & eandem ſcripturam non niſi incertè, & opinabiliter expoſitam proferunt; ſed etiam ipſe Diabolus pro ſuis dictis allegauit ſubinde ſcripturam, vt conſtat Math. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* citans pro ſua diabolica impoſtura ſcripturas dicens, *Scriptum eſt enim quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: certè iam ſtantibus reformatorum principijs, non plus nec minus crederet quis diabolicæ eiuſmodi ſuggeſtioni, quam ipſorum reformatorum dictis in cauſa

reli-

religionis, nam ſi putant omnia ſibi ſalua, modo citent pro ſuis dictis ſcripturas, verè, vel falsò, certò, vel opinabiliter intellectas, eas pro ſe citauit Dæmon, ſi ſufficit ſcriptura certa & infallibilis cum incerta erronea, & fallibili ſententia coniuncta, etiam Diabolus citauit ſimul cum ſua fallaci, & erronea ſententia, ſcripturas certas, & infallibiles; etſi reformati fallibiliter, ac opinabiliter tantum, ex ſcriptura certa, proponunt ſuam ſententiam, nihil habent ſingulare in hoc genere, ſupra Diabolum fallaciter proponentem, ſuam ſimiliter ſententiam ex ſcriptura: nam nihil adhibitum à reformatis pro intelligenda ſcriptura, ſiue ſit oratio, ſiue lectio, ſiue meditatio, ſiue collatio textuum, quod non ſit obnoxium errori, deceptioni, ac diabolicæ illuſioni, vt de Concilijs, Doctoribus, tota denique Ecclesia docent, vt vidimus, vndè benè reponit D. Hieronymus *Non ſibi blandiantur, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cum & diabolus aliqua de ſcripturis ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo.* Igitur si ſufficiat ſcripturas in ſe certas incerte, & opinabiliter allegare, & exponere, vt volunt reformati, non merentur maiorem fidem in hoc negotio, quam Diabolus, nec minus periculosè in negotio Religionis creditur Diabolo, quam reformatis; huc ſcilicet peruenit reformatio, vt ex firmitate, & certitudine fidei Chriſtianæ, corruerit in abyſſum diabolicæ illusionis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex eiſdem reformationis principijs, tenentur reformati, ſi damnationem vitare cupiunt, veritatem Chriſtianam inquirere, & in tali inquiſitione, ſuis Miniſtris nullo modo fidere.

§. I. LOquor de Chriſtianis, quibuſcum hic etiam ſuppono, eoſdem teneri, ad præcepta, & articulos Chriſtianæ Religionis, atque adeò, eoſdem obligari ad horum omnium notitiam, cum nec voluntas ferri poſſit in incognitum, nec intellectus aſſentiri poſſit, nisi obiecto ipsi proposito, & ab ipſo percepto: quare cum Chriſtiani teneantur, procurare ſalutem ſuam æternam, tenentur ſimiliter notitiam mediorum, sine quibus

ipſa ſalus nec procurari, nec acquiri poteſt, callere: hanc autem notitiam ex ſola ſcriptura per ſingulos, ſingulaſque hauriendam eſſe aſſerunt reformati, ſtatuentes hoc generale principium, nempe omnium hominum ſententias, in cauſa fidei expendi debere per quemlibet,& quamlibet ex ſacris litteris: nulli proinde mortalium in hac ipſa cauſa inconſulta ſcriptura credendum eſſe.

§. II. Ex duplici iſto reformationis principio, oſtendo reformatos, si ſaluari velint, vti tenentur, notitiam ſalutis acquirere, ita in ea acquiſitione nullo modo debere ſuis Miniſtris fidere: vnde ſic diſcurro. Omnes Chriſtiani, qui ad ſalutem æternam aſpirant, debent veritatem Chriſtianæ Religionis, quoad præcepta, & articulos neceſſariò credendos callere: ergo omnes Chriſtiani, qui ad ſalutem aſpirant, si hanc veritatem ignorant, debent eam inquirere: antecedens patet; nam voluntas non poteſt elicere actus circa præcepta obſeruanda, niſi præcedat in intellectu cognitio eorundem præceptorum: ergo vt poſſint Chriſtiani tales actus producere, & exercere, debent callere notitiam obiecti, circa quod exercendus eſt actus; ergo si eam non calleant, tenentur illam indagare, vt poſſint eius præcepta obſeruare, & articulos credere. ſubsumo iam ex principijs reformationis: nullus Chriſtianus vlli hominum credere debet in cauſa fidei, ſecundum reformatos, niſi ipſe ex ſcriptura iudicet propoſitam doctrinam de fide, depromi ex ſacro textu, vel cum illo concordare: ergo iuxta hoc ipſum reformationis principium, nullus reformatus Miniſter, Doctor, Prædicator, ſuperintendens eam habet docendi authoritatem, cui alij Chriſtiani in materia fidei, teneantur credere: antecedens eſt reformatorum, & conſequentia eſt clara.

§. III. Rurſus ſic. nulli Chriſtiano in materia fidei credendum eſt, inconſulta ſcriptura, ſecundum Reformatos, ergo nulli Miniſtro, Prædicanti, vel Doctori Reformato, in eadem materia credendum eſt inconſulta præfata ſcriptura: probatur conſequentia, nam quidquid vniuerſaliter negatur de aliquo ſuperiori, negatur etiam de quocumque contento ſub ipſo, ſed de tota collectione Chriſtianorum, negant prætenti Reformati, omnem authoritatem, cui quis in materia fidei deberet inconſulta ſcriptura credere: ergo ſimiliter ea negari debet de omnibus Miniſtris, & Prædicantibus reformatis ſimul,& ſeorſim ſumptis: cum igitur omnes Chriſtiani, qui ad ſalutem æternam aſpirant, teneantur notitiam Chriſtianæ Religionis in ijs, quæ neceſsariò credenda,

& obſeruanda ſunt, callere, & niſi eam ſciant, debent eam inquirere, & Reformati prætendant ſe eſse Chriſtianos, aç aſpirare ad eandem ſalutem, adeoque teneantur ſimiliter ad talem notitiam, vel eius inquiſitionem: nullo modo debent in eadem inquiſitione facienda acquieſcere, vel fidere ſuis Miniſtris, vel Doctoribus. ratio iam data eſt ſupra, ex principijs Reformationis, nempè nulli mortalium credendum eſse in materia fidei: ſed quemlibet debere per ſe ipſum ſcrutari veritatem, ergo Reformati nullo modo debent, in tanto negotio inniti dicto ſuorum Miniſtrorum, cum ex ſuis principijs, nulli debeant credere: ergo præfata inquiſitio fieri debet nullo habito reſpectu, vel recurſu ad Miniſtros, quibus nulla fides ex principijs Reformationis debetur.

§. IV. Quod vlterius patet ex altero Reformationis principio, ſtatuente Miniſtros reformatos fallibiles in medijs ſalutis æternæ inquirendis: nemo debet fidere Doctoribus ex ore proprio fallibilibus, & erroneis, Miniſtri autem reformati ex proprio ore ſunt Doctores fallibiles; ergo in inquirendis ſalutis æternæ medijs, nemo debet illis fidere: maior probatur nam inueſtigatio mediorum ſalutis, eſt grauiſſimum totius humanæ vitæ negotium, cum a recta vel mala iſtorum mediorum notitia dependeat mors, vel vita: ergo nemo in tali indagine inſtituenda, vel facienda, debet fidere hominibus ex profeſso fallibilibus, & erroneis, ſicut ſimiliter in eiuſmodi negotio, non debet fidere Turcis, vel Hebræis: quandoquidem ſint Doctores fallibiles, ſeducti, & ſeductores: item ideò Reformati vnanimi ore, ſed per ſummam calumniam, & impoſturam, negant credendum eſse abſolutè Concilijs, Paſtoribus Eccleſiæ, niſi adhibito prius priuato cuiuſlibet ſcrutinio; quia criminantur, quamuis falsò, præfata Concilia eſse deceptioni obnoxia, & Paſtores eſse fallibiles; ſed hæc vniuerſalis propoſitio, de fallibilitate aſſicta prædictis, complectitur etiam Miniſtros, vel Doctores reformatos, ergo Si Reformati negant credendum Concilijs ex hoc capite, non debet ſimiliter credi Miniſtris, vel Doctoribus reformatis: nec obſtat, quod Miniſtri ſoleant crepare, & blaterare textus ſcripturæ: nam eos crepant, & blaterant Iudæi, Manichæi, Ariani Sonciniani, Tremuli, ergo ex hoc capite præcisè, quod inflatis buccis intonent ſcripturas, in cauſa tamen ſalutis, non debet quis eis credere, pluſquam Iudæis, Manichæis, Soncinianis, imò quam ipſi Diabolo ſcripturas pro ſuis impoſturis alleganti.

§. V. Quod probatur vltimò ex alio Reformationis principio, nempe omnium hominum doctrinam, particulari cuiuſque ſcrutinio, & examini ſubijciendum eſse, priuſquam eam vel amplectatur vel reſpuat, vt habet Confeſſio Anglica art. 6. & 21. Scotica art. 18. Heluetica prior, & poſterior cap. 2. VVittenbergica tit. de ſcripturis, & tit. de Concilijs. Confeſſio Auguſtana tit. de poteſtate Eccleſiaſtica, Confeſſio Gallica æquiualenter art. 5. & 33. Lutherus in aſsertionibus, Melanchton in locis communibus, Brentius in prolegomenis, Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 9. & in illum locum Matth. *Attendite vobis à Pſeudoprophetis*; & eſt communiſſima praxis ipſius Reformationis concedentis, Biblia vulgaria omnibus promiſcuè mulierculis, cerdonibus, piſtoribus, lanionibus, pueris, ruſticis, & reliquæ plebi; hic hæret populus reformatus, inter duo præcepta, vnum Chriſti, quo obligatur Doctrinam Chriſtianam callere, & vtique vt calleat, eam debet inueſtigare; alterum Reformationis, quo iubetur omnem doctrinam examinare, & diſcutere: nunc ſic: in negotio Religionis Chriſtianæ, & doctrina ſalutis quærenda, nemo debet fidere Miniſtris, non debet enim fundare ſuam ſalutem in ea doctrina, quam debet ipſe diſcutere; an vera ſit, an falsa; tenetur autem ſecundum reformationis principia, omnium hominum ſententias, in cauſa fidei expendere, & conſequenter ſententiam Miniſtrorum: ergo populus reformatus, non debet fundare ſuam ſalutem in doctrina ſuorum Miniſtrorum.

§. VI. Concludo itaque ſic: populus reformatus tenetur doctrinam Chriſtianæ Religionis inquirere, & ſcire, & aliundè ſecundum reformationis principia, debet ſuorum Miniſtrorum dogmata examinare, vt iudicet an ſint vera, vel falſa: ergo ſi idem populus non vult damnari, non poteſt fundare ſuam fidem vllo modo in dicto ſuorum Miniſtrorum. patet hoc, non poſsunt reformati qui cupiunt ſaluari, ſuam fidem fundare in eo dicto, de quo dubitare tenentur, an ſit verum vel falsum: ſed prædicti reformati, iuxta propria principia, tenentur dubitare de dicto ſuorum Miniſtrorum; ergo reformati, qui ſaluari cupiunt, non poſsunt fundare ſuam fidem in dicto ſuorum Miniſtrorum. probatur, illi tenentur dubitare de veritate illius dicti, quod tenentur examinare, an verum ſit, vel falsum, ſed ex dictis reformati tenentur examinare dicta ſuorum Miniſtrorum, an ſint vera vel falſa: ergo & dubitare tenentur de eorundem dictorum veritate. rurſus, qui tenentur dubitare de veritate ſententiæ ſuorum

Docto-

Doctorum, non poſſunt tutò committere, curam ſuæ ſalutis talibus Doctoribus; ſed ſecundum principia reformationis, tenentur reformati dubitare de veritate ſententiæ ſuorum Doctorum; ergo non poſſunt tutò committere curam ſuæ ſalutis talibus Doctoribus: ergo à primo ad vltimum, cum reformati teneantur doctrinam ſalutis inquirere, & ſcire, in illa inquiſitione, non debent fundare ſuam fidem in ſententia ſuorum Miniſtrorum, ſed aliam viam inire debent, de qua in ſecunda parte; cum vt patet ex dictis hæc via, non ſit nuda ſcriptura, non ſcrutinium priuatum, non Miniſtrorum dictum, cum cæci ſint, & duces cœcorum, ducentes in foueam infælicitatis æternæ, fugiendi proindè vnde ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Populus reformatus tenetur cauere à ſuis Miniſtris, tanquam ab illis, qui ſecundum expreſſa Reformationis principia ſunt manifeſti animarum ſeductores, & latrones.

§. I. SÆpius in præcedentibus notaui, quam præcipiti vertigine ſua in ſe vertant molimina reformati, quam iuſto Dei iudicio incidant in foueam, quam Romanæ Eccleſiæ crediderunt ſe feciſse, & ſicut in eam velut iniqui inſurrexere teſtes, ita, in falſo eorum teſtimonio, mentita eſt iniquitas ſibi, vt dolor, quem infligere parabant eidem Eccleſiæ, conuertatur in caput eorum, & in verticem ipſorum, iniquitas eorum deſcendat; putarunt enim ſuum ſchiſma ſufficienti colore ſe obducturos, ſi poſſent totius Eccleſiæ hierarchiam penitus ſubuertere, ad quam iniquam machinam ſuſtinendam, quatuor ſuperius recenſita ſtabilinere principia, nempè ſolam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis; eandem ſcripturam eſſe ita claram, & euidentem, vt quilibet, & quælibet poſſet indè doctrinam ſalutis haurire; abſque alio interprete, vel doctore: eandem proindè ſcripturam in idiomata vulgaria tranſtulerunt reformati, vt ſinguli, & ſingulæ eam ſcrutarentur, & euoluerent: ex his duobis principijs intulere, nullum eſſe opus Epiſcopis, Paſtoribus, Concilijs, pro rebus fidei explicandis, decidendis, vel docendis, ſtatue-

 tunt,

runt, proindè tertio nullam prorſus dari docendi iuriſdictionem, vel authoritatem, cui cæteri mortales, inconſulta ſcriptura, tenerentur in materia Religionis credere; quarto denique magnis clamoribus aſſeruerunt omnes Paſtores, Doctores, & Concilia in negotio fidei poſſe errare, & erraſſe ſæpius; hinc quo iugum Paſtorum Eccleſiæ excuterent, vetuſtiſſima omnium hæreticorum arte, conuitia, execrationes, dicteria, in Antiſtites, Doctores, & Paſtores Eccleſiæ, ſcriptis, dictis, & factis effuderunt, quæ in ipſoſmet iuſtiſſima talionis vice retunduntur.

§. II. Vnde ſic inſto, ideo primi reformati aſſeruerunt ſcripturam eſſe ſufficientem, vtpotè ſecundum eos clare, & euidenter continentem omnia credibilia, ita vt ſinguli, & ſingulæ per ſe ipſos, doctrinam ſalutis inde haurirent, vt ſcilicet hoc ſtratagemate Paſtoribus Eccleſiæ authoritatem, ac iuriſdictionem adimerent; nunc ſic, vel ſincerè credunt Reformati ſcripturam eſſe ſic claram, & euidentem, vt per ſe ſufficiat cuilibet ſecluſa quacumque infallibili authoritate, eam interpretandi, & exponendi, vel non ſincerè id credunt? ſi non ſincerè ſed potius fictè id credunt, atque adeò ſentiant ſcripturam reuera non eſſe ita claram, & ſufficientem, quin indigeat interprete, qui eam exponat fidelibus, & credituris, ergo ſunt impoſtores, qui toties clamant in ſuis dictis, & ſcriptis ſcripturam eſſe claram, euidentem, & ſufficientem, eſſe regulam totius veritatis: ſunt item ſeductores, qui ſub hoc prætextu ſuaſerunt, & ſuadent populis nullam dari publicam authoritatem exponendi ſcripturas, cui cæteri mortales inconſultis ſcripturis, teneantur credere: ſunt etiam inexcuſabiles ſchiſmatici, quod ſub eodem prætextu excuſſerint, iugum Paſtorum Eccleſiæ, quod inſurrexerint in hierarchiam Eccleſiaſticam; ſunt ſimiliter hypocritæ, quod contra propriam conſcientiam, imò, & praxim imponant tot millibus animarum, eas inducendo ad credendum ſcripturam obſcuriſſimam, eſſe claram, & euidentem, vt illos in ſacrilego ſchiſmate, contra veram Eccleſiam contineant: ſi autem, ſincerè credunt reformati, ſcripturam eſſe ita claram, euidentem, ac ſufficientem, vt quilibet per ſe ipſum ſine alio interprete, vel Doctore poſſit inde doctrinam ſalutis haurire, & omnium hominum ſententias in cauſa fidei ex eadem expendere: ergo rurſus omnes Miniſtri, doctores, Prædicantes, ſuperintendentes ſunt manifeſti vſurpatores, & latrones, quod vllo modo docendi authoritatem aſſumant, & exerceant, & eius intuitu bona poſſideant.

§. III. Vt

§. III. Vt probo: illi ſunt latrones, qui rem alienam per apertam iniuriam ſurripiunt, ac poteſtatem publicam, ſine vllo iuſto titulo, iure, vel cauſa legitima vſurpant, ſed Miniſtri, Doctores, & prædicantes reformati, ex ſuis principijs, & propria Confeſſione, rem alienam, per apertam iniuriam ſurripiunt, ac publicam poteſtatem ſine vllo iuſto titulo, iure, vel legitima cauſa vſurpant: ergo præfati omnes ſunt latrones: maior patet Ioan. 10. vbi Chriſtus, Pſeudodoctores comparat, vſurpatoribus, & furibus, eo quod inſtar talium, rem alienam, id eſt, poteſtatem, ſine vllo iuſto titulo vſurpant, quales hodie ſunt Caddi Turcarum, & Rabbini Iudæorum, & olim erant Flamines, Archiflamines, Pontifices, & ſacerdotes gentilium, qui omnes ſtipendia, facultates, & honores intuitu talis poteſtatis, impiè conquirebant, hodieque conquirunt: minor eſt ſententia reformatorum, nullum enim iuſtum titulum, ſecundum ſua propria principia, habent ad talem authoritatem exercendam, nam non eſt cauſa fidei, vel Religionis, in hac ſiquidem, ſecundum ipſos reformatos (quamuis falſo id dicant) quilibet & quælibet eſt ſibi doctor, interpres, & ſcripturæ ſcrutator, iudex, & inſtructor; cum ſecundum eoſdem, licet falsò, ſcriptura ſit clara, & euidens, ita euidenter continens, quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, vt ſinguli, & ſingulæ per ſeipſos, poſſint doctrinam credendam haurire, & mortalium omnium, ſententias expendere; atque adeò præfati Miniſtri ſiſtendo proprijs ſuis principijs non poſſunt ſine manifeſta vſurpatione & latrocinio aſſumere ſibi authoritatem docendi, in hac cauſa: nam quia quilibet per ſe ipſum poteſt dijudicare, *bis tria eſſe ſex, dum dies eſt, ſolem lucere*, arrogans eſſet ille, qui publicam ſibi vſurparet authoritatem docendi homines talia, & à fortiori eſſet apertus latro, qui ſtipendia pro docendis rebus tam claris exigeret: ſed per reformatos, ſcriptura eſt tam euidens, vt quilibet inde ſine alio interprete, vel doctore poſſit doctrinam neceſſario credendam exhaurire: igitur impudentes ſunt Miniſtri, quod in re tam clara, vt ipſi dicunt, munus docendi exerceant: ſunt vſurpatores, quod intuitu talis muneris, ſalaria exigant.

§. IV. Patet vlterius: nam Miniſtri, Doctores, & ſuperintendentes reformati, poſſident ampla beneficia, & pingues redditus, non alio titulo, quam quod miſer populus, & ſeducti Magiſtratus putent, eos eſſe neceſſarios ad exponendam ſcripturam, ad proponendam inde doctrinam ſalutis: ſed ex dictis, & prin-

detur infallibilis certitudo de re intellecta, licet ex parte ipſius rei intellectæ in ſe, detur certitudo, vnde nolunt vt nobis infallibiliter conſtet, rem ita eſse, prout ipſi eam proponunt, ſed tantum ſufficere; quod conſtet ita eſse probabiliter, hoc eſt, quod Chriſtiani non debeant de myſterijs ſibi propoſitis, habere fidem infallibilem, cui nequeat ſubeſse falſum, ſed tantum meram opinionem cui poteſt ſubeſſe falſum; & cum Reformati, ſcilicet, credunt res ſibi à ſuis Miniſtris propoſitas, eſſe forte veras; reuera tamen fortè ſunt falſiſſimæ, adhuc tamen audacter prædicant, proponuntque Reformationis articulos Miniſtri; licet meritò ſint incerti, an exponant veritatem, an potius mendaciſſimam impoſturam; quare quia ſic poſſunt errare Reformati, vt tamen poſſint non errare, & ſi placet Dominis Reformatis, addamus hanc modificationem, nempè Reformatos ſic poſſe errare, vt reuera fortè turpiſſimè etiam de facto errent, vſque ad perniciem ſuarum animarum: quando igitur Reformati exponunt ſacram ſcripturam, in locis controuerſis v. g. illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus* contra Soncinianos, & Seruetianos, illud aliud contra Catholicos, *hoc eſt corpus meum*, vel vetus teſtamentum de aduentu Meſſiæ contra Iudæos, vel primum articulum ſymboli contra Manichæos, in quibus omnibus lis eſt de vero, & genuino verborum ſenſu, aliud iuxta propria principia, vel ſibi, vel ſuis auditoribus, ac ſequacibus perſuadere non poſſunt, quam quod opinentur ſanè ſe proponere verum ſenſum, licet neſciant certò an verum, an potius ſpurium ſenſum proponant, hoc ſolo ipſis remanente miſero ſolatio, quod in eo ſenſu, ſic poſſint errare, aut poſſint non errare, forte tamen de facto errant damnabiliter; vnde ſic: Reformati non habent maiorem certitudinem de exiſtentia, aut veritate myſteriorum fidei, quam habet is, qui Pariſijs exiſtens opinabiliter diceret, Turcam Conſtantinopoli ſedere in meridie: nam is ita dicens, ſic poteſt errare, vt forte erret.

§. VI. Tota ergo Reformatorum certitudo poteſt eſse coniuncta, cum ſplendidiſſimo mendacio, & huc tandem reducitur, quod quidem ſic opinentur, vt putent: an igitur quidquam de tota reformatione ſit neceſsarium ad ſalutem, ſic ſecundum Reformatos fortè eſt verum, vt forte ſit falſum, cum in ea re poſſint Reformati ſic errare, vt poſſint non errare, ita tamen, vt neſciant, an quod tenent, vel credunt circa ſuæ Reformationis articulos, ſit à Deo, an à Diabolo; adeo, vt non ſint certiores de præfata ſua Reformatione, quam ſunt Iudæi hodie, vel Turcæ de ſuis di-

ctis,

ctis, hi enim quod dicunt, & docent, putant eſse verum, licet non ſint certi, an non ſit falſum; atque adeo tantam merentur fidem Iudæi & Turcæ, in cauſa Religionis, quam merentur Reformati, vt ſic oſtendo ex dictis: nam quidquid docent vel proponunt Reformati, in negotio fidei, ſecundum propria eorum principia, eſt mera opinio, putantium res ita eſse, neſcientium tamen an ſint veræ: ſed quod docent, vel proponunt Iudæi, vel Turcæ, ſimiliter eſt mera opinio putantium rem ita eſse, neſcientium tamen an ita ſit, vnde infero quod dicta Turcarum, vel Iudæorum in cauſa Religionis, tantum mereantur fidem, quantam merentur dicta Reformatorum: patet hoc; nam ipſi reformati non aliter definiunt ſuam fidem, quam definitur opinio merè humana, quæ poteſt eſse falſa, & erronea, ſic autem ſe habent ſententiæ Turcarum, & Iudæorum, vnde non minus opinantur illi, quam reformati, ergo tam horum, quam illorum ſententia, eſt mera opinio, ergo tantumdem fidei merentur in dictis quoad Religionem Iudæi, & Turcæ, quam Reformati.

§. VII. Quod rurſus oſtendo: nam ſi Reformatio ex proprijs principijs, & Confeſſione ipſorum Reformatorum eſt mera opinio humana, etiam Turciſmus, & Iudaiſmus, eſt tantum mera opinio humanæ imaginationis vtique: & ſi putent Reformati, licet poſſint falli, ſe tamen poſse non falli, putant ſimiliter id ipſum Turcæ, & Iudæi ſe quidem poſse non falli; ergo reformata Religio, non minus, quam Turciſmus, & Iudaiſmus manebit ſolummodo intra latitudinem opinionis, ſeu imaginationis humanæ: nunc ſic: atqui ex ſententijs, quæ prætenduntur eſse ſolummodo meræ opiniones, alteram eligere eſt liberum, & parem fidem meretur tam vna, quam altera, vna æque ac altera confert libertatem aſsentiendi alteri oppoſitæ: ergo cum prætenta Reformatio, ex proprijs principijs, ſit tantum mera opinio, ſeu imaginatio humana, non maiorem meretur fidem, quam Turciſmus, vel Iudaiſmus, ergo eadem Reformatio ſecundum Reformatos non eſt eligibilior, quam Turciſmus, vel Iudaiſmus: ergo nec plus credendum ipſis Reformatis, in negotio Religionis, quã Turcis, & Iudæis; nec obſtat, quod legant Reformati ſcripturas, *quod orent deuotè Spiritum Sanctum, quod adhibeant artium, & linguarum peritiam, diligentem meditationem ſacri codicis, exactam illius Collationem per textus parallelos*: nam adhuc his omnibus non obſtantibus, poſsunt Reformati errare: quia poteſt contingere, quod præfata illa non vti decuit, adhibuerint, vt conſtat ex dictis ipſorum ſupra citatis.

§. VIII. De-

§. VIII. Deinde Iudæi, Manichæi, Ariani dicent se hæc omnia exacte adhibere; legunt scripturas, easque ad inuicem conferunt, adhuc tamen errant, & ipſi Reformati iam supra fatentur his omnibus adhibitis, fidei tamen ipsorum poſse subeſse falsũ, cum ſit tantum humana opinio; ergo etiam his omnibus adhibitis adhuc non habent maiorem certitudinem de sua sententia, quam habent Turcæ, Iudæi, Manichæi, Ariani; nec obſtat item quod dicant creari in mentibus Reformatorum, per actionem verbi, indiſtinctam, inquiunt, ab actione Spiritus Sancti, nescio quos motus, quas exſtases, quos internos susurros: nam ſi verbum scriptum, lectum, vel auditum id habet ex se, habebit idem in Iudæis, Manichæis, Arianis, & ſiuè proferatur à Reformato, ſiuè à Turca, ſiuè à Iudæo, ſiuè ab Ariano, vel Manichæo, id etiam habebit ex se, ſicut ignis à quocumque applicetur materiæ, comburet. deindè æquat iſta euasio Iudaismum, Manichæismum, Arianismum, Chriſtianæ Religioni, nam petenti ab ipsis, intelliguntne sacras litteras? omninò respondebunt. vnde habetis iſtum sensum? ex actione verbi indiſtincta ab actione Spiritus Sancti. quis facit vos certos, quod illud verbum sit reuelatum? actio quam producit in nobis, ipsum verbum; sed quis facit vos certos de illa actione? verbum lectum, vel auditum. en circulum! vadant Reformati iam, & conuincant si poſsunt Iudæos, Manichæos, Arianos, Soncinianos: tandem hæc actio, vel condocefactio eſt mera opinio secundum principia Reformatorum, nec certior, quam sententia Iudæorum, vel Arianorum; ergo à primo ad vltimum, iuxta eadem principia, non plus credendum reformatis, in negotio Religionis, quam Iudæis, vel Arianis, aut Manichæis.

§. IX. Imò quam ipſius Diaboli ſuggeſtionibus, nam ſi quam prætendunt pro ſuis dictis certitudinem reformati, alia non eſt, quam quod producant ſcripturam certam, in qua tamen ne vnum quidem articulum proprium ſuæ reformationis oſtendunt, & eandem ſcripturam non niſi incertè, & opinabiliter expoſitam proferunt; ſed etiam ipſe Diabolus pro ſuis dictis allegauit ſubinde ſcripturam, vt conſtat Math. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* citans pro ſua diabolica impoſtura ſcripturas dicens, *Scriptum eſt enim quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: certè iam ſtantibus reformatorum principijs, non plus nec minus crederet quis diabolicæ eiuſmodi ſuggeſtioni, quam ipſorum reformatorum dictis in cauſa

reli-

religionis; nam ſi putant omnia ſibi ſalua, modo citent pro ſuis dictis ſcripturas, verè, vel falsò, certò, vel opinabiliter intellectas, eas pro ſe citauit Dæmon, ſi ſufficit ſcriptura certa & infallibilis cum incerta erronea, & fallibili ſententia coniuncta, etiam Diabolus citauit ſimul cum ſua fallaci, & erronea ſententia, ſcripturas certas, & infallibiles; etſi reformati fallibiliter, ac opinabiliter tantum, ex ſcriptura certa, proponunt ſuam ſententiam, nihil habent ſingulare in hoc genere, ſupra Diabolum fallaciter proponentem, ſuam ſimiliter ſententiam ex ſcriptura: nam nihil adhibitum à reformatis pro intelligenda ſcriptura, ſiue ſit oratio, ſiue lectio, ſiue meditatio, ſiue collatio textuum, quod non ſit obnoxium errori, deceptioni, ac diabolicæ illuſioni, vt de Concilijs, Doctoribus, tota denique Ecclesia docent, vt vidimus, vndè benè reponit D. Hieronymus *Non ſibi blandiantur, ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cum & diabolus aliqua de ſcripturis ſit locutus, & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo*. Igitur ſi ſufficiat ſcripturas in ſe certas incertè, & opinabiliter allegare, & exponere, vt volunt reformati, non merentur maiorem fidem in hoc negotio, quam Diabolus, nec minus periculosè in negotio Religionis creditur Diabolo, quam reformatis; huc ſcilicet peruenit reformatio, vt ex firmitate, & certitudine fidei Chriſtianæ, corruerit in abyſſum diabolicæ illusionis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex eiſdem reformationis principijs, tenentur reformati, ſi damnationem vitare cupiunt, veritatem Chriſtianam inquirere, & in tali inquiſitione, ſuis Miniſtris nullo modo fidere.

§. I. LOquor de Chriſtianis, quibuſcum hic etiam ſuppono, eoſdem teneri, ad præcepta, & articulos Chriſtianæ Religionis, atque adeò, eoſdem obligari ad horum omnium notitiam, cum nec voluntas ferri poſſit in incognitum, nec intellectus aſſentiri poſſit, niſi obiecto ipſi propoſito, & ab ipſo percepto: quare cum Chriſtiani teneantur, procurare ſalutem ſuam æternam, tenentur ſimiliter notitiam mediorum, ſine quibus ipſa

ipſa ſalus nec procurari, nec acquiri poteſt, callere: hanc autem notitiam ex ſola ſcriptura per ſingulos, ſingulaſque hauriendam eſſe aſſerunt reformati, ſtatuentes hoc generale principium, nempe omnium hominum ſententias, in cauſa fidei expendi debere per quemlibet, & quamlibet ex ſacris litteris: nulli proinde mortalium in hac ipſa cauſa inconſulta ſcriptura credendum eſſe.

§. II. Ex duplici iſto reformationis principio, oſtendo reformatos, si ſaluari velint, vtì tenentur, notitiam ſalutis acquirere, ita in ea acquiſitione nullo modo debere ſuis Miniſtris fidere: vnde ſic diſcurro. Omnes Chriſtiani, qui ad ſalutem æternam aſpirant, debent veritatem Chriſtianæ Religionis, quoad præcepta, & articulos neceſſariò credendos callere: ergo omnes Chriſtiani, qui ad ſalutem aſpirant, si hanc veritatem ignorant, debent eam inquirere: antecedens patet; nam voluntas non poteſt elicere actus circa præcepta obſeruanda, niſi præcedat in intellectu cognitio eorundem præceptorum: ergo vt poſſint Chriſtiani tales actus producere, & exercere, debent callere notitiam obiecti, circa quod exercendus eſt actus; ergo si eam non calleant, tenentur illam indagare, vt poſſint eius præcepta obſeruare, & articulos credere. ſubsumo iam ex principijs reformationis: nullus Chriſtianus vlli hominum credere debet in cauſa fidei, ſecundum reformatos, niſi ipſe ex ſcriptura iudicet propoſitam doctrinam de fide, depromi ex ſacro textu, vel cum illo concordare: ergo iuxta hoc ipſum reformationis principium, nullus reformatus Miniſter, Doctor, Prædicator, ſuperintendens eam habet docendi authoritatem, cui alij Chriſtiani in materia fidei, teneantur credere: antecedens eſt reformatorum, & conſequentia eſt clara.

§. III. Rurſus ſic. nulli Chriſtiano in materia fidei credendum eſt, inconſulta ſcriptura, ſecundum Reformatos, ergo nulli Miniſtro, Prædicanti, vel Doctori Reformato, in eadem materia credendum eſt inconſulta præfata ſcriptura: probatur conſequentia, nam quidquid vniuerſaliter negatur de aliquo ſuperiori, negatur etiam de quocumque contento ſub ipſo, ſed de tota collectione Chriſtianorum, negant prætenti Reformati, omnem authoritatem, cui quis in materia fidei deberet inconſulta ſcriptura credere: ergò ſimiliter ea negari debet de omnibus Miniſtris, & Prædicantibus reformatis ſimul, & ſeorſim ſumptis: cum igitur omnes Chriſtiani, qui ad ſalutem æternam aſpirant, teneantur notitiam Chriſtianæ Religionis in ijs, quæ neceſsariò credenda,

&

& obſeruanda ſunt, callere, & niſi eam ſciant, debent eam inquirere, & Reformati prætendant ſe eſse Chriſtianos, ac aſpirare ad eandem ſalutem, adeoque teneantur ſimiliter ad talem notitiam, vel eius inquiſitionem: nullo modo debent in eadem inquiſitione facienda acquieſcere, vel fidere ſuis Miniſtris, vel Doctoribus. ratio iam data eſt ſupra, ex principijs Reformationis, nempè nulli mortalium credendum eſse in materia fidei: ſed quemlibet debere per ſe ipſum ſcrutari veritatem, ergo Reformati nullo modo debent, in tanto negotio inniti dicto ſuorum Miniſtrorum, cum ex ſuis principijs, nulli debeant credere: ergo præfata inquiſitio fieri debet nullo habito reſpectu, vel recurſu ad Miniſtros, quibus nulla fides ex principijs Reformationis debetur.

§. IV. Quod vlterius patet ex altero Reformationis principio, ſtatuente Miniſtros reformatos fallibiles in medijs ſalutis æternæ inquirendis. nemo debet fidere Doctoribus ex ore proprio fallibilibus, & erroneis, Miniſtri autem reformati ex proprio ore ſunt Doctores fallibiles; ergo in inquirendis ſalutis æternæ medijs, nemo debet illis fidere: maior probatur nam inueſtigatio mediorum ſalutis, eſt grauiſſimum totius humanæ vitæ negotium, cum a recta vel mala iſtorum mediorum notitia dependeat mors, vel vita: ergo nemo in tali indagine inſtituenda, vel facienda, debet fidere hominibus ex profeſso fallibilibus, & erroneis, ſicut ſimiliter in eiuſmodi negotio, non debet fidere Turcis, vel Hebræis: quandoquidem ſint Doctores fallibiles, ſeducti, & ſeductores: item ideò Reformati vnanimi ore, ſed per ſummam calumniam, & impoſturam, negant credendum eſse abſolutè Concilijs, Paſtoribus Eccleſiæ, niſi adhibito prius priuato cuiuſlibet ſcrutinio; quia criminantur, quamuis falsò, præfata Concilia eſse deceptioni obnoxia, & Paſtores eſse fallibiles; ſed hæc vniuerſalis propoſitio, de fallibilitate affictà prædictis, complectitur etiam Miniſtros, vel Doctores reformatos, ergo Si Reformati negant credendum Concilijs ex hoc capite, non debet ſimiliter credi Miniſtris, vel Doctoribus reformatis: nec obſtat, quod Miniſtri ſoleant crepare, & blaterare textus ſcripturæ: nam eos crepant, & blaterant Iudæi, Manichæi, Ariani Sonciniani, Tremuli, ergo ex hoc capite præciſè, quod inflatis buccis intonent ſcripturas, in cauſa tamen ſalutis, non debet quis eis credere, pluſquam Iudæis, Manichæis, Soncinianis, imò quam ipſi Diabolo ſcripturas pro ſuis impoſturis allegantì.

§. V. Quod probatur vltimò ex alio Reformationis principio, nempe omnium hominum doctrinam, particulari cuiuſque ſcrutinio, & examini ſubijciendum eſse, priuſquam eam vel amplectatur vel reſpuat, vt habet Confeſſio Anglica art. 6. & 21. Scotica art. 18. Heluetica prior, & poſterior cap. 2. VVittenbergica tit. de ſcripturis, & tit. de Concilijs. Confeſſio Auguſtana tit. de poteſtate Eccleſiaſtica, Confeſſio Gallica æquiualenter art. 5. & 33. Lutherus in aſsertionibus, Melanchton in locis communibus, Brentius in prolegomenis, Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 9. & in illum locum Matth. *Attendite vobis à Pſeudoprophetis*; & eſt communiſſima praxis ipſius Reformationis concedentis, Biblia vulgaria omnibus promiſcuè mulierculis, cerdonibus, piſtoribus, lanionibus, pueris, ruſticis, & reliquæ plebi; hic hæret populus reformatus, inter duo præcepta, vnum Chriſti, quo obligatur Doctrinam Chriſtianam callere, & vtique vt calleat, eam debet inueſtigare; alterum Reformationis, quo iubetur omnem doctrinam examinare, & diſcutere: nunc ſic. in negotio Religionis Chriſtianæ, & doctrina ſalutis quærenda, nemo debet fidere Miniſtris, non debet enim fundare ſuam ſalutem, in ea doctrina, quam debet ipſe diſcutere, an vera ſit, an falsa; tenetur autem ſecundum reformationis principia, omnium hominum ſententias, in cauſa fidei expendere, & conſequenter ſententiam Miniſtrorum: ergo populus reformatus, non debet fundare ſuam ſalutem in doctrina ſuorum Miniſtrorum.

§. VI. Concludo itaque ſic: populus reformatus tenetur doctrinam Chriſtianæ Religionis inquirere, & ſcire, & aliundè ſecundum reformationis principia, debet ſuorum Miniſtrorum dogmata examinare, vt iudicet an ſint vera, vel falſa: ergo ſi idem populus non vult damnari, non poteſt fundare ſuam fidem vllo modo in dicto ſuorum Miniſtrorum. patet hoc, non poſsunt reformati, qui cupiunt ſaluari, ſuam fidem fundare in eo dicto, de quo dubitare tenentur, an ſit verum vel falsum: ſed prædicti reformati, iuxta propria principia, tenentur dubitare de dicto ſuorum Miniſtrorum; ergo reformati, qui ſaluari cupiunt, non poſsunt fundare ſuam fidem in dicto ſuorum Miniſtrorum. probatur, illi tenentur dubitare de veritate illius dicti, quod tenentur examinare, an verum ſit, vel falsum, ſed ex dictis reformati tenentur examinare dicta ſuorum Miniſtrorum, an ſint vera, vel falſa: ergo & dubitare tenentur de eorundem dictorum veritate. rurſus, qui tenentur dubitare de veritate ſententiæ ſuorum

Docto-

Doctorum, non poſſunt tutò committere, curam ſuæ ſalutis talibus Doctoribus; ſed ſecundum principia reformationis, tenentur reformati dubitare de veritate ſententiæ ſuorum Doctorum; ergo non poſſunt tutò committere curam ſuæ ſalutis talibus Doctoribus: ergo à primo ad vltimum, cum reformati teneantur doctrinam ſalutis inquirere, & ſcire, in illa inquiſitione, non debent fundare ſuam fidem in ſententia ſuorum Miniſtrorum, ſed aliam viam inire debent, de qua in ſecunda parte, cum vt patet ex dictis hæc via, non ſit nuda ſcriptura, non ſcrutinium priuatum, non Miniſtrorum dictum, cum cæci ſint, & duces cœcorum, ducentes in foueam infælicitatis æternæ; fugiendi proinde: vnde ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Populus reformatus tenetur cauere à ſuis Miniſtris, tanquam ab illis, qui ſecundum expreſſa Reformationis principia ſunt manifeſti animarum ſeductores, & latrones.

§. I. SÆpius in præcedentibus notaui, quam præcipiti vertigine ſua in ſe vertant molimina reformati, quam iuſto Dei iudicio incidant in foueam, quam Romanæ Eccleſiæ crediderunt ſe feciſse, & ſicut in eam velut iniqui inſurrexere teſtes, ita in falso eorum teſtimonio, mentita eſt iniquitas ſibi, vt dolor, quem infligere parabant eidem Eccleſiæ, conuertatur in caput eorum, & in verticem ipſorum, iniquitas eorum deſcendat; putarunt enim ſuum ſchiſma ſufficienti colore ſe obducturos, ſi poſsent totius Eccleſiæ hierarchiam penitus ſubuertere, ad quam iniquam machinam ſuſtinendam, quatuor ſuperius receuſita ſtabilinere principia, nempè ſolam ſcripturam eſſe regulam totius veritatis; eandem ſcripturam eſſe ita claram, & euidentem, vt quilibet, & quælibet poſſet indè doctrinam ſalutis haurire; abſque alio interprete, vel doctore; eandem proinde ſcripturam in idiomata vulgaria tranſtulerunt reformati, vt ſinguli, & ſingulæ eam ſcrutarentur; & euoluerent: ex his duobis principijs intulere, nullum eſſe opus Epiſcopis, Paſtoribus, Concilijs, pro rebus fidei explicandis, decidendis, vel docendis, ſtatuerunt,

§. III. Vt probo: illi ſunt latrones, qui rem alienam per apertam iniuriam ſurripiunt, ac poteſtatem publicam, ſine vllo iuſto titulo, iure, vel cauſa legitima vſurpant, ſed Miniſtri, Doctores, & prædicantes reformati, ex ſuis principijs, & propria Confeſſione, rem alienam, per apertam iniuriam ſurripiunt, ac publicam poteſtatem ſine vllo iuſto titulo, iure, vel legitima cauſa vſurpant: ergo præfati omnes ſunt latrones: maior patet Ioan. 10. vbi Chriſtus, Pſeudodoctores comparat, vſurpatoribus, & furibus, eo quod inſtar talium, rem alienam, id eſt, poteſtatem, ſine vllo iuſto titulo vſurpant, quales hodie ſunt Caddi Turcarum, & Rabbini Iudæorum, & olim erant Flamines, Archiflamines, Pontifices, & ſacerdotes gentilium, qui omnes ſtipendia, facultates, & honores intuitu talis poteſtatis, impiè conquirebant, hodieque conquirunt: minor eſt ſententia reformatorum, nullum enim iuſtum titulum, ſecundum ſua propria principia, habent ad talem authoritatem exercendam, nam non eſt cauſa fidei, vel Religionis, in hac ſiquidem, ſecundum ipſos reformatos (quamuis falſo id dicant) quilibet & quælibet eſt ſibi doctor, interpres, & ſcripturæ ſcrutator, iudex, & inſtructor; cum ſecundum eoſdem, licet falsò, ſcriptura ſit clara, & euidens, ita euidenter continens, quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, vt ſinguli, & ſingulæ per ſeipſos, poſſint doctrinam credendam haurire, & mortalium omnium ſententias expendere; atque adeò præfati Miniſtri ſiſtendo proprijs ſuis principijs non poſſunt ſine manifeſta vſurpatione & latrocinio aſſumere ſibi authoritatem docendi, in hac cauſa: nam quia quilibet per ſe ipſum poteſt dijudicare, *bis tria eſſe ſex, dum dies eſt, ſolem lucere*, arrogans eſſet ille, qui publicam ſibi vſurparet authoritatem docendi homines talia, & à fortiori eſſet apertus latro, qui ſtipendia pro docendis rebus tam claris exigeret: ſed per reformatos, ſcriptura eſt tam euidens, vt quilibet inde ſine alio interprete, vel doctore poſſit doctrinam neceſſario credendam exhaurire: igitur impudentes ſunt Miniſtri, quod in re tam clara, vt ipſi dicunt, munus docendi exerceant: ſunt vſurpatores, quod intuitu talis muneris, ſalaria exigant.

§. IV. Patet vlterius: nam Miniſtri, Doctores, & ſuperintendentes reformati, poſſident ampla beneficia, & pingues redditus, non alio titulo, quam quod miſer populus, & ſeducti Magiſtratus putent, eos eſſe neceſſarios ad exponendam ſcripturam, ad proponendam inde doctrinam ſalutis: ſed ex dictis, &

prin-

principijs ipſorum reformatorum, hic titulus eſt falſus, nam ſecundum reformationem, ſcriptura eſt ita clara, vt ſe ſola ſufficiat, & hinc eam in vulgares linguas traduxerunt, vt quilibet & quælibet ex ea doctrinam credendam hauriat, omniumque hominum ſententias, in cauſa Religionis expendat, adeo vt ad hoc negotium nullo opus ſit interprete, vel Doctore, ſtantibus ijſdem reformationis principijs, nec id obſcurè innuit Stillingfleet in reductione fidei proteſtanticæ, principio 14. *aſſerere, inquit ſcripturam ſolam non ſufficere, eſt arguere eius authorem fraudis, & ſcriptores inſinceritatis*, & principio 15. ait, nullum *eſſe opus vllius ſocietatis infallibilis, ad atteſtandam, vel declarandam ſcripturam*: item principio 16. dicit *nullam eſſe intolerabiliorem vſurpationem, quam quod vllus homo, vel hominum cœtus prætenderet eiuſmodi infallibilitatem, in eo quod proponit*, & principio 17. ait *nihil eſſe abſurdius, tali prætenſione*. tandem vt oſtendat, ſuperfluitatem omnium Doctorum, & conſequenter ſui ipſius, ac reliquorum omnium Miniſtrorum, & Superintendentium reformatorum, adeoque quemlibet in cauſa fidei ſibi ipſi ſufficere, concludit principio 18. *Neminem debere timere periculum errandi, in intelligendo quouis particulari ſcripturæ loco, modò vtatur melioribus medijs, quibus poteſt &c.* eandem ſententiam de ſcripturæ prætenſa claritate, & ſufficientia, cum cæteris reformatis, habet Ioannes Botſacus contra Valerianum Magnum part. 1. cap. 9. Ioan. Maior contra eundem ſect. 2. cap. 2. Vedroſius apud Redingum diſſert. 1. ſect. 2. cap. 2. & ſect. 3. cap. 2. ex quibus omnibus ſequitur titulum docendi, quo vtuntur reformati, eſſe ſecundum ipſos reformatos, falſum.

§. V. Scriptura enim ſecundum reformatos, eſt ita euidens, vt ſe ſola ſufficiat, proinde ſecundum Stillingfleet, ſuperfluit omnis ſocietas infallibilis ad eam atteſtandam, vel declarandam, & vtique multo magis ſuperfluit ſocietas ex profeſſo fallibilis, & erronea, qualis, eſt ſocietas reformata, imo ſecundum eundem intolerabilis eſt vſurpatio, prætendere talem authoritatem, nam per ipſum quilibet ſi facit, quod in ſe eſt, ſine vllo periculo poteſt aſſequi ſenſum ſcripturæ; ergo tam ipſe Stillingfleet, quam cæteri omnes doctores, Miniſtri, ſuperintendentes reformati; vbicumque demum ſint, ex principijs reformatorum, & iudicio ipſorum Miniſtrorum ſunt manifeſti vſurpatores, & latrones, quod ſub fraudulento ſcripturas atteſtandi, & declarandi prætextu, poſſideant, & conſumant tot Eccleſiaſtica prædia, & be-

ne ſi-

neficia, vt ſuas vxores, & liberos alant, cum per aliam artem, victum ſibi quærere deberent: quod probatur ex alio reformationis axiomate, nempe nullã dari docendi authoritatẽ, cui cæteri mortales inconſulta ſcriptura teneantur acquieſcere: &, ſi quæ eiuſmodi iuriſdictio detur, eam eſſe erroribus, & impoſturis obnoxiam: vnde ſic. illi ſunt manifeſti latrones, qui ſtipendia, honores, & facultates exigunt, & poſſident ſub prætextu poteſtatis, cui tamen in materia Religionis, nemo tenetur, inconſulta ſcriptura, credere, imo nec debet fidem præſtare, ſine periculo errandi: ſed Miniſtri, Doctores, & ſuperintendentes reformati exigunt, & poſſident ſtipendia, honores, facultates ſub prætextu poteſtatis, cui nemo, inconſulta ſcriptura, tenetur credere, imò nec fidem præſtare ſine periculo errandi: ergo Miniſtri, Doctores, ſuperintendentes reformati ſunt manifeſti latrones; maior patet in Caddis Turcarum, & Rabbinis Iudæorum, iniquè exigentibus ſalarium ob poteſtatem, cui nullus obedire in negotio Religionis tenetur: minor eſt Reformatorum ſententia, vt vidimus, ſtatuens, neminem præſertim reformatum ea pollere docendi authoritate, cui cæteri mortales inconſulta ſcriptura, teneantur credere: atque adeò Miniſtri, Doctores, & ſuperintendentes reformati ſunt latrones, quod prædia, & bona Eccleſiaſtica poſſideant ſub prætextu poteſtatis, nullo titulo, vel iure ſuffultæ; cum ſecundum reformationis principia, prædictorum Miniſtrorum inſtructiones, non plus conducant ad Religionis cauſam, quam geſticulationes, commenta, & fictæ fabulæ hiſtrionum in foro.

§. VI. Cauendum igitur à præfatis Miniſtris tanquam à latronibus Reipublicæ reformatæ, qui liguriunt opes, ob falſum, & vanum docendi titulum, animaſque mactant, ignari ex profeſſo, an quod docent, ſit veritas, an impoſtura, vt minus nunc ego mirer, ſeueram illam ſententiam de proteſtantibus, eorumque Miniſtris, & ſuperintendentibus, præſertim à Puritanis latam, in tractatu de poſitionibus periculoſis lib. 2. cap. 13. vbi eoſdem Proteſtantes, eorumque Anteſignanos, Puritani pronuntiant, *eſſe multitudinem reproborum, generationem ſicariorum, coetum animicidarum, & ſacrilegorum, porcos, canes, lupos, vulpes, ſimoniacos, fæneratores, quibus Deus venter eſt* &c. Puritanos e contra, eorumque Coriphæos, nomine Proteſtantium ſuis emblematibus, depingit Barrous in detectione, Greuuodus contra Grifford, ambo, & ipſi Proteſtantes: *Vos eſtis* (inquiunt ad Puritanos) *Fucati*

Hyp-

Hypocritæ, phariſaici ieiunij præcones, pſeudoprophetæ, peſtiferi ſeductores, iurati, conducti, cauterizati diſcipuli Antichriſti, perditi illuſores, apoſtatici reformatores, rigidi diſſimulatores, inter res omnes publicas; & priuatas tumultuarij inſpectores, ſtoici ardeliones, Cynici cenſores &c. in has duas claſſes, diuiſa eſt Lutheri, Caluinique in Anglia poſteritas. quàm ſanè viuis coloribus exprimatur hic Miniſtrorum turma, dubitauerit nemo, qui reformationis principia penitùs inſpexerit, ex quibus habetur eoſdem Miniſtros in munere ſuo eſſe, vt ſæpius dixi, inuaſores bonorum alienorum, cum ſint ſuperflui, nec ad quidquam, niſi ad impoſturas docendas valeant: Concludo denique Magiſtratus, & populos reformatos, alioquin proprio lucro intentiſſimos, parum videri prudentes, vel prouidos boni publici, quod homines ex profeſſo deceptioni obnoxios, & ad nihil ſecundum reformationis principia vtiles, alant, tam amplis poſſeſſionibus cumulent: & eoſdem Magiſtratus, eſſe ſimiliter minus circumſpectos, quod ad miniſterium tam futile, tam erroneum, tam impoſturis, ſecundum reformationis principia obnoxium, recipiant, & promoueant, ſtipendijſque alant, apoſtatas, & transfugas ab Eccleſia Romana, ad prætentam reformationem deficientes, vt luxui, & libidini indulgeant. Hi omnes iam ſuperius recenſiti, ſunt latrones illi, ó prætenta reformatio! in quos deſcendens ab Ieruſalem, à vera, inquam, Eccleſia deficiens, ſeu deſcendens in Iericho cæcitatis tuæ, incidiſti, qui plagis impoſitis abeunt poſt concupiſcentias, & impoſturas ſuas: te ſemiuiua, imò exanimi relicta, ſine halitu, vel ſpiritu vllius veræ Religionis, vt rurſus pergo oſtendere, & ſic.

DISTINCTIO QVINTA.

Prætenta reformatio, ex ſuis proprijs principijs, ita ignorat quid ſit de Chriſtiana Religione credendum, vel quare, vt fateatur nihil tandem de tota ſua reformatione eſſe credendum.

CVm in Euangelio ſint præcepta, & conſilia, & illa ſub damnationis æternæ pœna obligent, iuxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*: conſilia verò non ſic obligent, ſcire neceſſe eſt, quæ ſint ipſa præcepta ſeruanda, quæ non: quia

verò

verò tota ſcriptura explicite credi, & obſeruari non poteſt, vtique erit determinata aliqua ſumma, ex eadem ſcriptura deprompta, quæ determinate credi, & obſeruari à fidelibus, & credituris debet: difficultas modo cum reformatis eſt, quis nobis hanc ſummam credendorum, & obſeruandorum colliget, & in ordinem rediget? quis erit iudex, quæ norma, & regula ſequenda in iſta ſumma ordinanda, & colligenda? vnde ſit.

SECTIO PRIMA.

Quanta titubatio reformationis, circa numerum, & neceſſitatem dogmatum credendorum.

Dicunt reformati, articulos neceſſarios poſſe à quolibet clare, & euidenter in ſcriptura reperiri: quinam tamen ſint iſti articuli neceſſarij, variant inter ſe: ſit proindè.

ARTICVLVS PRIMVS.

Reformati in ſuis principijs fatentur ſe neſcire, qui ſint articuli neceſſarij, qui non.

§. I. HVc tandem dura neceſſitas compulit reformatos, vt velint nobis ſuadere articulos neceſſarios, & fundamentales, ita clare, & expreſſe reperiri in ſcriptura, vt nullo, quoad hos, opus ſit interprete, vel Doctore; vbi hic ſeriò notanda eſt diſtinctio inter articulum verum, & articulum neceſſarium: multi enim ſunt articuli veri, & à veracitate diuina reuelati, qui tamen non ſunt neceſſarij, ſeu neceſſario credendi, quare difficultas in determinandis articulis neceſſarijs inde oritur, quod neceſſe ſit, articulum determinandum probare, ſub ratione veri, & ſub ratione neceſſarij. vt ſit verus, ſufficit, quod ſit reuelatus in verbo Dei, ſed non eſt idcircò neceſſarius, ſeu neceſſariò credendus, nam omnia, quæ traduntur in Pentateucho, de Cæremonialibus, legalibus, & moralibus Hebræorum ſunt vera, nunc tamen non omnia iſta ſunt neceſſaria, imò multa ſunt mortifera, ſi nunc adhiberentur in vſum: rurſus multa traduntur in Euangelio, quæ licet ſint veriſſima, non ſunt tamen neceſſaria, vnde

vt articulus ſit neceſſarius, non ſufficit, quod ſit verus, quodue adferantur verba ſcripturæ in ſenſu ordinario, niſi probetur, quod ſenſus ille ordinarius, ſit neceſſariò credendus, vt v. g. articulus, ille olim cum Arianis controuerſus, de diuinitate verbi, probetur neceſſarius, debet videri, quo ſenſu intelligatur ille textus Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*: an *vnum* ibi intelligatur de vnitate reali, & conſubſtantiali, vt volebat Nycæna Synodus, an de vnitate morali, vt impiè blaterabat Arius; ſi igitur probandus eſt articulus neceſſarius ſub ratione veri, debent verba ſcripturæ id præcisè ſignificare, quod dicit articulus probandus: atqui verba ſcripturæ non cenſebuntur id neceſſario importare, quoties eadem verba in ſcriptura ſimiliter, ſeu pariter poſita, aliter, & aliter accipiuntur, debet igitur haberi reſpectus, ad varias ſignificationes, quibus verba iſta in varijs locis accepta ſubijciuntur, & idcircò allegandæ ſunt probationes certæ, & neceſſariæ, pro diſcernendo, & oſtendendo neceſſario ſenſu verborum, præ non neceſſario, ad hoc vt ſciatur, quis ſit articulus neceſſario credendus: cum vt dixi non omnes articuli hoc ipſo, quo ſunt veri, ſint neceſſario credendi.

§. II. Secundum Reformatos, quibus ſola, & nuda ſcriptura eſt regula totius veritatis, hæc præſtari debent per nudos ipſius ſcripturæ textus, quibus oſtendi debet, qui ſint articuli neceſſario credendi, qui non. ita Confeſſio Belgica art. 7. Anglica art. 6. & 21. VVittenbergica art. 30. Bohemica art. 1. Auguſtana in præfatione, & art. vltimo: id ipſum ſtatuunt de articulis morum, Confeſſio Gallica art. 5. Belgica art. 7. & Bohemica art. 1. Scotica de vtroque genere articulorum art. 18. & poſterior Confeſſio facta Edinburgi: volunt item Reformati, articulos neceſſarios contineri debere in ſcriptura clare, & expreſſe: ita Confeſſio Heluetica poſterior art. 1. & 2. Belgica art. 7. Bohemica art. 1. VVittenbergica art. 30. ex reformatis Angliæ Stillingfleet, in reductione fidei Proteſtanticæ paſſim: per quam ſententiam excludunt vtique reformati gloſſas, & conſequentias, nam qui manifeſta promittunt, non poſſunt rectè, aut legitime ad conſequentias vel gloſſas confugere, hæ ſiquidem propoſitiones, *quadrangulus continet triangulum: bis tria ſunt ſex*: non indigent expoſitione, & quæ expreſſe habentur in ſcriptura, exactius in ea continentur, quam, quæ continentur per gloſſas, & conſequentias; hic autem implicantur labyrintho reformati: nam vt ſupra vidimus, ad hoc, vt articuli cenſeantur neceſſarij, debent probari ſub ratio-

ratione veri, & neceſſarij, idque ſecundum reformationis principia, per probationes, ſeu verba expreſſa ſcripturæ, conferendo ad inuicem textus, & tam articuli, quam probationes ſecundum eoſdem, debent in ſcriptura demonſtrari aperte.

§. III. Quare nisi reformati oſtendant, & ſtatuant, qui ſint articuli neceſſarij, eoſque demonſtrent in ſcriptura, vt olim promittebant, nullus ſpecialis, & proprius reformationis articulus non ſic oſtenſus, aut demonſtratus, erit interim neceſſarius: quærendum enim à reformatis in omni controuerſia, an agatur de articulo neceſſario? nam non eſt recedendum ab Eccclesia, nisi ob errorem in articulo neceſſario. ſublato igitur vniuerſali reformationis fundamento auferuntur particulares illius baſes, si enim ſcriptura nec eſt clara, nec clarè, nec euidenter declarat reformationis articulos eſſe neceſſarios, corruit reformatio, corruentibus eius articulis: nunquam ſanè reformati oſtendent, quid ſit determinate ex ſcriptura credendum, & quare; vt ſic probo, quoad quid credendum. illud omne, & ſolum eſt credendum ſecundum reformatos, quod eſt neceſſarium, & fundamentale, ſed nullus articulus ſpecialis, & proprius reformationis, eſt fundamentalis, aut neceſſarius, ergo nullus talis articulus eſt credendus: maior eſt ſententia ipſorum reformatorum; minor probatur, illud omne, & ſolum eſt neceſſarium, & fundamentale ſecundum reformatos, quod continetur clare, & euidenter in ſcriptura, ſed nullus articulus controuerſus religionis reformatæ, continetur clarè, & euidenter in ſcriptura; ergo nullus articulus controuerſus Religionis reformatæ eſt neceſſarius, vel fundamentalis: maior eſt reformatorum, minor conſtat experientia legentium ſcripturam, in qua ne vnum ſpecialem articulum reformationis inuenire poterunt.

§. IV. Idem probatur quoad quare aliquid credendum eſt: ideò illud omne, & ſolum credendum eſt ſecundum reformatos, quia clare, & euidenter in ſcriptura continetur, & ſimiliter ab illa tanquam iudice declaratur illud eſſe neceſſario credendum: ſed nullus ſpecialis articulus reformationis, aut ſic continetur in ſcriptura, aut ab ea declaratur neceſſario eſſe credendus; ergo nullus ſpecialis articulus reformationis eſt neceſſario credendus. maior eſt ſententia reformationis, minor conſtat experientia: nam nullibi ſcriptura facit mentionem de articulis ſpecialibus reformationis, aut de illorum neceſſitate, & conſequentia eſt legitima. Rurſus eatenus aliqui articuli ſunt neceſſario credendi

ex principijs reformationis, quatenus ſcriptura fert ſententiam de eorum veritate, neceſſitate, & continentia, ſeu quatenus probantur per ſcripturam euidenter, & clare ſub ratione veri, & neceſſarij; ſed de nullo ſpeciali reformationis articulo ſcriptura fert eiuſmodi ſententiam, neque probatur vllus talis articulus, per eandem clare, & euidenter ſub ratione veri, & neceſſarij: ergo nullus ſpecialis reformationis articulus eſt neceſſario credendus: maior eſt principium reformationis, minor conſtat experientia omnium ſpecialium articulorum reformationis, quorum ne vnus legitur in ſcriptura & conſequentia eſt legitima.

§. V. Hinc concludo Reformatos neſcire, quid de ſua reformatione determinate credendum, aut quare: nam vt aliquid ſit determinate credendum, ſecundum præfatos reformatos, duo interuenire debent, nempè quod articulus credendus probetur euidenter in ſcriptura, per collationem textuum ſub ratione veri, deinde quod eadem ſcriptura claré, & euidenter det rationem, cur ille articulus ſit neceſſarius, & neceſſario credendus præ alijs articulis veris, & in ſcriptura contentis, & ex hoc ipſo capite nolunt reformati, pleroſque Romanæ Eccleſiæ articulos credere, eo quod prætendant nec contineri clare in ſcriptura, nec ab eadem declarari, tanquam neceſſario credendos; ſed ſi quid probat iſta reformationis ratio, iugulat ipſos reformatos, & omnes ſpeciales eorum articulos nullitatis arguit: ſupereſt igitur reformatos remanere ignaros, quid debeant determinate credere, & quare; nam ſecundum ipſos illi ſoli ſunt ſpeciales articuli neceſſario credendi, qui continentur clare in ſcriptura, & pro talibus à ſcriptura declarantur, ſed, vt ſæpius dixi, patet experientia, nullum ſpecialem reformationis articulum ſic contineri, vel declarari; nullus itaque talis articulus erit neceſſarius: atque adeo reformati adhuc ſtante hac ſua regula de articulis neceſſarijs, & fundamentalibus, neſciunt quid de ſua reformatione ſit neceſſario credendum, aut quare; ſed, inquiunt, ſufficit eis nihil credere eorum quæ Romana credit Eccleſia.

Contra.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS:

Prætenta reformatio aſſerens ſe, quoad puncta neceſſaria fidei, in hoc differre à Romana Eccleſia, quod nolit eiuſdem Eccleſiæ articulos recipere ſub prætextu quod non legantur euidenter vel expreſſe in Biblijs, iterum conuincitur fateri, ſe adhuc neſcire, quid ſit determinate credendum, vel quare.

§. I. MAnifeſta deſperatio coegit reformatos, per hoc tandem poſticum effugere: ſed ne impunes euadant, hoc ipſum facile occluditur. vbi tamen in limine monentur reformati, muneris olim aſſumpti, quod ſcilicet prætendant ſe veniſſe, ad reformandum orbem terrarum, ad prædicandum purum putum Euangelium, qua ſuppoſitione, falſa vtique ſtante, deberent proinde reformati cogitare de mole, & machina Religionis proponendæ, & credendæ, de punctis, & articulis, quos credituri ſequi, & profiteri deberent, vt ſi vellent Turcam à Turciſmo, Iudæum à Iudaiſmo, Arianum ab Arianiſmo, vel alium infidelem à ſua infidelitate ad reformationis cauſam conducere, in hoc ipſo opere peragendo, neceſſe foret naturalis agentis officium imitari, nempè ſi intentent corrumpere præcedentem ſubiecti formam, introducant nouam, cum inſolitum ſit in natura, dari corruptionem ſine generatione, nam generatio vnius, eſt corruptio alterius, & e contra. Si velint itaque reformati, vt deſtruatur in Turca Turciſmus, vel in alio quouis priſtina profeſſio, inducenda foret loco peſſimæ profeſſionis, alia noua, iuxta illud Matth. vltimo *Docete omnes gentes, docentes eas ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis*. nouæ igitur reformationis candidati, antiqua ſua Religione, per reformationem ſpoliati, ſcire deberent, quid in iſta ipſa reformatione determinate credendum, vel quare? & caſus eſſet in fædifrago, ac ſacrilego catholico, ab Eccleſia Romana, ad reformationis ſtabula, veneris, & libidinis cauſa tranſfugente, per quid iſte talis apoſtata differret à primo ſtatu, quoad nouam iſtam profeſſionem, & puncta de nouo profitenda?

§. II. In hoc, inquiunt reformati, differrent ipſi, & nos à

Romana Eccleſia, quod nihil velit reformatio credere, de ijs articulis, quos præfata Eccleſia credendos proponit, eo quod non legantur clare, expreſsè, ac de verbo ad verbum in ſcriptura v.g. *tranſubſtantiatio, Miſſa, Purgatorium.* contra hoc miſerabile reformationis effugium, ſic inſto: ſi ideo reformati nolint credere articulos Romanæ Eccleſiæ, quia cauſantur, eos non legi modo iam dicto in ſcripturis, fatentur ergo iterum nihil neceſſario credendum eſſe, niſi in ſcriptura clare, euidenter, ac de verbo ad verbum legatur: ſtante iſta falſa hypotheſi ſic vrgeo: vel igitur quod aſſerunt reformati, de neceſſitate ſalutis credendum, habetur in ſcriptura clarè, euidenter, ac de verbo ad verbum, vel non? ſi non, ergo fallit regula reformationis, quoad articulos neceſſarios: ergo male dicunt ideo reijciendos articulos Romanæ Eccleſiæ, quia non inueniuntur in ſcriptura clare, euidenter, ac de verbo ad verbum, licet ibi vtique inueniantur, ſi non quoad verba, & voces, certè quoad ſenſum; ſi autem quod aſſerunt reformati, de neceſſitate ſalutis credendum, habetur in ſcriptura clare, euidenter, ac de verbo ad verbum, tunc ſic: vel articuli proprij Religionis reformatæ, habentur hoc euidenti modo in ſcriptura, vel non habentur? ſi non ita habentur, iam non ſunt articuli neceſſarij, ſi habentur, oſtendant eos clarè, euidenter, ac de verbo ad verbum in præfata ſcriptura; ſi enim ideò reijciunt reformati, articulos Eccleſiæ Romanæ, quia ſcilicet prætendunt eos, non legi clare, euidenter, ac de verbo ad verbum in Biblijs, ſentiunt hoc ipſo illud omne, & ſolum eſſe neceſſario credendum quod prædicto modo in ſcriptura legitur: nec enim ſufficit homini Chriſtiano, ſuſpendere intellectum ſuum, ab omni prorſus aſſenſu fidei: nam ſi ſic procederent reformati, eſſent Atheiſtis peiores, quod introducerent in orbem terrarum, neſcio quam profeſſionem, cuius tamen proprietas eſſet, nihil omninò credere, imò id argueret reformatos inſipientiæ, quod Academias frequentarent, quod Doctores inſtituerent, quod Miniſtros, Prædicantes haberent, quod vllo modo in cauſa Religionis ſcriberent, quod Confeſſiones, vel catechiſmos ederent: ſentiunt igitur reformati aliquid eſſe determinate credendum.

§. III. Sed dicent forte ſummam neceſſariorum eſſe totam ſcripturam, à quolibet, & qualibet credendam, ſine vlla diſtinctione, vel numero determinato articulorum neceſſariorum in particulari, vel ſi detur talis numerus, eum eſſe colligendum à quolibet, & qualibet, ex eadem ſcriptura; ſed contra primo ſi

tota

tota ſcriptura eſt credenda, & obſeruanda neceſſario explicite, & expreſsè (implicite enim credendam eſſe, in illa vniuerſali propoſitione, credi ſcilicet oportere quidquid Deus reuelauit, & credendum per Eccleſiam proponit, fateor) ſi tota, inquam, modo ſupradicto credi, & obſeruari debet: ergo reformati credere, & obſeruare debent explicite, totum vetus teſtamentum, ritus, cæremonialia, & legalia Iudæorum, adeoque circumciſionem: ergo etiam credere explicite, & obſeruare debent ex nouo teſtamento, quidquid Chriſtus tradit de conſilijs euangelicis, paupertate, caſtitate, obedientia: quidquid tradiderunt verbo, & exemplo Apoſtoli de ieiunijs, abſtinentijs, nuditate pedum, corporis caſtigatione, bonis operibus, & cæteris iſtius modi, quæ reformati audire horrent. Contra ſecundo ergo qui vel per occupationes, vel per imperitiam, vt ſunt rudes, ignari, opifices, non poſſunt per ſe ſcripturas legere, vel intelligere, iam nihil debent credere, quia ſi neſciant ſcripturam, neſcient quid ex ipſa credendum, deinde huc redit immenſus ille labor diſt. præced. ſect. 1. recenſitus. Contra tertio ſi numerus credendorum, à quolibet eſt formandus ex ſcriptura, ergo delendæ ſunt omnes confeſſiones reformatæ, ablegandi ſunt Miniſtri, & quiſque ſibi ipſi eſt in hoc negotio relinquendus: interim qui hunc numerum formare nequeunt, iterum eximuntur à credendo.

§. IV. Sed rurſus crambem recoctam apponunt reformati, aiuntque, quidquid ſit de articulis neceſſarijs, hoc ſcimus nihil eſſe credendum de articulis Eccleſiæ Romanæ. Contra peto, cur articuli Eccleſiæ Romanæ, non ſunt neceſſario credendi? vel enim ideò non debent credi, quia ipſa eos credit, & credendos proponit, vel quia prætendunt reformati, eos non legi in ſcriptura euidenter, & expreſſe? ſi primum, iam non debent reformati credere myſteria Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, vel quidquã de Symbolo Apoſtolico, quia hæc omnia credit Eccleſia Romana, & credenda proponit. ſi ſecundũ, neq; adhuc debent præfata myſteria credere; niſi illa euidenter, expreſsè, ac de verbo ad verbũ legant in ſcripturis, ſed nõ ita euidenter leguntur in ſcripturis, vt patet experientia tot diſſidiorũ, quæ à morte Chriſti ſingulis ſucceſſiue ſæculis, circa præfata, & alia Myſteria mouebantur, & mouentur: vnde per hanc regulã, eximũt reformati à credendo, omnes illos, qui dicunt ſe præfata myſteria non legere, nec videre clare, & euidenter in ſcriptura, & ſic excuſantur Iudæi, Ariani, & alij hæretici, ac infideles. Dicunt iterum aliqui reformati, articulos

neceſſarios contineri quidem clare, & euidenter in Biblijs, ſed obſtinationem, vel paſſionem particularem huius, vel illius impedire, ne ſic videantur. Contra primo, vel illa euidens continentia articulorum neceſſariorum, conſtat, & probatur per particularem cuiuſlibet experientiam, vel tantum conſtat, & probatur ex dicto reformatorum? hoc ſecundum admitti non debet, quia nulli mortalium in negotio fidei, vel ſalutis, ſecundum reformatos, eſt credendum, niſi dictum iſtud, ad limam ſacri codicis à quolibet, & qualibet expendatur; deinde ſic non ſcriptura, ſed dictum reformatorum eſſet illa euidens neceſſariorum regula. ſi primum, redeunt ſupradictæ omnes inſtantiæ, & tandem omnes, qui negarent ſibi, per ſuam experientiam, conſtare hos vel illos articulos contineri euidenter in ſcriptura, eximerentur à credendo, & ita omnes excuſarentur infideles: cum igitur reformati per hanc euaſionem, non aſſignent articulos neceſſarios, neſciunt adhuc quid ſit determinate credendum, aut quare, atq; adeo ſtatuere pro regula neceſſariorum, euidentiam ſcripturæ, & oppoſitionem in articulis credendis cum Romana Eccleſia, eſt neſcire quid ſit credendum, & mortales omnes eximere à credendo. hinc ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Religio reformata ex proprijs principijs dubitat, an vllus articulus eiuſdem reformationis, ſit neceſſarius ad ſalutem.

§. I. REpeto iterum, ex mente, & principijs reformationis (vt nunc ſileam Romanam Eccleſiam) Religionem Chriſtianam, conflari ſolummodo ex articulis neceſſarijs, qui ſecundum eandem reformationem, legi debent euidenter in Biblijs, vnde qui non ſcit, qui ſint articuli neceſſarij, vtique neſcit Chriſtianam Religionem, & qui hanc ignorat, Chriſtianus dici nequit, quod ſi reformati ignorent articulos neceſſarios, ignorant vtique Religionem Chriſtianam, atque adeo Chriſtiani verè dici non poſſunt; totum autem eiuſdem Religionis negotium, pendere ex ſcientia vel ignorantia articulorum neceſſariorum, fatentur ex reformatis nonnulli, ſcilicet Theologi Bremenſes, in ſy-

nodo

nodo Dordracena pag. 310. dicentes diſtinguenda eſſe neceſſaria à non neceſſarijs, *quæ ſine æquitate*, inquiunt, *nunquam vel in Eccleſijs, vel in ſcholis vlla pax ſeruari poteſt*: ſi nulla pax, ſine illa diſtinctione ſperari poteſt in Eccleſijs, nulla ſimiliter Religio ibi ſperari poteſt, vbi non deſignantur articuli neceſſarij: quare Eilbrachtus via compend. cap. 4. teſtatur reformatos, tanti facere hanc diſtinctionem neceſſariorum, à non neceſſarijs, vt iuxta hanc ſtatuendum putent de vita, & morte Eccleſiæ, vnde ſequitur ad veram Religionem colendam, requiri diſtinctam ſummam neceſſariorum.

§. II. Illa autem Eccleſia vel congregatio, quæ in ſuis principijs, fatetur ſe adhuc neſcire, qui ſint articuli neceſſarij: eoſque non poſſe deſignari, fateatur neceſſe eſt, ſe carere articulis neceſſarijs, & omni proinde Religione, quæ ex ſolis articulis neceſſarijs, ſecundum reformatos conflatur: hoc autem reformatorum coriphæi candide agnoſcunt, & in primis. Muſæus de conuerſione hominis peccatoris diſp. 9. cap. 4. aſſerit *difficile eſſe, quæ creditu ad ſalutem neceſſaria, & quæ non neceſſaria ſint, determinare, & diſſentiri inter ſe Doctores Proteſtantium*: ſi difficile eſt reformatis determinare articulos; difficile pariter illis erit docere, vel proponere quidquam in cauſa Religionis credendum: hanc eandem neceſſariorum determinationem, eſſe difficilem fatetur Iaſchius reformatus exam. motiu. pag. 36. Ioannes Pappus contra Sturmium, apud Schluſellberg. theol. cal. lib. 1. art. 28. Melanchton in Concl. theol. pag. 249. Beza in Epiſt. theol. Epiſt. 2. ad Duditium: Caluinus in 2. defenſ. aduerſus VVeſtphalum. Oſiander ad annum 1582. deinde reformati contra ſe inuicem, de doctrina neceſſaria acerbiſſimè, & contentioſiſſimè ſcripſere, pluſquam trecenta octoginta volumina, quorum catalogum videre licet, apud Ioan. Brerlæum in fine Apologiæ Proteſtantium: præterea reformatos nondum inter ſe conueniſſe, de numero articulorum neceſſariorum, luce meridiana clarius demonſtrant variæ illorum Confeſſiones, pro diuerſitate locorum, & nationum reformatarum editæ, quæ nec numero, nec ſenſu, nec ſententia inter ſe conueniunt, vocantur tamen articuli fidei, ab ipſis reformatis, quin imò toto cœlo inter ſe differunt; quod ſi omnes iſtæ confeſſiones ſint neceſſariæ ad ſalutem, certè reformati contradictoria credunt, cum quod vna dicit, altera vel ſilet, vel negat, vel contrarium ſtatuit, vt infra notabo.

§. III. Neque tamen his ipſis Confeſſionibus, volunt reformatorum ſupercilia ſe ſubmittere, quin ijs liceat ſupra illas ſapere, & ſuos etiam neceſſarios articulos deſignare; quarè in Theologia Confeſs. Auguſt. in compend. art. controuert. art. 3. dicitur. *Paruus, & magnus Catechiſmus Lutheri, ſunt Laicorum Biblia, & continent omnia, quæ Chriſtiano ad ſalutem ſunt neceſſaria.* Sed contra ſentit Hoffmannus offic. theol. loc. 99. de Eccl. theſi 7. *Qui articulos ſymboli apoſtolici nominant, & fundamentum eſſe volunt, grauiter ſtatuunt, habentque Athanaſianum ſymbolum &c.* non probat ex integro Hoffmanni ſententiam Balthazar Meiſnerus, in conſult. theol. parte 1. pag. 5. quin aſſerat *ſufficere Laicis articulos ſymboli apoſtolici credere, etiamſi reliquos ignorent.* ergo etiam decalogum, & ſacramenta ignorare poſſunt, ſi vera dicit Meiſnerus: quem tamen corrigit Amſdorſius in præfatione in opera Lutheri, & vult *neminem determinaſſe melius, membra Chriſtianæ doctrinæ, quam Lutherum, inter quæ*, inquit, *elucent hi articuli, velut gemmæ, nempè de Trinitate, de Incarnatione, de Omnipotentia Dei, de gratuita remiſſione peccatorum, data credentibus Euangelio, de patefactione Antichriſti*: Differt ab Amſdorfio Calouius Comment. in Auguſt. Confeſs. Epiſt. dedicat. putatque Lutherum, non ſat enumeraſſe neceſſaria, addit idcircò ſequentia, nempe, *Deum non eſſe authorem peccati, peccatum originis eſſe peccatum, Chriſtum eſſe vbique* in quibus tamen candidè fatetur, tantum eſſe diſſenſum inter ſententiam affirmatiuam, & negatiuam, ſed ſupra præfatos authores, erigit ſe Gregorius Calixtus, in reſponſ. ad Theol. Mogunt. num. 139. aſſerens, neceſſarium eſſe ad ſalutem, *credere ſymbolum Apoſtolicum, Nicænum, Conſtant. Athanaſij, Anathematiſmos Epheſini, Confeſſionem Calcedonenſem, & quæ oppoſuerunt hæreticis ſuorum temporum, ſexta ſynodus, Affricana Concilia, Arauſicanum.* Sed carpit Calixtum Hulſemannus dialys. apolog. probl. Calixt. num. 31. inquiens, *latet adhuc aliquid in determinatione obiectorum, ad ſalutem conſequendam creditu neceſſariorum, quod Calixtinis oculis nondum patuit.* Huberkornius in Antiualeriano, numerat orationem Dominicam, Decalogum, Baptiſmum, Euchariſtiam, Catechiſmum: Heidelbergenſis Catechiſmus ait, tria eſſe creditu neceſſaria, nempè *peccati magnitudinem, modum liberandi ab ipſo, & gratiam reddendam pro ea liberatione*: Quid plures recenſeam? vix duos è tota reformatione inuenias, qui in numero neceſſariorum determinando, inter ſe conueniant.

§. IV. Qua-

§. IV. Quare hic merito reformati, miſerabiliter in negotio Religionis fluctuantes exclamare poſſunt, cum quodam ſuperintendente Cantuarienſe, repentina morte præuento anno 1604. & vociferante: *Bone Deus, quando ſciemus, quid credere debeamus?* imò, & ingeminare illud ipſum, quod per riſum ſardonicum, oggerunt Catholicis; *poſitus in medio, quo me vertam, neſcio*: Videant modo in ſua reformatione, quo ſe vertant? videant quid credant, & quarè? cum enim velint omne dogma neceſſarium contineri in ſcriptura clarè, & euidenter; & ibi dogmata ſuæ reformationis nuſquam inueniant: ſanè illa eadem, iuxta eorum ſententiam, non erunt neceſſaria; contendunt, vt vidimus, variantque de numero articulorum neceſſariorum, inter ſe reformati, dicunt ea contineri debere clarè, & euidenter in Biblijs, huic ſententiæ per praxim oppoſitam contradicunt: nam tot libros, de neceſſarijs ſcribunt, tot altercationes miſcent, vndè mira res eſt, quod de rebus iudicio ipſorum, tam euidentibus, tam implacabiliter diffideant, quod probat, ſic diffidentes, vel mentiri in eo, quod dicant dogmata neceſſaria in ſcriptura clarè contineri, vel inſanire, quod de rebus tam claris contendant. Vnde rurſus ſic; vel omnes ſententiæ ſuperius relatæ, de numero, & neceſſitate articulorum credendorum ſunt veræ, vel non? ſi omnes ſunt veræ, ergo duæ ſententiæ contradictoriæ ſunt ſimul veræ; nam, vt in ſententijs citatis videre licet, quod vna affirmat, altera expreſsè negat, & in primis ipſæ confeſſiones, vt ſuperius monui, neque in numero, neque in phraſi, neque in ſenſu conueniunt, vt euidenti experientia patet precurrendo ſingulas confeſſiones: impoſſibile eſt autem duo contradictoria, eſſe ſimul vera, vt lumine naturæ notum eſt, atque adeò impoſſibile eſt, quod omnes illæ ſententiæ ſint veræ, ergo ſimiliter impoſſibile eſt, vt quis omnibus, & ſingulis præfatis ſententijs tanquam veris affirmatiuè, & poſitiuè aſſentiatur: ſi autem non omnes ſunt veræ, ſed vna ex omnibus, peto quænam eſt illa, quæ ſit ex omnibus vera, & ſequenda de numero, & neceſſitate articulorum credendorum ſenrentia?

§. V. Cur credendum Gallicæ Confeſſioni potius, quam Helueticæ, vel Auguſtanæ, aut VVittenbergicæ? cur his potius quam Anglicæ, Scoticæ, Belgicæ, Bohemicæ, vel Polonicæ? per quam regulam diſcernat quis, quænam ex omnibus iſtis ſit vera ſententia, quæ verum numerum neceſſariorum aſſignet? Remanent ergo reformati adhuc dubij, quinam ſint articuli neceſ-

ſarij, & ſic nemo interim debet quidquam de reformatione credere, vt ſic oſtendo: Nemo enim tenetur credere neceſſariò, quod nondum eſt determinatum neceſſarium ad credendum: ſed nondum eſt determinatum a reformatis, quales ſint articuli ex reformatione neceſſario credendi, ergo nemo debet quidquam de reformatione credere: deinde non omnes articuli Confeſſionum reformatarum, vel in libris Reformatorum inſerti, ſunt neceſſarij, ſi enim eſſent, iam intolerabile iugum immineret ceruicibus reformatorum, ſi tenerentur omnes illos credere, & aliundè remanet dubium quinam ex tot ſint præciſè neceſſarij, quo dubio perſeuerante, tenendum eſt, nihil de reformatione eſſe neceſſariò credendum: adeoque reformationem non eſſe veram, aut Chriſtianam Religionem, quæ caret notitia articulorum neceſſariorum, ſed ſufficit, inquiunt aliqui reformati, ſi quiſque adhæreat Confeſſioni ſuæ nationis. Contra ſit.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo Confeſſiones reformatæ declarent, ſe non continere Dogmata Salutis.

Reformati, vt ſæpius vidimus, ſua etiam ſymbola, ſuas Confeſſiones fidei habent, de quibus ſic ſtatuit Dordracena prior ſynodus anno 1574. num. 28. *Presbyteri, & Diaconi, poſtquam in ſuo miniſterio fuerint confirmati, Confeſſioni fidei, & articulis diſciplinæ ſubſcribant*: & Acta ſynodi Belgicæ, Germanicæ, Gallicæ anno 1578. cap. 3. de ſcholis num. 49. *Profeſſores Theologiæ fidei Belgicæ ſubſcribant*: Concilia Eccleſiarum reformatarum Franciæ, habita Pariſijs, Pictauiæ, Aureliaci, Lugduni ab anno 1559. ad annum 1603. tit. de Miniſtris verbi. num. 9. *Illi, qui fuerint electi, Confeſſioni fidei ſubſcribent, inter nos facta, in Eccleſia vbi fuerint electi, quam apud alios, quo fuerint miſſi*. & diſciplina Eccleſiaſtica earundem Eccleſiarum tit. de Miniſtris num. 5. *hortabantur eos*, ſcilicet Miniſtros, *ad ſubſignandum Confeſſioni fidei, quod ſi noluerit* (ſcilicet Miniſter aliquis) *ſubſignare, declarabitur ſchiſmaticus*. volunt igitur reformati vt ſubſcribatur ſuis Confeſſionibus, tanquam formulis fidei, & doctrinæ Chriſtianæ, hanc tamen in iſtis Confeſſionibus non haberi, oſtendam ex earundem Confeſſionum tenore, & ſit.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

Confeſſio Anglica, Scotica, Gallica, Belgica agnoſcunt, ſuos articulos, non eſſe Dogmata Chriſtianæ Religionis.

§. I. QVales debeant eſſe articuli, qualia dogmata Chriſtianæ fidei, declarat inprimis Anglicana Confeſſio art. 6. *Sacra*, inquit, *ſcriptura continet omnia neceſſaria ad ſalutem: ita vt quidquid in ea non legitur, vel per illam non probatur, non debeat requiri a quoquam, tanquam articulus fidei, aut quid neceſſarium ad ſalutem.* Sed iugulat ſtatim ſe ipſum hic articulus, ſequentibus verbis; *Per ſcripturas intelligimus, canonicos libros veteris, & noui teſtamenti, de quorum authoritate, nunquam fuit dubitatum in Eccleſia.* in prima parte articuli, vult rationem omnium credendorum petendam eſſe ex ſolis ſcripturis: in 2. parte, vult rationem credendi ſcripturas eſſe canonicas, non ex ipſis ſcripturis petendam, ſed ex eo quod, de illis in Eccleſia, nunquam fuerit dubitatum, atque adeò prima pars articuli contradicit ſecundæ, ſed duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera; ſi igitur prima pars eſt vera, falſa eſt ſecunda: nam ſi ratio credendorum petenda eſt, ex ſola ſcriptura, vt vult prima pars, non erit petenda ex authoritate, *Eccleſiæ*, quod tamen vult ſecũda pars, ſi autem hæc ratio peti etiã debet ex prædicta Eccleſiæ authoritate, non erit petenda ex ſola ſcriptura; atque ita falſa eſt prima pars, dicens omne dogma neceſſarium contineri in ſcriptura, cum hos, & illos libros eſſe canonicos, ſit dogma neceſſariò credendum, quod tamen nullibi in ſcriptura legitur.

§. II. Sed pergamus, ad limitationem additam ibidem, nempè Dogmata neceſſaria debere ſaltem probari, per ſcripturas, certè latet anguis in iſta herba: quæro autem quomodo, aut per quem fieri debet iſta probatio? vel enim facienda eſt per textus expreſſos, & euidentes, (vt aiunt reformati) qui dicunt hoc dogma eſſe neceſſarium, vel per collationem textuum ad inuicem, vt vnus textus dicat, alium textum citatum ſic intelligi, vel denique talis probatio facienda eſt per gloſſas, & conſequentias, quas ſinguli, & ſingulæ de ſuo cerebro, & priuato

ſcrip-

ſcripturæ ſcrutinio formant: ſi primo modo fieri debeat iſta probatio, nullus articulus controuerſus, vel ſpecialis Confeſsionis Anglicanæ, eſt neceſſarius ad ſalutem, quia nullus eſt textus, in tota ſcriptura, qui clarè, & expreſsè dicat, vllum talem articulum Confeſsionis Anglicanæ, eſſe dogma neceſſarium, vt pèrcurrenti ſcripturam, & eandem Confeſsionem patet: ſi debet fieri 2. modo, ſcilicet, per collationem textuum, adhuc prædicti articuli confeſsionis Anglicanæ, non ſunt neceſſarij, nam nulli textus ad inuicem collati faciunt mentionem de præfatis articulis, vt experientia conſtat: ſi autem fieri debeat illa probatio, per gloſſas, & conſequentias, non ſubſiſtunt ijdem articuli, cum iuxta reformationis regulam, non legantur in ſcriptura: Deinde hæc Confeſsio art. 17. 20. & 21. vult dogmata credenda, depromenda eſſe ex ſcriptura, vel declarari ex Biblijs deprompta, atque adeò paſsim reijcit Miſſam, Purgatorium, quinque ſacramenta, cultum ſanctorum, quia prætendit hæc confeſſio, iſta non inueniri in ſcriptura; ſed vt manifeſtè patet, nullus articulus huius Confeſſionis in ſcriptura, neque per ſcripturam probatur, ſicut probatur v. g. Incarnatio, Diuinitas Verbi, Reſurectio &c. Rurſus illę gloſſæ, & conſequentiæ, ſunt neceſſariò fallibiles, ex mente huius Confeſſionis art. 19. 20. & 21. impingentis fallibilitatem, & errores Eccleſiæ, & Concilijs, fallibilis autem gloſſa, vel conſequentia facta à reformatis, non poteſt eſſe fundamentum articuli infallibilis, & neceſſariò credendi: tandem ipſa Confeſſio art. vltimo fatetur ſe non eſſe ſummam doctrinæ Chriſtianæ, declarans hos articulos admitti intra limites Regni, ſcilicet, Angliæ, ſed Chriſtiana Religio, ex ipſius Chriſti inſtituto, eſt communis omnibus hominibus Matth. 28. *Docete omnes gentes*: hæc autem Confeſsio limitatur, ad ſolam Angliam, Scotia enim habet ſuam confeſsionem, & conſequenter præfata iſta Anglicanæ reformationis confeſsio, non eſt ſumma illa Euangelij, quæ debet proponi humano generi, atque adeo non eſt Confeſsio Religionis Chriſtianæ neceſſariò credenda, ſed illuſio fallacis cerebri, nuſquam deſcendens a patre luminum, viderint reformati Angli, a quo prodierit: ego interim affirmo, eam non fluxiſſe a ſpiritu ſancto.

§. III. Prodit Scotica prior Confeſsio art. 18. *Doctrina, quæ in noſtris Eccleſijs docetur, Verbo Dei ſcripto continetur, videlicet in libris veteris & noui teſtamenti, in quibus credenda ſufficienter, & expreſsè continentur*: Magna promittit iſta Confeſsio, & tamen ſuam

ſuam fidem ſanè non liberat; vel enim quæſtio eſt de continentia formali, & expreſſa, ſi ſic: nullus articulus huius Confeſſionis, inuenitur expreſsè in præfata ſcriptura, ad quam etiam ſolam pro articulis credendis, prouocat poſterior Confeſsio, cuius tamen, ne vnica quidem ſententia in Biblijs reperitur, vt intuenti, & percurrenti vtramque Confeſsionem patet; vel quęſtio eſt de continentia virtuali, ſiue quoad ſenſum, & interpretationem ſcripturæ, factam ab authoribus huius confeſsionis, ſi ita eſt, ſtatim corruit a prærogatiua doctrinæ Chriſtianæ iſta Confeſsio: nam ibidem ait, *Scripturæ interpretationem, neque ad priuatam, aut publicam perſonam pertinere, neque ad Eccleſiam aliquam*, (Ergo neque ad Scotiam) *propter præeminentiam, aut prærogatiuam quamcumque perſonalem, vel localem, quam vna ſuper aliam habet, ſed hanc eſſe ſolius ſpiritus Dei, per quem Sacra Scriptura, litteris ſunt mandatæ.* Damnat igitur ſe ipſam iſta Confeſsio: nam ſi prætendant reformatiScoti,eam fundari in interpretatione ſcripturæ, facta à Miniſtris, & Parlamento Scotiæ, tali interpretationi, iuxta ipſius Confeſsionis declarationem iam ſupra factam, non eſt credendum, vnde ſi ea ſola eſt doctrina credenda, quæ vt vult iſta Confeſsio, continetur verbo Dei ſcripto vel interpretatione ſcripturæ, non ab vllo homine, vel Eccleſia, ſed a ſolo ſpiritu Dei facta, certè neque hæc prior Confeſsio, neque poſterior, eſt doctrina credenda, cum nè vnus quidem articulus ex viginti quinque, quos continet prior, neque vlla ſententia contenta in poſteriore Confeſsione, legatur in verbo Dei ſcripto, aut in vlla interpretatione facta a ſolo ſpiritu Dei: Vnde diræ, quas poſterior Confeſsio, in Romanam Eccleſiam euomit, in has ipſas Confeſsiones, tanquam in errorum farraginem, iure merito vibrandæ ſunt.

§. IV. Sequitur Gallica Confeſsio conflata ex 40. articulis, & ſic inſcripta: *Confeſſio fidei communi conſenſu, eorum Francorum facta, qui percupiunt ſecundum puritatem Euangelij, vitam inſtituere*: ſed in ſuum ipſa mucronem incurrit, vt patet incipiendo ab ipſa præfatione; non enim dicitur Catholica, vel Apoſtolica, imò nec Chriſtiana, ſed tantum Gallica, ſeu Francorum: non eſt igitur antiqua illa Apoſtolorum fides, vel profeſsio: fatetur id ipſamet art. 31. *Oportuit & hoc potiſſimum tempore, vt Deus modo extraordinario homines excitaret, qui de nouo Eccleſiam erigerent;* Eſt igitur Confeſsio Eccleſiæ de nouo erectæ. ſi noua eſt, certè Chriſtiana, Catholica, vel Apoſtolica non eſt; qualis igitur Eccle-

Eccleſia, talis confeſsio, Eccleſia iſta reformata, neque Catholica, vel Apoſtolica eſt, ergo neque Confeſsio; dicitur enim conſenſus, non Apoſtolorum, ſed Confeſſio, non a Chriſto inſtituta, ſed a Francis facta: ſed quia addit, qui volunt, ſecundum puritatem Euangelij viuere, videndum, an hæc Confeſſio ſit ex eodem Euangelio; non, ſi expendatur ad limam, & legem ipſius Confeſſionis; quæ art. 2. ait, Deum ſe manifeſtaſſe hominibus, per verbum ſuum ſcriptum; art. 5. dicit hoc verbum eſſe regulam totius veritatis, continens quidquid eſt neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ.

§. V. Atqui nullus articulus huius confeſſionis legitur, vel reperitur in ſcriptura, atque adeò nullus articulus eius erit neceſſarius ad ſalutem; quod ſi reformati Galli recurrent, ad gloſſas vel conſequentias pro ſuis articulis, adhuc illi articuli non eſſent neceſſarij, iuxta eiuſdem Confeſsionis præfationem dicentem: *ita reuerenter ſunt nobis habenda Dei verba; vt nihil illis de noſtro adijciamus.* ergo quidquid de ſuo addunt reformati, ad Dei verba, non ſunt Dei verba: ſed totam hanc confeſsionem addunt reformati de ſuo, ad Dei verba, ergo nihil de tota hac Confeſsione eſt Dei verbum: Maior, & minor patent ex præfatione dicente: *Confeſſio fidei communi eorum Francorum conſenſu facta &c.* hic autem conſenſus eſt de ſuo: rurſus art. 4. ait, per ſpiritum internum reformatorum: diſcerni libros Canonicos, ab alijs libris Eccleſiaſticis, ſuper quibus non poteſt fundari articulus fidei: ſed hæc Confeſsio, vt euidenter conſtat, non eſt ſcriptura canonica, atque adeo, nullum articulum fidei fundare poteſt: item art. 5. ait, non licere addere quidquam ſcripturæ canonicæ; hæc autem Confeſsio eſt addita ſcripturæ, quæ ſola ibidem continet dogmata ſalutis; ergo eſt illicita. Rurſus art. 24. ideò damnat interceſsionem ſanctorum, quia non licet aliter orare, quam vt in ſcriptura Matth. 6. & Luc. 11. præſcribitur, atque peregrinationes, vota monaſtica &c. prodijſſe ex officina Sathanæ, quia non inueniuntur in ſcriptura: ſed certum eſt, nullum articulum controuerſum huius confeſsionis inueniri in ſcriptura, ergo certum eſt totam hanc confeſsionem prodijſſe ex officina ſathanæ, & tanquam talem eſſe reijciendam: vt patet ex ipſamet art. 33. *Excludimus*, inquit, *omnes hominum inuentiones, cunctaſque leges, quas vellent introducere, ſub diuini cultus prætextu, quibus vellent conſcientias obligare*: Excludenda igitur, & reijcienda eſt iſta confeſsio, cum ſit hominum inuentio, & lex communi

ni eorum Francorum conſenſu facta &c.hinc quidquid non poteſt hominum conſcientias obligare, non eſt neceſſarium ad Dei cultum, vel ſalutem animæ, vt de ſe patet; hæc confeſsio, cum ſit hominum inuentio, facta communi Francorum reformatorum conſenſu, iuxta propria verba, non poteſt obligare hominum conſcientias, atque adeò non eſt neceſſaria ad Dei cultum, & ſalutem animæ, eſt ergo deteſtanda, & reijcienda.

§. VI. Supereſt Belgica Confeſſio, quæ art.7. dicit cum Gallica, ſcripturam perfecte, & ſufficienter continere omne Dogma neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, & omnem diuini cultus rationem in eadem ſcriptura fuſiſſime deſcribi: *nulli proinde homini licere aliter docere, quam in ſacris litteris, iam pridem edocti ſumus*: illud igitur ſecundum hanc confeſſionem erit neceſſarium ad Dei cultum, & ſalutem animæ, quod in ſcriptura perfecte, & ſufficienter continetur, in qua omne neceſſarium fuſiſſime deſcribitur, ſine recurſu ad gloſſas, & conſequentias, nam ſi ad tales recurreretur, iam aliquid ſuperadderetur ſcripturæ, quod infra ſtatim damnat eadem Confeſſio dicens, vetitum eſſe ne quis Dei verbo quidquam addat, vel detrahat: atqui indubitatum eſt, ne vnum articulum huius Confeſſionis, vel contineri, vel legi, vel deſcribi in ſcriptura, vt experientia legentis ipſam ſcripturam conſtat, & proinde tota addita eſt verbo Dei, vnde illicita ſit neceſſe eſt, iuxta propriam ſuam ſententiam. quod ſi prætenderent eius authores, eam fundari in expoſitione ſcripturæ ab ipſis facta, excluditur tamen à ratione doctrinæ neceſſariæ, à ſeipſa ſtatim infra, in eodem articulo: *ſed nec cum diuinis eiſdem ſcripturis vlla hominum, quantauis ſanctitate præditorum ſcripta, nec vlla conſuetudo, cum diuina veritate, neque Concilia, neque Decreta; neque ſtatuta comparari poſſunt*: ergo neque hæc confeſſio, cum ſit ſcriptum, decretum, ſtatutum hominum factum, in ſynodo Dordracena, ergo tandem non eſt doctrina neceſſaria, vel ad Dei cultum, vel ad ſalutem animæ, cum iuxta proprias ſuas leges, non inueniatur in ſcriptura, reſpuenda idcircò, tanquam quid additum verbo Dei, tanquam decretum, & ſtatutum hominum: pergo ad alias, & ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Auguſtana, & VVittenbergica ſe ipſas excludunt à ratione doctrinæ neceſſariæ.

§. I. PRodit ex Auguſtana fornace, iſta Confeſſio toties cuſa, & recuſa, de qua Iaſchius Lutheranus exam. motiu. pag. 34. *quid aliud*, inquit, *Auguſtana Confeſſio, quam articuli fidei præcipui?* & ipſa art. vltimo variato in fine; *Complexi ſumus ſummam doctrinæ euangelicæ neceſſariam Eccleſijs* &c. quam tamen Andreas Muſculus reformatus in colloq. Hetzberg. fol. 91. *Duodecies ante annum* 1578. *mutatam fatetur, & verſam, peruerſam, conuerſam, mutatam, deprauatam, mutilatam* Lutherani ipſi proclamant, ſcilicet ſpiritus, qui auſpicatus eſt, Religionem reformatam, hoc ſingulari pollere vult priuilegio, vt vertiginis præcipitio diruat, ædificet, mutet quadrata rotundis, vt quod heri dixit, hodie reuocet, aliudque ſubſtituat; certè hæc ipſa varietas, eſt manifeſtum indicium, hanc confeſſionem non eſſe ſummam doctrinæ euangelicæ, aut neceſſariæ, nullum enim dogma neceſſario credendum, eſt variabile, aut vlla hominum authoritate mutabile, ſed ſic eſt, quod dogmata huius confeſſionis ſint variabilia, & de facto mutata, non ſunt igitur neceſſario credenda. patet maior, dogmata enim neceſſariò credenda, ſunt, & debent eſſe diuinitus reuelata, quæ ſic autem ſunt reuelata, non poſſunt variari, vt patet Iſaiæ 40. *verbum Domini noſtri manet in æternum*: cum ergo Auguſtana hæc confeſſio, fuerit toties mutata, non erit doctrina reuelata, aut neceſſaria.

§. II. Quod patet ex decurſu ipſius Confeſſionis, quæ in præfatione ſic habet. *Offerimus in hac Religionis cauſa; noſtrorum Concionatorum, & noſtram Confeſsionem, cuiuſmodi doctrinam, ex ſcripturis ſanctis, & puro Dei verbo hactenus illi apud nos tradiderunt*, & art. de poteſtate Eccleſ. ante finem: *non id nunc agitur, vt de dominatione ſua cedant Epiſcopi: ſed hoc vnum petitur, vt patiantur euangelium pure doceri.* vbi ſupponit dogmata neceſſario credenda, ex puro verbo Dei ſcripto vtique ſumenda eſſe: nam verbum Dei traditum, non admittunt reformati, vt ex hac ipſa Confeſsione traditiones reijciente patet, vt habetur art. de poteſtate Eccle-

ſiaſtica. *poſſent Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi non vrgerent ſeruare traditiones &c.* art. de ritibus eccleſiaſticis: *Reijciuntur igitur traditiones, quæ ſine peccato ſeruari non poſſunt: reiſcitur & impia opinio de traditionibus, & votis* &c. ex quibus manifeſtè conſtat, hanc confeſsionem ſe reſtringere ad nudam ſcripturam, quoad articulos neceſſarios: proinde art. vltimo dicit doctrinam hanc depromptam eſſe ex puro Dei verbo: ſed nullus ex viginti octo articulis, quos complectitur hæc confeſsio, inuenitur in hoc Dei verbo, vt percurrenti patet, atque adeo nullus ex præfatis articulis, & præſertim controuerſis cum Romana Eccleſia, erit dogma neceſſarium, iuxta regulam præſcriptam ab eadem confeſſione, reſtringente neceſſaria ad verbum Dei ſcriptum.

§. III. Vt vlterius oſtendo: illa doctrina non eſt neceſſario credenda, quæ continet manifeſta contradictoria, ſed confeſsio Auguſtana, continet manifeſta contradictoria; ergo non eſt neceſſario credenda. maior de ſe patet, minor probatur ex ipſius Auguſtanæ Confeſsionis articulis: nam art. 6. variato ait, *neceſſario debet ſequi iuſtitia bonorum operum, quæ nobis Deus mandauit, ſicut Chriſtus præcepit*; ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata, *ſed quia tanta eſt infirmitas humanæ naturæ, vt nemo legi Dei ſatisfacere poſsit, neceſſe eſt docere hominem, quod non ſolùm obediendum ſit legi* &c. hæc eſt manifeſta contradictio, ſi enim nemo poteſt ſatisfacere legi, certè nemo etiam poterit obedire legi, ergo ſi Chriſtus præcepit ſeruare legem, & illi qui non poſſunt ſatisfacere legi, non poſſunt vtique ſeruare legem, iam præcepit impoſsibilia, quod eſt blaſphemum: vel ſi non præcepit impoſsibilia, iam poteſt quis ſatisfacere legi, ergo contradictoria eſt illa pars confeſsionis, quæ ait, neminem poſſe ſatisfacere legi, & rurſus ibidem dicit obediendum legi, & art. 13. *Damnant*, inquit, ſcilicet Eccleſiæ reformatæ, *eos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato iuſtificent*: & ſupra art. 9. de Baptiſmo, inquit, *docent quod per Baptiſmum offeratur gratia Dei, & quod pueri per Baptiſmum recipiantur in gratiam Dei*: & eodem art. variato, *quod pueri per Baptiſmum recipiantur in gratiam Dei, & fiant filij Dei*: ſed recipi in gratiam Dei, & fieri filium Dei, eſt iuſtificari; negat autem art. 13. vllum per ſacramenta iuſtificari; aſſerit hic art. 9. pueros iuſtificari per Baptiſmum: ergo hi duo articuli ſibi contradicunt, & conſequenter alteruter continet mendacium: item art. de bonis operibus ait, ſolam fidem iuſtificare, & per eam ſolam peccata remitti: art. 12. dicit *Pœnitentiam, in qua confertur remiſſio peccatorum*

conſtare duabus partibus, ſcilicet, fide, & contritione: ſi neceſſaria eſt contritio, non ſufficit ſola fides: item eodem art. dicit quod, Eccleſia debeat impertiri abſolutionem redeuntibus ad pœnitentiā & art. 20. dicit opera noſtra, non reconciliare Deum. ſi non reconciliant, vt quid abſolutio? vt quid pœnitentia? ſi quid valent pœnitentia, & abſolutio, ergo reconciliant, ergo iterum ſibi contradicit iſta Confeſsio.

§. IV. Denique articulos huius confeſsionis, non eſſe neceſſarios ad ſalutem, declarat definitio eiuſdem confeſsionis art. vltimo de poteſt. Eccleſ. *Relinquitur, cum ordinationes inſtitutæ, tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ iuſtificationis pugnent cum Euangelio, quod non licet vllis Epiſcopis tales cultus inſtituere, aut tanquam neceſſarios exigere, neceſſe eſt enim in Eccleſijs retineri doctrinam de libertate Chriſtiana, quod non ſit neceſsaria legis ſeruitus ad iuſtificationem, quod gratiam per fidem in Chriſtum conſequamur non per certas obſeruationes, vel cultus ab hominibus inſtitutos*. ſubſumo: ſed hæc Confeſsio inſtituta eſt ab hominibus, nempè à concionatoribus reformatis, vt ait prologus, tunc ſic: vel hæc confeſsio eſt lex neceſſario obſeruanda vel non? ſi non, iam non eſt dogma neceſſarium ad ſalutem, quod non eſt neceſſario credendum, vel obſeruandum: ſi primum, adhuc non eſt dogma neceſſarium, quia lex non eſt neceſſario obſeruanda, ex ſupra iam citatis, & præſertim ſi vera dicit iſta confeſsio, quod lex formata ab hominibus, qualis eſt iſta confeſsio, non ſit neceſſaria, omnis enim talis ſecundum eandem pugnat cum libertate Chriſtiana reformatorum, hæc autem confeſsio facta eſt ab hominibus, vt patet ex eius prologo, & ſubſcriptionibus Ducum Saxoniæ, Marchionis Brandeburgici, Principum Luneburgenſis, Heſſorum, Hanalt &c. qui homines vtique fuerunt, & vlterius patet ex eodem articulo variato dicente, *metæ conſtitutæ ſunt, inter quas, & authoritas Paſtorum, & noſtra obedientia conſiſtere debet, ſed has metas audaciſſimè tollunt Epiſcopi, qui triplicem ſibi arrogant poteſtatem, qua confirmant pernicioſiſſimos errores, videlicet, Regiam, ſeu prætoriam poteſtatem interpretandæ ſcripturæ, deinde poteſtatem inſtituendi cultus, tertio Regiam poteſtatem ferendarum legum*. vel igitur iudicio reformatorum hęc confeſsio habet vim legis chriſtianæ neceſſariæ Eccleſijs, vel non? ſi non, falſa eſt concluſio inferius addita: *Complexi ſumus ſummam doctrinæ euangelicæ neceſſariam Eccleſijs*. ſi primum, adhuc eſt reijcienda, quia ferre leges, arrogare poteſtatem interpretandæ ſcripturæ, inſtituere cultus, eſt confirmare pernicioſiſ-

ſimos

ſimos errores, inquit hæc Confeſſio, ergo hoc ipſo, quo ſe vocat ſummam doctrinæ neceſſariæ, ſtabilit pernicioſiſſimos errores, ne autem tales ſtabiliat, non erit neceſſaria, ſed deteſtabilis.

§. V. Suam contra ſe pronuntiat ſententiam VVittenbergica confeſſio. hæc cum alijs confeſſionibus tit. de ſcriptura ait, *manifeſtum eſt, quod omnia cognitu neceſſaria, in ſcripturis propheticis, & Apoſtolicis continentur*. qualis autem debeat eſſe iſta continentia, an formalis, an virtualis, declarat ipſa in fine articuli, *vera*, inquit, *ſententia ſcripturæ, quærenda eſt in ipſa ſcriptura: & apud eos, qui diuino ſpiritu excitati ſcripturam, per ſcripturam interpretantur*: ex mente igitur huius confeſſionis, dogmata neceſſaria ad ſalutem debent contineri in ſcriptura, nam illa verba, *vera ſententia ſcripturæ, quærenda eſt in ipſa ſcriptura*; innuunt præfata dogmata, debere ibi quæri, & legi expreſſe, & hic incipit primus lapſus confeſſionis VVittenbergicæ, per gradus præcipitij, nam ſi illa ſola eſt doctrina neceſſaria, quæ eſt ſententia ſcripturæ, & hæc ſententia debeat quæri, adeoque legi in ipſa ſcriptura, ſane hæc confeſſio non eſt doctrina neceſſaria, cum ne vnus quidem illius articulus cum Romana Eccleſia controuerſus, inueniatur vllo modo in ſcriptura, vt manifeſta experientia conſtat. Nec valet recurrere ad gloſſas, & conſequentias pro hac confeſſione fundanda, nam adhuc illæ deberent eſſe interpretationes ſcripturæ, per ipſā ſcripturam, vt dicitur citato art. atque adeò deberent eſſe textus expreſſi ſcripturæ, declarati per alios ſcripturæ textus: ſed articuli controuerſi huius confeſſionis, non ſunt textus ſcripturæ, vt intuenti patet, ſed ſunt verba hominum, Brentij conficta cerebro, vel ſi fidem habeamus præfationi, ſunt verba Concionatorum, vt declarat Dux Saxoniæ, inquiens. *Voluimus igitur vt hoc ſcriptum concionatorum noſtrorum, publice proponeretur, vt palam teſtarentur in noſtris Eccleſijs, non niſi veræ, Apoſtolicæ, Catholicæ & Orthodoxæ doctrinæ locum datum eſſe*. vt autem ſit talis doctrina, debet legi expreſſe in ſcriptura, vt ait ipſa Confeſſio; non autem ſic legitur, non eſt ergo Orthodoxa, vel Apoſtolica.

§. VI. Quod rurſus patet ex tit. de Eccleſia dicente: *Eccleſia ſic habet authoritatem iudicandi de doctrinis, vt tamen contineat ſe intra metas ſacræ ſcripturæ, quæ eſt vox ſponſi ſui, à qua voce nulli, ne Angelo quidem licet recedere*. vnde ſic: doctrina formata, quoad articulos controuerſos, ab authoritate ſe non continente intra metas ſcripturæ, & recedente à voce eiuſdem ſcripturæ, iuxta ſenten-

tentiam huius confeſsionis, non eſt doctrina neceſſaria, ſed doctrina Concionatorum VVittenbergenſium, in hac eadem confeſsione, quoad articulos controuerſos, eſt ſic formata, ergo hęc doctrina non eſt neceſſaria: maior eſt ipſorum, minor conſtat experientia: item in formandis articulis neceſſarijs, vel licet recedere à metis, & voce ſcripturæ, vel non? ſi primum, fallit regula Concionatorum VVittenbergenſium, & Sereniſsimi Ducis, ſi ſecundum, ergo articuli VVittenbergenſes non ſunt neceſſarij, quia recedunt a prædicta voce, ſi autem recurrant ad ſcripturarum expoſitiones, illæ ſunt fallibiles ex eadem confeſsione tit. de ſcriptura, & tit. de Concilijs, quibus locis negat donum infallibilitatis, cunctis hominibus, vultq; omnium hominum ſententias exigendas, ad limam, & normam ſcripturæ, tanquam ſuſpectas de errore, vt quilibet merito de hac ipſa confeſsione ſuſpicari poteſt, cum ibidem dicat, quod Spiritus Sanctus non faciat populum ſuum impeccabilem, & præſertim populum reformatum, ex profeſſo fallibilem: ſed relinquat in eo multas imbecillitates: erant ergo Concionatores VVittenbergenſes, in hac formanda confeſsione, peccabiles, & imbecillitatibus obnoxij; & ſi, eadem confeſsione, eodem tit. de Concilijs, nullius hominis ſententia pro oraculo Spiritus Sancti recipienda ſit, multo minus hæc cõfeſsio, vtpote ex proprio ore carens cõditionibus doctrinę neceſſariæ, atro proinde notanda lapillo. ſed audiantur alię, & ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Cæterarum Confeſsionum articulos, nullo modo ſpectare ad Chriſtianam Religionem, fatetur vnanimis eorumdem conſenſus.

§. I. Conquerebantur olim reformati, de Romana Eccleſia, quod multiplices articulos, ritusque obſeruandos proponeret, qui non legebantur expreſſe in ſcripturis, multiplices nihilominus edidere reformati articulos: nam præter enumeratas ſuperius Confeſsiones, plures aliæ reformatæ exſtant: nempe, Heluetica prior ex triginta conflata capitulis, poſterior ex viginti octo, Baſileenſis ex 12. Czengerina in Polonia ex vndecim. altera einſdem reformationis ex 19. Argentinenſis ex 23. Saxonica ex totidem: Confeſsio Comitis Palatini ex pluribus paragraphis.

Bohe-

Bohemica ex 20. articulis. Anglicana prior ex 24. Confeſsio Cyrilli Lucaris pſeudopatriarchæ Conſtantinopolitani ex 18. excuſa Geneuæ, & Tiguri. Conſenſus (diſcors vtique) Eccleſiarum reformatarum maioris, & minoris Poloniæ, Lithuaniæ, ac Samogitiæ, in ſynodo Sendomirienſi anno 1570. Confeſsio generalis earundem Eccleſiarum anno 1645. quibus addenda Dordracena ſynodus in Hollandia anno 1618. & 1619. habita, cui interfuere, & ſuæ approbationis calculos appoſuere Theologi reformati Galli, Angli, Germani, Hollandi, ex quibus omnibus ſumma doctrinæ reformatæ aſcendit ad aliquot centenos articulos, quibus addunt omnes pene reformatæ Confeſsiones, ſymbolum Nicænum, Athanaſij, alij confeſsionem Epheſinæ Synodi, alij Calcedonenſem, alij definitiones quatuor primorum Conciliorum, alij Affricanarum ſynodorum decreta; tantæ ſcilicet molis erat, reformatam condere Religionem, vt in tantam dogmatum molem excreſceret, & ſequacibus ſuis Phariſaicum iugum imponeret, vel eoſdem in apertam phrænefim, & deſperationem induceret, dum ignorant, quam confeſsionem, quos articulos ex iſtis omnibus debeant profiteri: De quibus inter mala multa, quæ ſcripſit Marcus Antonius de Dominis, hoc benè dixit lib. 7. cap. 12. *Confeſsiones*, inquit, *longæ, copioſæ, & multarum theologicarum diſputationum deciſionem continentes, pro ſymbolis, regulis, & formulis fidei, neque haberi, recipiue poſsunt, neque proponi debent*, quod verißimum eſſe de præfatis confeſsionibus fatentur ipſæ ad ſuas potiſsimum regulas expenſæ.

§. II. Fert ergo de ſe ipſa ſententiam Heluetica prior cap. 1. de ſcriptura. *In ſcriptura ſancta habet vniuerſalis Chriſti Eccleſia, pleniſsime expoſita, quæcumque pertinent, cum ad ſaluificam fidem, tum ad vitam Deo placentem recte informandam*: & ne quis putet, eandem confeſsionem relinquere, in hoc doctrinæ credendæ negotio, locum expoſitionibus Conciliorum, Patrum, vel vllius hominis, ait, de omnibus eiuſmodi cap. 2. *Non patimur nos in controuerſijs Religionis, vel fidei cauſis, vrgeri nudis Patrum ſententijs, vel Conciliorum determinationibus, non alium ſuſtinemus in cauſa fidei iudicem, quam ipſum* Deum, *per ſcripturas ſanctas pronuntiantem quid verum, quid falſum*. Heluetica poſterior cap. 1. *ſcriptura canonica pietatem omnem, omnem vitæ rationem ſola perfecte continet*: cap. 2. *huius interpretatio, ex ipſa ſola petenda eſt, vt ipſa interpres ſit ſui*: Confeſsio Baſileenſis art. vltimo *Hanc confeſsionem iudicio ſacræ biblicæ ſcripturæ ſubijcimus, eoque pollicemur, ſi ex prædictis ſcripturis in me-*

lioribus

lioribus inſtituamur, nos omni tempore Deo, & ſacro eius verbo obſecuturos: iudicium autem biblicum hic, eſt particulare cuiuſlibet hominis ſcripturæ ſcrutinium, cui ſe ſubijcit iſta confeſsio, vnde manifeſte infertur hanc doctrinam non eſſe neceſſariam, quæ adhuc indeterminata manet, & relinquitur examini cuiuſlibet, an re vera ſit in ſcriptura, vti non eſt, atque adeo neminem obligat. ſuccedit Argentinenſis cap. 1. *Mandauimus ijs, qui concionandi apud nos munere fungebantur, vt nihil aliud, quam quæ ſacris litteris, aut continentur, aut innituntur, e ſuggeſtu doceant*: eo ſcilicet pacto, vt putauerit iſta confeſsio cap. 17. *eoſdem Concionatores, vocem paſtoris noſtri*, nimirum Chriſti, *annuntiaſse*. tota autem hæc confeſsio, eſt alieniſsima ab ipſa voce, vt intuenti patet. Saxonica cap. vltimo. *Sentimus vere, hanc eſse puram, & incorruptam doctrinam Eccleſiæ Domini Ieſu Chriſti, congruentem cum ſcriptis Apoſtolicis, & propheticis, & neceſsariam eſse Eccleſijs*. putant iſti hanc confeſsionem eſſe conformem ſcripturis, conformitas autem eſt relatio duorum extremorum ſimilium, ſed percurrat quis hanc confeſsionem a capite ad calcem, eamque cum ſcriptura conferat, in articulis controuerſis, nullam ſimilitudinem, conformitatem, vel proportionem inueniet verborum, vel ſententiarum ad verba, ſententias, vel textus ſcripturæ, ne autem putetur fundare velle ſuos articulos in expoſitionibus, quæ fierent in ſynodis vllis, generalem de omnibus fert ſententiam cap. de Eccleſia, *Non ſunt in Eccleſia*, inquit, *qui dicunt ſynodos, in quibus ſoli Epiſcopi dicunt ſententiam, non poſse errare*: eandem regulam pro doctrina neceſſaria præſcribit confeſsio Comitis Palatini. §. *hac mea confeſsione*: item confeſsio Bohemica art. 1. dicens omnia neceſſaria petenda eſſe ex ſcripturis: idem habet confeſsio generalis reformatorum Poloniæ, Confeſsio Cyrilli Lucaris, in reſponſione ad primam interrogationem: Baſileenſis poſterior art. vltimo.

§. III. Nunc ex dictis ſic diſcurro: omnia dogmata neceſſaria ad Dei cultum, & ſalutem animæ habentur in ſcriptura, ſecundum præfatas confeſsiones: ſed nullus articulus controuerſus earundem confeſsionum, habetur in ſcriptura; ergo nullus eiuſmodi articulus, eſt neceſſarius ad Dei cultum, aut ſalutem animæ. maior eſt reformatorum, minor conſtat experientia legentiū tam ſcripturas, quam dictas confeſsiones: & rurſus etiam probatur, ſiue enim dogmata neceſſaria debeant legi in ipſa ſcriptura, ſiue fundari in gloſsis vel conſequentijs ex ſcriptura formatis, ſane articuli controuerſi dictarum confeſsionum, nulla modo

erunt

erunt neceſſarij, inſiſtendo ipſis Confeſſionibus: nam dogmata neceſſaria ſunt illa, quæ vel *pleniſſime ſunt in Biblijs expoſita*, vt vult Heluetica prior, vel quæ *ſacri codices ſoli perfectè continent*, vt vult Heluetica poſterior, vel quæ *iudicio ſacræ biblicæ ſcripturæ ſunt ſubiecta*, atque adeò comprobata, vt ait vtraque Baſileenſis, aut, quæ, *ſacris ſcripturis continentur, vel innituntur, vt tamen à voce paſtoris noſtri Ieſu Chriſti non recedant*, vt vult Argentinenſis; vel *quæ ſunt congrua*, ſeu conformia *ſcriptis propheticis, & Apoſtolicis*, vt monet Saxonica, vel quæ *ex ſcripturis canonicis petantur*, vt vult Bohemica, & ſic de cæteris, ſanè nullo ex his modis habentur in Biblijs præfati articuli: nàm hæ voces *pleniſſime, perfecte, ſufficienter, expreſse*, denotant rem creditu neceſſariam, legi debere in ſcripturis clare, diſtincte, ac de verbo ad verbum: ſed nec vnus quidem articulus controuerſus ex præfatis, inuenitur in Biblijs, vt intuentis experientia patet: ſi enim non aliter dogma aliquod inueniretur in ſcriptura, quam virtute gloſſæ, vel conſequentiæ, ex eadem ſcriptura formatæ, ſane ibi non contineretur *pleniſsime, ſufficienter, perfecte, expreſse*: ſi enim ſic continerentur, fruſtra recurreretur ad gloſſas, & conſequentias, inſulſum enim eſſet, velle exponere, quod pleniſſime expoſitum eſt, aut commentario explicare, quod ſufficienter deſcriptum eſt in ſcriptura.

§. IV. Corruunt idcircò præfati articuli, à ratione doctrinæ neceſſariæ, vel enim omnis talis debet pleniſſimè, perfectè, ſufficienter in ſcriptura contineri, vel non? ſi primum, actum eſt de prædictis articulis, cum nullus eorum ſic inueniatur in ſcriptura; ſi ſecundum, corruunt confeſſiones, quæ tales modos præſcribunt, quibus tamen ipſæmet non ſtant, & ſic recurrendum eis foret ad gloſſas, & conſequentias, quæ ſanè non legerentur pleniſſime, perfectè; vel expreſsè in Biblijs, vt volunt reformati, qui ideò reijciunt tranſubſtantiationem, Miſſam, Purgatorium &c. eo quod prætendant, prædictis modis, ea non legi in ſcripturis; nulla item ſcripta, vel decreta volunt reformati addenda ſcripturis: adduntur autem prædicti articuli, vnde concludo ſecundum ipſas confeſſiones reformatas, dictos articulos non ſpectare ad Chriſtianam Religionem, ad quam ſolummodo ſpectant, dogmata neceſſaria ad Dei cultum, & ſalutem animæ, hæc autem ex dictis confeſſionibus, debent plenè, perfectè, ſufficienter, expreſsè in ſcriptura contineri, quomodo nullus ex præfatis articulis, in ea legitur, atque adeò non ſunt dogmata neceſſaria; non ſpectant igitur ad Chriſtianam Religionem

gionem : ſed tandem reformati ſuæ cauſæ diffiſi, referunt ſe ad ſymbolum Apoſtolicum, orationem dominicam, decalogum, in quibus aiunt conſiſtere ſummam doctrinæ neceſſariæ. ſed contra ſit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Reformati fatentur nihil tandem de tota Reformatione credendum.

§. I. HIc extremum ſpiritum agit Reformatio, vtque illius articuli ex albo Chriſtianæ Religionis æterna deleantur litura, ipſa nobis arma miniſtrat, perſtrinxit aureum ſuum recurſum ad ſcripturarum euidentiam, toties in hac diſtinctione, ad nauſeam vſque repetitam, totieſque ex reformationis principijs exploſam : ergo præter citatas confeſsiones, prodit rurſus ad definiendum, qualis ſit, & vnde determinetur doctrina neceſſaria : Vedelius Rhapſod. lib. 1. cap. 6. inquiens, ea tantum ad ſalutem ſcitu, & creditu neceſſaria eſſe, *quæ vel in claris, apertiſque ſcripturarum verbis, vel per apertam & ſole clariorem conſequentiam, cuiuis mentis tantum ſuæ compoti conſtare poteſt*. idem ſentit Epiſcopius in ſynodo Dordracena pag. 123. aſſerens Euangelij ſenſum, a quouis etiam, ſine vllo ſupernaturali lumine in neceſſarijs percipi poſſe, idem habet Calixtus Lutheranus Epiſt. theol. parte 1. pag. 36. hanc ſcripturæ claritatem affirmat Stillingfleet, in reductione fidei proteſtanticæ, principio 13. & 15. item doctor VVhitby apud Ioannem Sargentium in firmamento fidei pag. 194. ex quibus ſic vrgeo ; vel omnes Confeſsiones reformatæ ſunt neceſſariæ ad ſalutem, vel vna ex omnibus ? non omnes, quia illud ſolum eſt neceſſario credendum, quod euidenter in ſcripturis habetur, vt volunt prædicti authores, nullus autem articulus controuerſus vllius confeſsionis reformatæ habetur in ſcripturis euidenter, imò nullo modo ibi legitur, vt patet ex dictis ſupra : deinde inter ſe diſcrepant numero, verbis, & ſenſu: tandem repugnat libertati reformatæ, tantam articulorum farraginem profiteri ; vt notat ex reformatis Spanhemius in ſuis diſputationibus 1. Denique Galli reformati non iurant in Saxonicam ; neque Saxones in Gallicam, nec

Scoti

Scoti in Anglicam, neque Angli in Scoticam, neque Argentinenſes, Auguſtani, VVittenbergenſes, Helueti in prediĉtas, ſed ſuam quæque ſecta habet confeſsionem, ſi autem vna ex omnibus eſt neceſſarra, peto quæ? an Scotica, an Anglica, an Auguſtana, an Gallica? vel cur hæc potius, quam illa? præterea ſequitur, omnes, qui vel formarunt has confeſsiones, vel eaſdem hodie profitentur, eſſe mentis ſuæ impotes, ſi enim quilibet mentis ſuæ compos, videt clarè, & euidenter omnia dogmata neceſſaria in Biblijs, e contra illi erunt mentis impotes, qui dogmata nullibi in ſcripturis clarè vel euidenter contenta, tanquam neceſſaria profitentur, reformati autem profitentur eiuſmodi dogmata, quæ non ſunt in ſcriptura euidenter, ergo iudicio VVedelij ſunt mentis ſuæ impotes.

§. II. Sed alio confugiunt reformati, aiuntque omnia neceſſaria eſſe quidem in ſcriptura clarè, & euidenter, ſed eam euidentiam non omnibus abſolutè, qui mentis ſuæ compotes ſunt, ſed omnibus regenitis eſſe conſpicuam, vt colligitur ex Heluetica priore cap. 1. & 2. Scotica cap. 18. VVittenbergica tit. de ſcriptura. ſynodo Dordracena cap. de perſeuerantia Sanctorum. Contra 1. quia ſic committitur manifeſtus circulus, vnde enim conſtat reformatis Gallis ſcripturam in neceſſarijs eſſe claram & euidentem? quia, inquiunt, ſumus regeniti. vnde conſtat vos eſſe regenitos? quia ſcriptura eſt nobis clara & euidens. & iterum vnde conſtat vobis ſcripturam eſſe claram, & euidentem? quia ſumus regeniti: & vnde hoc conſtat? quia præfata ſcriptura eſt nobis clara, & euidens. ergo tandem, tota illa claritas huc reſoluitur, ſcriptura eſt clara, quia ſcriprura eſt clara, & reformatos eſse regenitos, eſt ſcripturam eſse claram, & hanc eſse claram, eſt reformatos eſse regenitos, ſed interim quibus non conſtat reformatos eſse regenitos, non conſtabit doctrinam, quam proponunt eſse neceſsariam, atque adeo donec clarè, & euidenter ex ipſa ſcriptura conſtet, reformatos Gallos v. g. eſse regenitos, eorum doctrina non erit habenda pro neceſsaria, idem dic de Scotis, Anglis, Hollandis, Heluetis, Saxonibus &c. Contra 2. ſi requiratur ſtatus regenerationis, vt quis per ſacram ſcripturam intelligat, qui ſint articuli neceſsarij, ſequitur rurſus nullum, qui profitetur confeſsiones reformatas eſse regenitum, donec conſtet vel omnes præfatas confeſsiones eſse neceſsarias, adeoque clarè & euidenter in ſcriptura contineri, vel vnam ex omnibus, atqui ſumendo omnes colle-

ctiuè, nulla eſt necſsaria ; quia nullus ſpecialis, & controuerſus articulus earum clarè, aut euidenter legitur in ſcriptura, vt clara experientia legentium conſtat; multominus vna ex omnibus erit neceſsaria, ob eandem rationem, cum ne quidem vlla ex omnibus inueniatur, cuius vel vnus articulus in ſcripturis legatur expreſsè.

§. III. Ponamus autem reformatos Gallos velle, Confeſsionem ſuam eſse neceſsariam, adeoque clarè, & euidenter legi in Biblijs, & eam euidentiam eſse conſpicuam Gallis, tanquam regenitis; ſequitur illico nec Scotos, nec Anglos, nec Heluetos, nec Hollandos, cæteroſue reformatos eſse regenitos, quòd alias Confeſsiones præter Gallicam profiteantur, cum hoc ipſo probent, & oſtendant ſe non vidiſse tam clarè, & euidenter in ſcriptura præfatam confeſsionem, quin ſuas etiam ipſi confeſsiones coacti fuerint formare, & ſequi; rurſus e contra ſi Anglica, Scotica, Auguſtana, vel Heluetica ſit ſumma doctrinæ neceſsariæ tam clarè, & euidenter in ſcripturis contenta, vt illa euidentia ſit Scotis, Anglis, Heluetis, vel Auguſtanis, tanquam regenitis, conſpicua; ſequitur Gallos alioſque cæterarum Confeſſionum reformatarum ſequaces; non eſſe regenitos; quia euidentia iſta Scotorum, Anglorum &c. non eſt eis conſpicua; ſequitur denique nullum ex reformatis eſſe regenitum, eo quod profiteatur vllam ex prædictis Confeſſionibus: nam hæc ſunt ſynonima, apud reformatos, inhærentes huic reſponſioni, Doctrinam eſſe neceſſariam, eſt eam euidenter in Biblijs contineri, & eam ſic contineri, eſt eam clarè, & euidenter videri a regenitis, & reformatos eſſe regenitos, eſt doctrinam ſic neceſſariam, & in ſcripturis clarè contentam, euidenter videri; quod ſi vnum horum deficiat, corruunt reliqua: ſed certum eſt, nullam confeſſionem reformatam, in ſcriptura contineri euidenter, ergo nullus reformatus eſt regenitus, hoc ipſo, quod vllam ex dictis Confeſſionibus profiteatur; & nulla ſimiliter reformata Confeſſio eſt neceſſaria, aut neceſſario credenda: tandem ſi requiratur ſtatus regenerationis, vt quis per ſacram ſcripturam intelligat, qui ſint articuli neceſſarij: ergo oportet eſſe fidelem, & Chriſtianum, antequam aliquis, per ſacram ſcripturam, intelligat doctrinam neceſſariam; ratio eſt, quia nullus regeneratur, niſi ſit Chriſtianus; ergo dantur Chriſtiani, & regeniti, qui nec dum ſciunt per ſcripturam, qui ſint articuli neceſſarij; ergo ſimiliter dantur Chriſtiani, & regeniti, qui non credunt articu-

los neceſſarios, ergo ſunt fideles, antequam ſint fideles, credunt antequam ſciant, quid credant, ſunt Chriſtiani, antequam quidquam de chriſtiana Religione intelligant, vel audiant: ſuppono enim queſtionem eſſe de adulto credituro, & cupiente ſcire articulos neceſſarios, an ſcilicet debeat eſſe prius regenitus, priuſquam doctrinam neceſſariam per ſcripturam intelligat, ſi ſic, debet eſſe fidelis, & Chriſtianus antequam quidquam credat.

§. IV. Reſpondent nonnulli alij reformati, ſe non inhærere ſoli, & nudæ ſcripturæ, ſed præter hanc, ſe etiam ſequi quatuor prima Oecumenica Concilia, & primitiuæ Eccleſiæ Patres, pro doctrina neceſſaria: vtinam ſaltem ex animo id dicerent reformati, & vel ſero ſaperent Phryges iſti. Aſt contra eſt 1. quod vnanimis reformatarum Confeſſionum ſententia, ſtatuat ſolam ſcripturam, pro vnica, & ſuprema regula fidei, vel ergo hi debent fateri has Confeſſiones, vti reuera ſunt, meras eſse impoſturas; vel ſi hoc nolint fateri, fateantur neceſse eſt, ſe eſse refractarios, & rebelles contra reformationem, quod Religionis reformatæ fundamenta deſerant. Contra 2. nec ſic etiam euadent: nam ſi doctrina neceſsaria, non ſolum habetur in ſcriptura, ſed etiam in quatuor illis Oecumenicis Concilijs, & primitiuis Patribus, illa vtique non erit doctrina neceſsaria, quæ neque in ſcripturis claris, vt volunt reformati, neque in prædictis Concilijs, & Patribus inuenitur, atqui nè vnus quidem articulus controuerſus Religionis reformatæ, inuenitur neque in ſcripturis claris, neque in præfatis Concilijs, vel Patribus, ergo nullus talis articulus erit neceſsarius: ſubſumptum patet per manifeſtam experientiam: deinde ſi pro doctrina neceſsaria, quilibet, & quælibet debet ſe referre ad ſcripturas, Concilia, & Patres, vt vult Reformatio ſtatuens quemlibet arbitrum Religionis, ſanè interim donec vnuſquiſque, ex eiſdem formet ſuam doctrinam neceſsariam, ſumma doctrinæ per reformatos, in Confeſſionibus ſuis, & Catechiſmis propoſitæ, non erit neceſsaria, donec conſtet eam contineri in ſcripturis, Concilijs, vel Patribus prædictis, quod in æternum reformati, nec præſtabunt, neque hactenus præſtare potuerunt. Deinde Caluinus, Lutherus, Magdeburgenſes, & alij plures reformati: imò & Confeſſiones reformatæ, nullam agnoſcunt authoritatem in Concilijs, vel Patribus, in cauſa fidei.

§. V. Sed rurſus per aliud poſticum, euadere conantur reformati,

mati, dicuntque ſummam doctrinæ neceſsariæ contineri oratione Dominica, Decalogo, & Symbolo Apoſtolico: ita Catechiſmus Eccleſiæ Anglicanæ cap. 1. Catechiſmus Geneuenſis Dominica ſecunda. Catechiſmus Herdelbergenſis quæſt. 3. Theologi magnæ Britanniæ in Synodo Dodracenſi ſeſs. 15. Theologi Haſſiæ, & Heluetorum in eadem Synodo. Sed contra 1. nam ſi doctrina neceſſaria continetur in oratione Dominica, Decalogo, & Symbolo, ſanè nulla confeſſio reformata erit neceſſaria, cum non habeatur in prædicta ſumma. Contra 2. quid ergo dicendum de ſacramentis, quorum non ſit expreſſa mentio in prædictis? igitur ſic Baptiſmus non erit neceſſarius. contra 3. quomodo reformati recitabunt orationem Dominicam, ſtante eorum dogmate de ſola fide iuſtificante? vel ergo ſola fides iuſtificat Reformatos, vel non? ſi primum, quomodo dicent: *Dimitte nobis debita noſtra*, quæ iam per fidem reformatam ſunt eis dimiſſa? ſi ſecundum, cur ergo vnanimi conſenſu, dicunt ſolam fidem iuſtificare: de qua re fuſius infra. Contra 4. quomodo putant reformati, in Decalogo contineri ſummam doctrinæ neceſſariæ, ſi etiam tenent pro dogmate reformato, nulla bona opera, quæ vtique exercentur per obſeruantiam Decalogi, eſſe neceſſaria ad ſalutem? quomodo lex Decalogi eſt neceſſaria, ſi reformati ſtatuant nullam legem ſeruari poſſe, nullumue poſſe legi ſatiſfacere? ſed etiam de hac re infra. Contra denique 5. ſi Symbolum eſt ſumma doctrinæ neceſſariæ, quæro vel ſufficit Symbolum verbaliter tantum recitare, vel præterea requiritur, vt etiam illius ſenſus intelligatur, & credatur? ſi primum ergo Iudæi, Turcæ, Pagani recitantes Symbolum, & non curantes de ſenſu eſſent Chriſtiani, quantumuis in ſuis erroribus perſiſterent. ſi ſecundum, quæro iterum, vel quilibet ſenſus Symboli eſt admittendus, vel vnus ex omnibus? ſi quilibet, ergo & Manichæorum, Arianorum, Neſtorianorum, aliorumque Hæreticorum ſenſus credendus erit. Rurſus quo ſenſu credendus eſt ille articulus: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*? quænam eſt iſta Eccleſia? an Caluiniſtica, an Lutherana, an Anabaptiſtica, an Socciniana? an Schiſmatica, Græca, an Romana? an omnes ſimul, an vna ex omnibus, & quæ? ſi vnus ſenſus erit credendus, peto quis, & quiſnam eum determinabit? an quilibet, & quælibet? an Eccleſia, & quæ? certè ex principijs reformatis, quilibet, & quælibet pro libitu ſuo, formabit, quem voluerit, ſenſum, & ſic nullus ſenſus determinatus credendus erit.

§. VI. Qua-

§. VI. Quare candidior præ cæteris Spanhemius, in ſuis diſputationibus genuine fatetur, Reformatos non poſſe adhuc determinare, qui ſint articuli neceſſarij, vnde diſp. 2. theſi 3. cauſam difficultatis in determinandis articulis ait, *primo eſſe ſcripturæ ſilentium de certo, ac determinato numero fundamentalium, vt hac ratione non deeſſet vnquam, nec infirmis ſperandi, nec robuſtioribus plus vltra tendendi materies*, vt ſcilicet nunquam ſit finis quærendi apud reformatos, nec detur numerus vel determinatio credendorum, in eadem reformatione, ſed procedatur in infinitum ſine ſpe figendi pedem in fide Chriſti, *ſecundum diſcrimen*, inquit, *in determinandis eiuſmodi articulis eſt, ſi vel in exceſſu peccetur, vel in defectu, ſi enim excedimus, vt pro fundamentalibus obtrudantur, quæ non ſunt talia, via ſalutis coarctatur plus iuſto, conſcientiæ præter iura libertatis, conſtringuntur, ſi deficimus, vt tollantur a fundamento, quæ cum ſalute cohærent, via ſalutis nimirum dilatatur*. hinc ſequitur, nec omnes confeſſiones reformatas, nec vnam ex omnibus, eſſe neceſſariam, ob duplicem hanc rationem, ne ſcilicet contingat nimirum coarctari viam ſalutis, aut libertatem reformatam reſtringi, vel eandem nimium dilatari: quomodo iam docti, & indocti, quoad eandem determinationem, illa pericula, defectus, & exceſſus vitabunt, ſi nuda ſcriptura, ſit cuilibet regula credendorum: *Tertia difficultas*, inquit, *exorti errores, & multiplicatæ controuerſiæ, quas alij ad fundamentum referunt, alij a fundamento ſemouent*, vnde habetur, nullum ſpecialem articulum reformationis eſſe neceſſarium, quia omnes eiuſmodi articuli ſunt controuerſi.

§. VII. *Quarta*, inquit, *difficultas, importunitas quorundam ſophiſtarum, exigentium certum, & definitum fundamentalium numerum, non contenti noſſe quæ ſint, ſed quot ſint*. liberum ergo erit aſſignare, quem volueris numerum, vt alius tres, alius quatuor. alius ſexaginta, alius trecentos articulos credendos velit. *Quinta*, inquit, *eſt in aſſignando illo minimo, a quo ſalus æterna pendeat, adeoque in præfigendo diuinæ miſericordiæ modo. Sexta ſubiectorum diuerſitas, quorum alij infantes, alij adultiores*: & infra: *vnde efficiunt hæ ipſæ difficultates, vt de conſenſu Chriſtianorum in deſcribendis fundamentalibus, ſpes ſanè decollarit, quodque magnus Vſſerius, ad Iacobum Regem, de conuenientia in profeſſione omnis veritatis reuelatæ, nos de conuenientia in poſitione veritatis fundamentalis, pronuntiamus, optandum quidem eſſe, ſperandum nunquam*: tandem diſp. 3. theſi 2. ait; *Quæſtionem de numero fundamentalium arcendam eſſe a Theologis*, & theſi

theſi 6. inquit, *dari non poſſe numerum præciſum articulorum fundamentalium, quoad veritates exortas in fundamento contentas, quod flagitare abſurdum, definire iniquum, imò impoſſibile foret.* genuinè igitur iſte fatetur, reformatos in deſignandis articulis neceſſarijs, cauſa cadere, & neſcire quid credendum, vel quare. nam ſi omnes confeſſiones reformatæ eſſent neceſſariæ, ſciretur numerus fundamentalium, cum illæ numerari poſſint, hunc autem numerum inueniri poſse dicit Spanhemius difficile, & cum Vſſerio optandum eſse, ſperandum a reformatis nunquam. dicere ergo quod reformati determinauerint articulos neceſsarios, eſt dicere quod tentauerint quid iniquum, abſurdum, & impoſſibile, nihil ergo de reformatione credendum: non eſt ergo vera Religio.

SECTIO VLTIMA.

An poſſit reformatio quemquam ad ſui ſequelam obligare, & quo tendat.

Habet Lex Chriſtiana vim obligandi, vt in Prolegomenis huius partis notaui, quare illa Religio, quæ talem vim ex proprijs principijs non habet, Chriſtianæ Religionis, nec nomen, nec prærogatiuam meretur, eiuſmodi virtute obligandi carere reformationem, illius dogmata clare teſtantur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Leges politicæ citra notam tyrannidis, non poſſunt quemquam ad reformationem obligare, cum id ſit contra expreſſa reformationis principia.

§. I. REformati profeſſionem ſuam, quam ex Religionis Chriſtianæ fontibus, & fundamentis, vel ſtabilire, vel defendere non poterant, Turcarum, & gentilium more, brachio, & potentia ſæcularium poteſtatum propugnare, & proponere conantur; vbi ſuppono primo, Magiſtratum quemcumque, qui ſe Chriſtianum profitetur, etiam quoad ſtatum ſuum politicum inſtitu-

ſtituendum, & adminiſtrandum, ita aſtringi Religionis Chriſtianæ legibus, vt eas nequeat, per vllam legitimam authoritatem abrogare, vel ab ijſdem ſe aut ſuos ſubditos eximere: ratio eſt: nam Matth. 28. Chriſtus præcipit: *Docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis*: à qua lege nullus Chriſtianus excipitur, & Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. Chriſtus enim eſt verus legislator, & legem nouam tulit, multis præceptis conſtantem, nullus igitur inferior Chriſto, poteſt hanc legem abrogare, vel ab ea quemquam eximere, vt non agnoſcat ipſum Chriſtum, ſuum legislatorem, Dominum, Redemptorem. Dei, & hominum mediatorem, agnoſcitur autem, colitur, & amatur Chriſtus, per obſeruantiam ſuæ legis, iuxta illud Ioan. 15. *ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Suppono ſecundo cum veris Chriſtianis, Statiſmum, non eſſe ſupremam credendi regulam, ſi enim eſſet, quælibet infidelitas, imo, & ipſa idololatria eſſet vera Religio, quælibet enim eiuſmodi, vel fuit introducta, vel certè propagata, & propugnata per ſtatiſmum, ſeu leges politicas, ac potentiam Principum ſęculi: ſic Ieroboam introduxit Idololatriam in Regnum ſuum, legibuſque ſuis eam ſtabiliuit 3. Regum 12. ſic Nabuchodonoſor Danielis 3. eandem ſuis ſanciuit edictis: ſic ſenatus populuſque Romanus, errores ſuos, crudeliſſimis edictis propoſuit, & propugnauit: ſic Mahometus, ſic eius ſucceſſores, ſua deliria vi, & armis propagarunt, ſic Ariana perfidia, ſic aliarum hæreſum peſtes, Cæſarum, Regum, Principum, ac Magiſtratuum brachio fuerunt propoſitæ, & defenſæ, quod ſi ea eſſet licita, & vera Religio, quam probat, & proponit ſtatiſmus, ſupradictæ infidelitates obtinerent veræ Religionis præeminentiam, imo & illicita eſſet Chriſtianæ Religionis prædicatio, cum illa olim, tot decretis, & pœnis fuerit impedita, & prohibita, quod nullus verus Chriſtianus admittet.

§. II. Non ergo ideo aliqua Religio cenſenda eſt vera, quia eam proponit ſtatiſmus, ſed quia a Deo reuelata, & legitime propoſita, habuit, antequam eam ſtatiſmus probaret, veras conditiones, & prærogatiuas veræ Religionis, & quæ tales non habet, vera Religio non eſt, quæ autem vera non eſt, obligare quemquam in conſcientia non poteſt: ſi autem Reformatio, ex ſuis principijs, obligare neminem poteſt, ſane ſtatiſmus, citra notam tyrannidis, ad eam quemquam adſtringere non poteſt: quod verò obligare non poſſit, manifeſte patet diſcurrendo per hacte-

nus dicta: nam ex diſtinctione ſecunda conſtat reformatos expreſſe negare, dari in hoc orbe vllam authoritatem, cui fideles, & credituri, inconſulta ſcriptura teneantur credere in cauſa fidei: quare reformationis principia, expreſſe prohibent vlli prorſus, in præfata cauſa, credere: non poſſunt igitur reformatorum leges, quemquam legitimè aſtringere, ad audiendos Miniſtros; ſi enim iuxta præfata principia, quidquid dicunt Miniſtri in cauſa Religionis, ſubditur cuiuſlibet examini, cenſuræ, & arbitrio, vt illud vel probet, vel reprobet, nemo poteſt, ſine tyrannidis nota, cogi ad ſe ſubmittendum eorum hominum dictis, quorum per expreſſa reformationis principia conſtituitur index, & arbiter: ſi iuxta reformationem, nemo ſe ſubmittere tenetur, vel Patrum ſententijs, vel Conciliorum definitionibus, vel totius Eccleſiæ iudicio, niſi quatenus id placet, vel videtur cuiuſlibet arbitrario examini, cur reformati cogunt mortales, illis hominibus credere, quibus reformationis principia, vetant abſolute credere? Rurſus ex diſtinctione tertia habetur, eſſe commune reformatorum principium, omnes homines in negotio fidei, eſſe fallibiles, & erroribus obnoxios, ita vt pro vero, falſum poſſint proponere, id eſt, vt reformati ſimiliter, & ex profeſſo fallibiles, loco veri ſenſus ſcripturæ, erroneam expoſitionem, loco articuli reuelati, obtrudant Sathanæ fallacias; eſt autem crudele, quod quis conſtringatur, in eo negotio, à quo pendet ſalus æterna, habere fidem illi, qui pro alimento vitæ, porrigit forte ſcorpionem; qui quantum ipſe ſcire poteſt, doctrinam potius diabolicam, quam Chriſtianam proponit: vnde Stillingfleet in reductione fidei proteſtanticæ principio 16. ait eſſe intolerabilem vſurpationem prætendere infallibilem aſſiſtentiam in eo, quod quis proponit. & doctor VVhitby apud Ioann. Sargentium in firmamento fidei ait, conuocationes cleri Anglicani ſcilicet reformati, non requirere aſſenſum ſuis decretis, ſub prætextu vllius infallibilitatis, eis inhærentis: & conſequenter, quidquid proponunt reformati, præter nudum ſcripturæ textum eſt fallibile.

§. III. Ita vt tota doctrina reformatorum huc tendat: nos reformati iudicamus quidem, quod doceamus Chriſtianam Religionem, eiuſque articulos, cum tamen, iuxta principia noſtræ reformationis, in his ipſis docendis, ſimus fallibiles, ſeu impoſturis obnoxij, poſſumus reuera decipi in prædictis omnibus, & ſic forte proponimus mendacia: predicamus quidem, quantum poſſumus ſcire, Chriſtianam Religionem, quam putamus veram:

quia tamen in hac ipſa ordinanda, proponenda, & prædicanda, ſumus fallibiles, forte prædicamus vobis impoſturas, & diabolicas illuſiones: nihilominus vos populi nobis credite, eſto incurreretis damnationis æternæ periculum, & reatum: eiuſmodi autem fallibilem doctrinam proponere credendam, ad eamque populos conſtringere, eſt ſæuam in animas crudelitatem exercere: quod ſi ſcripturas iterum, earumque euidentiam allegent prædicti reformati, eo grauior eſt ſæuitia, quod contra ſua principia, iugulent hominum conſcientias, ſub ſpecioſo Bibliorum prætextu: cum tamen ex præfatis Biblijs, ne vnum quidem ſpecialem, & controuerſum reformationis articulum depromant: ſi enim vt communi voce clamant reformati, ſola ſcriptura ſit regula totius veritatis, cuius ſcrutinium cuilibet, reformata libertate, permittitur, & ex prædicto illo ſcrutinio dumtaxat, & non aliunde pendeat cuiuſque fides, vt vult reformatio, iterum eſt ingens crudelitas cogere ad certos homines audiendos, in cauſa Religionis, & iubere interim ſcrutari ſcripturas, vt ex ijs veritas doctrinæ credendæ excerpatur; præcipere, nihil omninò credere, niſi quod inuenitur in Biblijs expreſſe, & ſimul aſtringere ad eam Religionem, cuius ne vnus quidem ſpecialis articulus in eiſdem Biblijs inuenitur, hoc eſt autem iubere, ſcrutari ſimul, & nõ ſcrutari ſcripturas, neminẽ in negotio fidei audire, & audire quemlibet, etiam errantem, etiam mendacia, & impoſturas proponentem, quod excedit omnem tyrannidem: item ſi ſcriptura eſt adeo clara, & euidens ſecundum reformatos, vt omnes per ſe ipſos veram Religionem inde poſſint acquirere, Miniſtri per apertam vſurpationem, docendi munus ſibi aſſumunt, & Magiſtratus reformati, per intolerabilem ſæuitiam, præfatos Miniſtros audiendos, ſtatuta decernunt, in eo negotio, in quo tota reformatio clamat, nullo doctore opus eſſe: Deinde ex tota hac diſtinctione patet, ne vnum quidem ſpecialem reformationis articulum proprium eiuſdem reformationis, iuxta expreſſa eius principia, eſſe neceſſarium, ergo ſæuitiam crudelem exercent reformati, quod articulos nullibi reuelatos, nuſquam neceſſarios, mortalium conſcientijs imponant, & ſeueriſſimis ſuis edictis, legibus, & pœnis profitendos decernant.

§. IV. Rurſus vel ideò iurandum eſt in iſtos articulos, quia putantur in Biblijs contineri, vel quia leges politicæ faciunt eos eſſe Religionis articulos? non primum: nam vt aperte conſtat, ſpeciales reformationis articuli nullibi in ſcriptura leguntur, non

ſecundum : nam ſi leges politicæ eſſent præciſa credendi regula omnis infidelitas eſſet vera Religio., quod eſſet Deum, & Belial, Chriſtum , & Mahometem , Iudaiſmum , & Chriſtianiſmum , in eadem ſede collocare : quod ſi rurſus dicant reformati, leges ſaltem politicas Chriſtianorum , eſſe eiuſmodi normam credendi : Contra,vel id dicent reformati, quia putant leges ipſas coincidere , cum articulis Religionis , vel quia altioris ordinis , ſunt leges , quam Religio : non primum:nam in Anglia v. g.(& de alijs Nationibus reformatis idem eſt iudicium) leges politicæ editæ ſunt , circa granum , venationem , redditus , vectigalia , canes venaticos , villas , lanam , pannos , merces : nemo autem ſanæ mentis dicet , canes , lanas , pannos , frumenta &c. eſſe præciſe res fidei , vel Religionis , cum in alijs partibus , quæ diuerſam ab Anglia colunt Religionem , circa eiuſmodi merces , ſanctiones edantur : & licet Cæſares , Principes , & Magiſtratus ciuiles edant, ediderintque olim leges , de colenda in ſuis ditionibus , Chriſtiana Religione , prius tamen , quam conderentur eiuſmodi leges , Chriſtiana Religio , fuit vera , & obligatoria , vtpote à Deo , in verbo ſuo reuelata , & legitimè propoſita : Religio autem reformata , vt conſtat ex hac diſtinctione, & ipſius reformationis principijs , nuſquam inuenitur reuelata , atque adeò , non poteſt legitimè per leges ciuiles ſtabiliri , aut credenda proponi : nec poteſt dici ſecundum nempe , leges ciuiles , eſſe altioris ordinis , quam Religio : nam articuli Religionis , ſecundum ipſos reformatos , debent eſſe reuelati , imò & ſecundum eoſdem expreſſe in ſcriptura contenti , leges autem ciuiles non ſunt à Deo reuelatæ , nec in ſcriptura contentæ, ſed ab hominibus conditæ.

§. V. Præterea Deus in ſuis dictis , contraria non dictat , nec eſt mutabilis , ſed quod præcipiunt leges ciuiles , circa Religionem reformatam , in vno loco , vel Regno , contrarium per alias leges reformatorum alibi decernitur ; nam leges Anglicanæ de capitibus religionis variæ fuerunt ſub Henrico VIII.Edvvardo , Elizabetha , Iacobo : variata ſub ijſdem fuit liturgia : item leges Anglicanæ volunt Regem eſſe caput Eccleſiæ , nolunt vllum viſibile caput in terris , reliquæ confeſſiones , & leges reformatæ,vel ergo tam diuerſæ ſententiæ , ſunt articuli fidei , vel non ? ſi non , iam non ſpectabunt ad ſalutem, atque adeò leges ciuiles non debent , talia Dogmata credenda proponere : ſi ſunt articuli fidei , peto vbi ſunt reuelati ? nullibi certe , nec in verbo tradito , nec in verbo ſcripto : rurſus nemo tenetur profiteri, eam Religionem,

quæ

quæ non declarat, quid ſit determinate credendum: ſed Religio reformata hoc nondum declarauit;ergo Religionem reformatam nemo profiteri tenetur.deinde Religio, quam quis iurat, debet eſſe Catholica, ſeu vniuerſalis, iuxta Catechiſmum Anglicanæ Eccleſiæ, & ſecundum omnes fere Confeſſiones reformatas: ſed nulla Confeſſio reformata eſt Catholica, ſeu vniuerſalis, quælibet enim Natio reformata habet ſuam: ergo nemo poteſt conſtringi, ad iurandum in illas confeſſiones, cum nulla earum ſit Catholica, nulla neceſſaria ad ſalutem, nulla vſpiam in verbo Dei reuelata: denique nemo poteſt, legitime cogi ad profitendam eam Religionem,quæ ex profeſſo vetat cuiquam mortalium, in negotio fidei, credere, vel obedire: id autem vetat reformatio, ergo citra apertam tyrannidem, leges ciuiles non poſſunt vllum conſtringere, ad prædictam reformationem profitendam.

ARTICVLVS SECVNDVS, ET VLTIMVS:

Quæcumque leges, aut principia ſuadent, vel cogunt inſiſtere prætenſæ reformationi, fatente ipſa reformatione, ſuadent, coguntque recedere à Chriſto.

§. I. LVculenter oſtendunt Religionis reformatæ principia, quod non bene conueniant, nec in vna ſede morentur, Chriſti Euangelium, & prætenſa reformatio, vt luce meridiana clarius pateat, quid molita ſit in orbe terrarum, per tot funera, & cædes innocentium Catholicorum,per tot bella, quibus reformati, quintum iſtud ſuum Euangelium introduxerunt,quo Chriſti Euangelium longiſſime à ſe proſcriberent: vt ſi inſiſtendum ſit reformationi, neceſſario ſit recedendum à Chriſto, vt ex quatuor præcipuis Religionis reformatæ dogmatibus, facile conuincitur: primum eſt nullum reformatum, legi diuinæ vnquam ſatisfacere, eo quod reformati prætendant, eam eſſe obſeruatu impoſſibilem,ſecundum eſt nullũ peccatum quamuis enorme,imputari reformatis,eo quod ſe putent,electos,electis autẽ vt ipſi dicũt nullum peccatum imputatur, vel ſi imputentur eis peccata, delentur, inquiunt reformati, per meram, & extrinſecam imputationem iuſtitiæ Chriſti, abſque eo quoq ipſi debeant, vel digitum mouere, vel vllam pœnam ſuſcipere, pro obtinenda venia,

ter-

tertium eſt nulla bona opera, conducere ad ſalutem reformatorum: vnde ſequitur quartum, ſcilicet, quod reformati iuſtificentur ſola fide. Per quatuor iſta capita, in quibus ampliſſima reformationis fundantur priuilegia, diſcurrendo, facile patet reformatos, ſe, ſuoſque ſequaces exemiſſe à Chriſti iugo, & legibus, vbi breuiter notandum, manere in Chriſto, idem eſſe, ac eius præcepta ſeruare; hæc autem non ſeruare, eſt in ipſo non manere: vt patet Ioan. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, ſi quis in me non manſerit, mittetur foras.* intra, *manete in dilectione mea; ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* Vbi vides idem eſſe manere in Chriſto, ac eius implere mandata.

§. II. Reformatos autem, incipiam à primo capite, nunquam ſatisfacere legi Dei, fatentur Religionis reformatæ Catechiſmi, & Confeſſiones. Anglica Confeſſio art. 9. & 12. & in formula confeſſionis generalis faciendæ, in Congregatione, & liturgiæ Anglicanæ inſerta: Confeſſio Scotica prior art. 13. Confeſſio Gallica art. 10. dicens peccatum originale, ſemper producere in reformatis, fructus malitiæ, & rebellionis, quod eſt legem Dei vtique non ſeruare. & Catechiſmus Geneuenſis Dominica 32. ait, eoſdem nunquam legi Dei perfecte ſatisfacere. cum Gallica, quoad fructus peruerſitatis regnantes in reformatis, conſentit confeſſio Belgica art. 24. idem de legis inobſeruantia aſſerit, Auguſtana art. 4. & 6. variatis. VVittenbergica tit. de bonis operibus, & tit. de lege, item tit. de Euangelio: Heluetica prior cap. 8. poſterior Saxonica cap. *quomodo placeat noua obedientia*: Argentinenſis cap. 10. Bohemica art. 4. & 6. Baſileenſis art. 8. Catechiſmus Principis Palatini idem ſentit. Vbi ego fateor, neminem vti oportet, poſſe naturæ viribus legem diuinam implere, poſſe tamen eandem impleri viribus gratiæ, ſcriptura paſſim clamat: idque etiam fatentur præfatæ Confeſſiones ſecum ipſis pugnantes, locis citatis, licet rurſus, vt libertati reformatæ laxent habenas, dicant legem Dei nunquam impleri, à reformatis ſcilicet, ex quo capite oſtendo eoſdem reformatos recedere à Chriſto, quamdiu huic reformationis principio adhærent, nam ſatisfacere legi Diuinæ, eſt legis præcepta ſeruare, hæc autem ſeruare, eſt manere in dilectione Chriſti, ſed reformati ex proprijs principijs, nunquam ſatisfaciunt legi diuinæ, nunquam illius præcepta ſeruant, ergo reformati nunquam manent in dilectione Chriſti, qui autem non manet in dilectione Chriſti, non manet in Chriſto:

ſed

ſed reformati non manent in dilectione Chriſti, cum non ſeruent eius mandata, ergo non manent in Chriſto: ſubſumo rurſus: quiſquis non manet in dilectione Chriſti, recedit ab ipſo Chriſto, reformati, qui ex ore proprio, nunquam ſatisfaciunt legi Chriſti non manent in dilectione Chriſti; ergo recedunt à Chriſto: minor patet Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*: ſed reformati nunquam faciunt, quæ præcipit Chriſtus, cum nunquam eius legem ſeruent, ergo reformati non ſunt amici Chriſti, hæc enim ſunt ſynonima, ſeruare legem Chriſti, & Chriſtum diligere; non ſeruare hæc, eſt non diligere Chriſtum. ſed hunc non diligere, eſt ab eo recedere, reformati non diligunt eum, ergo recedunt ab eo.

§. III. Pergo ad 2. caput, nempè reformatis nulla imputari peccata, id eſt reformatos peccando non peccare, vel ſi peccent, ea peccata deleri per ſolam externam imputationem iuſtitiæ Chriſti, nullo reformatorum interueniente actu vel doloris, vel pœnitentiæ, vel ſatisfactionis, vel etiam reſtitutionis rei ablatæ, quod priuilegium reformati fundant in ſua putatiua electione, & inamiſſibilitate ſolius fidei iuſtificantis, quæ doctrina definita fuit in ſynodo Dordracena, communi reformatorum voto, & congreſſu habita, ad eam confluentibus Theologis, & deputatis ex omni Natione reformata, in hac ergo ſynodo cap. 5. de perſeuerantia Sanctorum per reformatos damnata eſt iſta propoſitio: *Qui docent vere credentes, & regenitos, non tantum poſſe, a fide iuſtificante, item gratia, & ſalute totaliter excidere, ſed etiam reipſa non raro ex eis excidere, atque in æternum perire: nam hæc opinio gratiam iuſtificationis, & regenerationis irritam reddit*, & eodem cap. art. 4. dicit: *verè fideles interdum a carne, mundo, & Sathana in peccata etiam grauia, & atrocia non ſolum poſſe: ſed de facto abripi.* & art. 5. ait, quod iſti *Deum talibus enormibus peccatis valde offendunt, & reatum mortis incurrunt*. art. autem 6. dicit, quod *Deus ex immutabili electionis propoſito, Spiritum Sanctum, etiam in triſtibus iſtis lapſibus, à ſuis non prorſus aufert, nec eo vſque eos prolabi ſinit, vt à gratia adoptionis, & iuſtificationis ſtatu excidant*. id eſt, reformati quantumuis peccent, nunquam ſuam fidem iuſtificantem amittunt, & cum peccatis eorum quantumuis atrocibus, & enormibus, quibus Deum offendunt, & reatum mortis incurrunt, ſtat gratia adoptionis, & iuſtificationis, imò & ipſe Spiritus Sanctus, & licet ſunt filij Diaboli per peccata, ſunt eodem ipſiſſimo tempore filij Dei per gratiam adoptionis, & immutabili ele-

electionis propoſito, ſunt igitur ſimul, & ſemel Filij Dei, & filij Diaboli, ſunt ſancti, & peccatores, ſunt hæredes Regni cœleſtis, ac etiam gehennæ, filij gehennæ per enormia, & atrocia peccata, filij Regni per fidem, & gratiam iuſtificantem.

§. IV. Hoc autem eſt iterum Chriſto renuntiare, cum hoc ſit, ſternere viam omnibus ſceleribus: ſi enim reformati ſunt certi, dum peccant, ſe non amittere ſuam iuſtificationem, (ſi quam habent) debent ſimiliter eſſe certi, quod peccando non peccent: nam ſi iuxta ſynodi Dordracenæ decreta, damnantur illi, qui dicunt verè credentes, per peccata, a gratia regenerationis excidere, iam dum peccant, ſunt filij adoptiui Dei, poſſunt igitur reformati impunè, & ſine vllo timore indignationis diuinæ, violare omnia præcepta tam primæ, quam ſecundæ tabulæ, quin deſinant eſſe ſancti, & iuſti, poſſunt itaque blaſphemare, peierare, idololatrare, furari, occidere, adulterari, & carnis illecebris indulgere, ethniciſmum, Turciſmum, & Epicureiſmum exercere: nam ex ſynodo Dordracena, verè fideles, & credentes, ſeu ſancti reformati, à carne, mundo, & Sathana in peccata etiam grauia, & atrocia (quæ lingua nominare fugit) non ſolũ abripi poſſunt verũ etiam interdũ abripiuntur: Deus tamen ſpiritũ ſuũ ſanctũ in triſtibus illis lapſibus, a ſuis reformatis, non prorſus aufert, nec eo vſque labi ſinit, vt a gratia adoptionis, & iuſtificationis excidant: ſunt ergo reformati in medijs iſtis ſceleribus, & enormibus peccatis dotati ſpiritu ſancto, gratia adoptionis, & in ſtatu iuſtificationis: quia nimirum reformati ſunt electi illi, quibus non imputantur peccata, vnde reformatos eſſe electos, eſt reformatos non peccare, dum peccant, ſeu reformatis libera, & licita eſſe omnia genera peccatorum, quin per iſta amittant gratiam iuſtificationis: ſed nondum conſtat per vllam reuelationem, reformatos eſſe electos, adeoque gaudere hoc priuilegio, vt ſcilicet peccando non peccent: ſed dicunt, peccata eorum deleri, per externam imputationem iuſtitiæ Chriſti, nullo interueniente eorum opere: hoc autem eſt, contra præceptum Chriſti, valedicere pœnitentiæ, ſatisfactioni, orationi, hoc eſt iterum laxare fræna peccatis, hoc eſt mandata Chriſti peſſundare, hoc eſt Euangelium, & quidquid in eo eo præſcribitur pro vitiorum fuga, pro virtutum acquiſitione, abijcere, & tandem ipſi Chriſto, cui per obſeruantiam ſuæ legis, & euitationem malorum ab ipſo prohibitorum, ſeruitur, renuntiare.

§. V. Se-

§. V. Sequitur tertium, & quartum caput, nempè fidem ſolam iuſtificare, & bona opera nullo modò ad iuſtificationem, ſeu ſalutem conducere: ita Confeſſiones reformatæ: Anglica art. 11. & 14. Scotica prior art. 15. & poſterior ſimiliter. Gallica art. 18. 20. & 22. Belgica art. 22. & 24. Auguſtana art. 20. & eodem art. variato. VVitenbergica tit. de inſtificatione; Saxonica cap. de remiſſione peccatorum, & iuſtificatione: Heluetica prior cap. 12. poſterior cap. 13. Baſileenſis art. 8. Argentinenſis cap. 3. & 4. Bohemica art. 6. & 7. ex his capitibus de ſola fide iuſtificante, & ſuperfluitate bonorum operum, patet reformatos iterum renuntiare Chriſto, cum ex iiſdem capitibus, conuincantur renuntiare Euangelio, nam Euangelium, & mala prohibet, & bona præcipit, bona autem ſic præcepta, exercentur per actiones tam internas, quam externas, vt Deum colere, honorare, diligere, Sabbathum ſanctificare, proximum amare, actus fidei, ſpei, charitatis elicere, miſericordiæ opera facere, mala per idem Euangelium prohibita ſemper vitare: nunc ſecundum reformatos, illa facere, & hæc vitare, nullo modo conducit ad ſalutem, quæ ſecundum eos, acquiritur ſola fide: ita vt bona opera, iuxta eoſdem reformatos, perinde ſe habeant ad prædictam ſalutem, ac eſſent nunc ceremonialia veteris legis: hæc autem ſecundum veros Chriſtianos, nullo modo conducunt ad ſalutem, imò potius nocent ſaluti, atqui ſecundum reformationis principia, ita prorſus ſe habent bona opera, vt nullo modo influant in eandem ſalutem, ergo ſecundum reformatos, tam ſunt ſuperflua in ordine ad vitam æternam, bona opera, quam ſuperfluunt cæremonialia veteris teſtamenti: ſi igitur bona opera, ad hoc negotium non conducunt, nihil de toto Euangelio, ad id conducit: cum enim ſecundum eos, ſola fides iuſtificet, ac vitam æternam acquirat, particula *ſola* ab eadem acquirenda, omnia alia media excludit, licet enim reformati verbo tenus admittant bona opera eſſe neceſſaria, ad hoc vt deſignent fidem, ſicut, inquiunt, fructus deſignant arborem, nullum tamen influxum eis concedunt, in ordine ad vitam æternam merendam, ita vt ſi adſit ſola fides, eſto alia omnia deſint, ſalus tamen per iſtam fidem acquiratur; poſſunt igitur reformati, bona opera tuto omittere, ſine vlla ſalutis iactura, & conſequenter iuxta eadem ſua principia, poſſunt totum Euangelium omittere: cum ex toto Euangelio, nihil aliud, ſecundum eos ad ſalutem conducat, præter ſolam fidem; ſicut itaque omittere

poſſunt Euangelium, quemadmodum poſſunt negligere opera per illud præſcripta, ita & ei, quoad hoc negotium valedicere, & tandem ipſi Chriſto nuntium remittere poſſunt.

§. VI. Ex quibus videre licet, quam duræ ſint leges ciuiles, quæ tanto ſtrepitu, tam ſeueris pœnis, ad reformationem cogunt mortales, & renitentes bonis temporalibus priuant, vt tot innocentum lamentabiles conditiones teſtantur: vel enim putant reformati, eſſe opus bonum, obſeruare, & profiteri Religionem reformatam, audire Prædicantes, frequentare eorum ſynagogas, vel non eſſe opus bonum? ſi ſecundum, durum eſt Catholicos, tot malis, & pœnis ad opus nullo modo bonum, conſtringere: nullum enim, ſecundum alia reformatorum principia, datur opus bonum in negotio Religionis, cum nullum eiuſmodi detur, ſecundum eadem principia, quod opponatur iudicio, & iræ Dei: atque adeò, omne opus in obſeruanda reformatione exercitum, erit potius malum, quam bonum; ira, indignatione, & gehenna dignum, vt communiter loquuntur reformati: ſi autem putent prædicta facere, eſſe opus bonum, tum ſic: vel tale opus meretur vitam æternam, vel non? primum dicere non poſſunt reformati: quia nullum meritum bonorum operum in ordine ad vitam, vel ſalutem admittunt: ſecundum ergo fateri debent ex ſuis principijs, nempè eiuſmodi opera, quę in obſeruanda reformatione exercentur, nullo modo conducere ad ſalutem, ſed ſanè eſt maxima ſæuitia, miſeros homines a Curijs arcere, ad ignes, ad patibula, ad bonorum iacturas damnare, ob non obſeruantiam Religionis, quæ nullo modò ex proprijs ſuis principijs, conducit ad ſalutem, atqui reformatio nullo modo ad illam confert, vt ipſa fatetur in ſuis dogmatibus, igitur nihil meriti, vel præmij ſequitur ex vllo opere, intuitu eiuſdem reformationis obſeruandæ facto, cum ſecundum præfatos reformatos, nullum opus ſit vllo modo meritorium ſalutis, vel vitæ æternæ: Deinde mens expreſſa reformationis eſt, omnibus bonis operibus renuntiare: adeoque & ipſi Euangelio: ergo non poſſunt reformati, ad reformationem cogere vllum, quandoquidem non conducat ad vitam æternam, vt ex ſuis principijs fateri conſtringuntur.

§. VII. Denique ſi ſola fides iuſtificet, idque excluſiue ad alia quæcumq; cumq; hæc fides, ſit actus internus intellectus, a voluntate imperatus, vt quid cogunt reformati, vllos ad externa opera, quæ fierent frequentando eorum ſynagogas, obſeruando

liturgias : ſi enim ſola fides ſufficit , iſta ſuperfluunt , ergo damnant ſeipſos , quod dicant ſolam fidem ſufficere ad ſalutem , & tamen alia externa exigant , quæ tamen ſecundum eos præſtare, non plus conducit ad vitam æternam , quam audire hiſtriones in foro , vel grues in campis : Rurſus , quos ſic cogunt , & vexant , vel habent iſtam fidem iuſtificantem , quæ ſecundum reformatos pleroſque , eſt in ſolis electis , vel non habent ? ſi non , igitur non debent cogi , quia non ſunt membra Chriſti , nec ipſi eam infundere poſſunt , neque homines ſic coacti , poſſunt per vlla opera mereri , vt eis infundatur , agant quidquid voluerint : cum ſecundum reformatos , nullum detur opus meritorium ſalutis , vel vitæ æternæ : ſi habent iſtam fidem iuſtificantem , quæ ſola ſecundum eos ſufficit , male cogunt illos ad alia , quæ nullo modo ad vitam æternam conducunt ; Deindè illi , quos ſic cogunt , vel ſunt electi vel non ? ſi non , cur eos cogunt , cum omnis electio facta fuerit ab æterno , & iſti ſupponantur excluſi , adeoque fruſtra coguntur , cum non ſint electi , nec ad vitam ordinati : ſi autem ſunt electi : iamiam ſunt membra Eccleſiæ , habent fidem iuſtificantem , nulla eis imputantur peccata , quantumuis peccent non obediendo legibus reformationis , omnia bona opera eis ſuperfluunt : cum ſola illis ſufficiat fides , ergo non debent cogi cum non peccent , eſto ſint refractarij , & nolint reformationem obſeruare , vel profiteri . Concludo tandem reformatos quocunque ſe vertant , quamdiu ſuis inſiſtunt principijs , per doctrinam de ſola fide , de impoſſibilitate , & inobſeruantia legis diuinæ , de ſua putatiua electione , de non imputatione ſuorum peccatorum , de ſuperfluitate bonorum operum , in ordine ad ſalutem , & vitam æternam , renuntiare Euangelio , renuntiare Chriſto , atque adeò manifeſtè ex eiſdem principijs inferri ; ſi inſiſtendum ſit reformationi , recedendum eſſe à Chriſto : & hic eſt vltimus tam reformationis , quam partis huiuſce .

F I N I S.

Y 2 PARS

PARS SECVNDA
PALINODIÆ
RELIGIONIS
PRAETENSAE
Reformatæ, Fatentis

Ex proprijs principijs, ſolam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, eius proinde fidem eſſe eandem hodie ſub INNOCENTIO XI. quæ fuit olim ſub Diuo Petro, & inde ſub S. INNOCENTIO I.

AVTHORE

F. FRANCISCO PORTERO

Hiberno Medenſi, Ordinis Minorum Prouinciæ Hiberniæ, in Collegio Sancti Iſidori de Vrbe Sacræ Theologiæ profeſſore primario.

ROMÆ, M.DC.LXXVIII.

Typis, & Sumptibus Nicolai Angeli Tinaſſij.

SVPERIORVM PERMISSV.

PARS SECVNDA
PALINODIAE
RELIGIONIS
PRAETENSAE
Reformatae, Patentis

[illegible]
[illegible] INNOCENTIO XI. [illegible]
[illegible] sub S. INNOCENTIO I.

AVTHORE
F. FRANCISCO PORTERO

Hiberno Midensi, Ordinis Minorum Provinciae
Hiberniae, in Collegio sancti Isidori de Vrbe
Sacrae Theologiae professore primario.

ROMAE, M.DC.LXXVIII.

Typis, & Sumptibus Nicolai Angeli Tinassij.

SVPERIORVM PERMISSV.

PRAEFATIO.

ARROGARVNT ſibi heterodoxi, ſeu prætenſi reformati, ſæculo ſuperiore, authoritatem reformandi orbem chriſtianum, errores corrigendi, Euangelium in priſtinam lucem, quam criminabantur extinctam, reſtituendi: quod opus vti arduum, ita ſupremam requirebat iuriſdictionem, ſine qua ſtante legitimi Iudicij forma, in re tanti momenti, cauſam cognoſcere, eius merita indagare, ſententiam proferre nemo poteſt: proinde audaci facinore inchoarunt ſeceſſionem ab Eccleſia catholica, tribus ſuffulti principijs, primo omnes omnino homines ſiue ſimul, ſiue ſeorſim ſumptos, in materia fidei poſſe errare, ſecundo nullam à morte Chriſti in terris extitiſſe, vel exſtare docendi authoritatem, cui cæteri mortales in eadem illa materia, inconſultis ſacris litteris credere teneantur: tertio non aliam eſſe rationem cognoſcendi veritatem in cauſa religionis, quam conſulere biblia, ex quibus ſinguli & ſingulæ quorumcunique hominum doctrinas, debeant expendere, ac etiam quid credendum, vel non credendum ex iiſdem determinare: vſurpatam tamen hanc reformandi authoritatem, ea ipſa principia, quibus religionis reformatæ moles innititur, peſſundant, & deſtruunt, vt tota præcedenti parte ex ipſius præteritę reformationis dogmatibus oſtendi, ita vt concluſerim, reformatos laudabili tandem palinodia, retractarę ſuam reformationem, vtpote, quæ præfatis dogmatibus vltro fatentibus, omni veræ Eccleſiæ notione, omni authoritate in rebus fidei, omni certitudine de ſua doctrina careat, inderta à Deo, an potius à diabolo prodierit; quæ genuine agnoſcit in eo ipſo ſcripturæ tribunali, ad quod olim tam perfricta fronte appellauit, cauſam perdidiſſe, & dogmata ſua, quæ iactabat ex puro puto Dei verbo ſe hauſturam, non ex illo, ſed ex fallaci cerebro ſuo excerpſiſſe: & tandem ſe Euangelio Chriſti valedixiſſe, quia tamen non vſque adeo extincta eſt in prætentis reformatis ſynderesis, aut conſcientia remordens, quin ſentiant extare in orbe terrarum, veram aliquam religionem, in qua ſit mo-

dus

dus proportionatus captui generis humani ad acquirendam euangelicæ doctrinæ notitiam, & aſſequenda ſalutis æternæ media, præſcripta à Deo, *Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: hinc ex ipſis Religionis prætentæ reformatæ principijs, oſtendam hunc veritatis inueniendæ modū, hæc ſalutis media, hanc veram Chriſti doctrinam, in ſola Romana Eccleſia inueniri, eamque communi reformationis confeſſione, eſſe veram Chriſti Eccleſiam, eiuſque fidem, eſſe eandem hodie ſub Innocentio vndecimo feliciter Regnante, quæ fuit olim ſub diuo Petro, & ſæculo quarto, ſub Sancto Innocentio Primo; adeoque nunquam variaſſe eandem fidem.

DISTINCTIO PRIMA.

Secundum expreſſa tum Romanorum catholicorum, tum prætentorum reformatorum principia, extitit ſemper cœtus viſibilis verorum fidelium à morte Chriſti.

DE hac re fuſius egi in mea ſecuri euangelica, parte 2. diſt. 1. hic autem iterum ex principijs partium alias inter ſe altercantium, idem oſtendo, nempe extitiſſe ſemper determinatum hominum Cætum orbi conſpicuum, qui perceptibili modo, doctis, & indoctis, pueris, mulieribus, & reliquæ fidelium, & infidelium multitudini, doctrinam ſalutis, ac reuelationes diuinas deberet proponere, quod ex ipſis Religionis reformatæ dogmatibus, ſecum ipſis pugnantibus manifeſte conſtabit; quamuis enim præfata dogmata, apertas inuoluant contradictiones, & falſitates, tamen D. Auguſtino teſte lib. 2. quæſt. euang. cap. 40. *nulla falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat*. Quare inter multa falſa, quæ prætenta reformatio profitetur, hæc ipſa veritas, de perpetua viſibilis Chriſti Eccleſiæ exiſtentia, continetur, vnde fit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Perpetuam veræ Eccleſiæ viſibilitatem cum Catholicis, aſſerunt reformati.

§. I. NE inutilem de nomine inſtituamus quæſtionem, aduerto duobus modis, aliquid dici poſſe viſibile, vel inuiſibile: vno modo ſtricte, quatenus ad viſum vel ſenſum aliquem corporeum refertur: alio modo late, vt ſe extendit ad mentis cogitationem, & iudicium, vel clarum, vel ſaltem obſcurum. Conuenirent cum catholicis reformati, Eccleſiam Chriſti, vti cæteros mortalium cætus, conſiſſe, & vniuerſe ſumptam, eſſe hominum congregationem, atque adeo conſtare ex perſonis corporeis, & viſibilibus, eſſeque in hoc ſenſu viſibilem, quod ſine manifeſta dementia negari non poteſt. Lis autem inter vtroſque poteſt eſſe, an in hac eadem Eccleſia, exſtent proprietates aliquæ viſibiles, ac ſenſibus perceptibiles, quibus abſoluto & certo indicio, poſſit à nobis diſcerni in particulari, illa hominum congregatio, quæ & ſit vera Chriſti Eccleſia, & diſtinguatur à ſynagogis Satanæ, & in hoc ſenſu reformati, vtpote ſibi ipſis ſemper contrarij, nunc negant Eccleſiam eſſe viſibilem, nunc aſſerunt: priorem reformatorum propoſitionem fuſe retuli, & retorſi prima parte: hic vero alteram aſſertionem refero, nempe eos conuenire nobiſcum, in hoc, quod affirmamus, eum hominum cætum, in quo eſt authoritas docendi, poſſe à nobis certo indicio in particulari dignoſci, atque adeo eſſe viſibilem, & per internum mentis iudicium, & per ipſos ſenſus externos, eſſe deſignabilem, non per ſe quidem, ſed quaſi per accidens, eo modo, quo ſubſtantia dicitur videri, viſis accidentibus, & anima, viſis operationibus, & Deus ipſe viſis effectibus, vt inquit Apoſtolus ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

§. II. Quidquid itaque olim inchoata ſua ſeceſſione effutiuerunt contra viſibilitatem Eccleſiæ reformati, vt ſuum Schiſma excuſarent, iam in praxi retractant, & fatentur, veram Eccleſiam deſignabilem eſſe, vtpote in qua dentur doctores, prædicatores, miniſtri, & adminiſtratores myſteriorum Dei, bonus denique ordo, vt inſinuant ſynodi reformatæ, & in primis ſyno-

dus Midelbangenſis habita anno 1581. Canone 1. *ad conſeruandum* inquit, *bonum ordinem, & rectam politiam in Chriſti Eccleſia, quatuor capita neceſſario requiruntur; primo miniſteria ſeu officia, ſecundo concilia ſeu Conuentus, tertio diligens inſpectio, & cura doctrinæ, & Sacramentorum & cæremoniarum, quarto & poſtremo cenſura, & diſciplina Chriſtiana.* hactenus illa. hæc autem ſubſiſtere non poſſunt, niſi in manifeſta, viſibili, & conſpicua Eccleſia: ergo ſi ſupradicta ſunt neceſſaria, ad conſeruandum bonum ordinem, in vera Chriſti Eccleſia, ſane de ratione eiuſdem Eccleſiæ, ſemper fuit, & debet eſſe, vt ſit manifeſta, viſibilis, conſpicua & deſignabilis, ad hoc vt prædicta omnia, ſuum ſortiantur effectum. In eadem etiam ſynodo, vti etiam in reliquis ſynodis reformatis, nempe in Dordracena habita anno 1574. in nationali Belgica, Germanica & Gallica anno 1578. in ſynodis Eccleſiarum reformatarum Franciæ habitis anno 1559. 62. 63. Pariſijs, Pictauiæ, Aureliaci, Lugduni, denique in Embdena ſynodo, in his inquam omnibus, fit mentio, de diuerſis gradibus, electionibus, ordinationibus miniſtrorum, fiunt ſanctiones circa diſciplinam, politiam, ritus, cæremonias, adminiſtrationes Sacramentorum, circa conuocationes, & celebrationes conciliorum, claſſium, conuentuum, presbiterij &c. item circa cenſuras, peccata, & eorum pænitentias: quæ omnia non niſi in Eccleſia viſibili fieri poſſunt: atque adeo reformati, vel inuiti coguntur fateri, quod catholici toties inculcarunt, nempe Eccleſiam Chriſti debuiſſe ſemper eſſe viſibilem, id eſt, per quaſdam externas proprietates, & ſigna, deſignabilem, oculis humani generis conſpicuam, & patentem, ergo corruit ſtultum illud primorum reformatorum delirium, vociferantium, veram Chriſti Eccleſiam, nec fuiſſe, nec debere eſſe perpetuò viſibilem, cum ex proprijs ſuis principijs, conſtringantur admittere, eam ijs inſigniri notis, quæcunque demum illæ ſint, quæ illam humano generi aperte demonſtrent.

§. III. Fatentur illud ipſum Confeſſiones reformatæ, Heluetica prior cap. 17. *quando Deus ab initio voluit homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, oportet omnino ſemper fuiſſe, nunc eſſe, & ad finem vſque ſæculi futuram eſſe Eccleſiam;* ſi oportet vt Eccleſia ſemper fuerit & exſtet, ad hoc, vt homines ad agnitionem veritatis poſſent venire, vtique ijs debuit eſſe ſemper notata ſignis, quibus eam homines, ad agnitionem veritatis venire cupientes, diſcernerent ab alijs ſectis, quæ non veritatem, ſed falſitatem docent: expreſſius vero ait Heluetica poſterior cap.

14. *ex talibus lapidibus ſuper viuam petram Eccleſiam tenemus, quæ quidem, cum ſolius Dei oculis ſit nota, exterius tamen quibuſdam ritibus, ab ipſo Chriſto Inſtitutis, & verbi Dei velut publica, legitimaque diſciplina, non ſolum cernitur, cognoſciturque, ſed ita conſtruitur, vt in hanc ſine his, nemo ſine ſingulari Dei priuilegio cenſeatur.* & ſane niſi eſſet ſenſibiliter perceptibilis, nemo eam ſine miraculo cognoſceret, nemo eam audire, vel de veritate interrogare poſſet. item Confeſſio Belgica art. 28. agens de Chriſti Eccleſia, *credimus*, inquit, *neminem ſe ſe ab ea ſubducere debere, ſed omnes pariter teneri, huic ſe adiungere, eique vniri* ſed hoc nemo poſſet facere, niſi Eccleſia talibus eſſet indicijs manifeſta, vt quis ei, præ alijs cœtibus, ſe poſſet adiungere; Argentinenſis cap. 13. declarat, *Miniſtros Eccleſiæ habere poteſtatem ligandi, & ſoluendi:* Miniſtri autem huiuſmodi, non niſi in conſpicua Eccleſia eſſe poſſunt, ac poteſtatem ſuam exercere. Scotica art. 18. *neceſſe eſt vt vera Eccleſia a ſordidis Synagogis, perſpicuis & perſpectis notis diſcernatur, ne decepti, ad noſtram damnationem, falſam, pro vera recipiamus.* Saxonica cap. de Eccleſia; *Eccleſiam monſtramus, quæ conſpici, & exaudiri poſſit. Dicimus igitur Eccleſiam viſibilem in hac vita.* Confeſſio Bohemica, art. 8. & 9. agit de adminiſtratione ſacramentorum, & miniſtrorum inſtitutione, quæ functiones non niſi in Eccleſia viſibili, fieri poſſunt. tandem omnes confeſſiones expreſſè agunt, de miniſtris, & miniſterio verbi exercendo in Eccleſia, quod palam oſtendit, reformatos admittere eas actiones, quæ in Eccleſia viſibili exercentur.

§. IV. Eccleſiam Chriſti manifeſtis conſtare notis, patet vlterius ex principijs reformatorum admittentium tria ſymbola, nempe Apoſtolicum, Nicænum, Athanaſij, vti admittit confeſſio Anglica art. 8. Gallica art. 4. Belgica art. 8. Apoſtolicum, & Nicænum admittit VVittenbergica tit. de Eccleſia. Bohemica art. 2. confeſſio generalis Eccleſiarum reformatarum Regni Poloniæ; confeſſio Principis Palatini: hæc autem ſymbola deſcribunt veram Eccleſiam, per manifeſtas notas, præſertim Nicænum, ſeu Conſtantinopolitanum, inquiens, Eccleſiam eſſe *vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam. vnam* ſcilicet, ſiue vniformem, non ſolum in fide interna, ſed etiam in externa fidei confeſſione, & profeſſione, non ſibi contrariam, diſparatam, vt vnum profiteatur in Gallia, diuerſum in Germania, ſed vnum idemque de myſterijs reuelatis, vbique, & vniformiter, tam interne credat, quam externe profiteatur; *Sanctam*, tam internis,

quam externis operibus bonis. *Catholicam*, ſiue diffuſam per omnia tempora, & loca, in oculis mundi, in luce gentium, vt teſte Iſaia cap. 61. *omnes qui viderint eam, cognoſcant, quia hoc eſt ſemen, cui benedixit dominus. Apoſtolicam*, per linealem diſcenſum doctrinæ Apoſtolicæ, de manu in manum traditæ, & ſucceſſionem continuam paſtorum, ab ipſa Apoſtolorum morte, vſque ad hodiernam diem.

§. V. Obtinuimus tandem a reformatis, quod toties inculcarunt Catholici Doctores, nempe, eum hominum cætum, qui veram Chriſti fidem profitetur, ac profitendam cæteris mortalibus proponit, debuiſſe ſemper conſpicuum eſſe orbi terrarum, & oculis humani generis patentem, veram proinde Chriſti Eccleſiam externis & manifeſtis dotari ſignis, quibus apertè, & clarè diſcerni poſſit a ſynagogis Satanæ, atque adeo ſtultam, & vanam fuiſſe illam reformatorum euaſionem, criminantium, veram Chriſti Eccleſiam, tot ſęculis latuiſſe abſconditam, ad hoc vt ſuum ſchiſma, ab Apoſtaſiæ nota vindicarent, nunc vero, quia ipſi reformati conſtant cætum viſibilem, mutant ſtylum, retractant priora principia, & nobiſcum tandem fatentur, veram Chriſti Eccleſiam debere ſemper eſſe viſibilem, & manifeſtam, externiſque indicijs perceptibilem: quare concludo ſequenti diſcurſu. Illa Eccleſia, quæ perſpicuis & manifeſtis notis ſemper erat affecta, vtique non latuit abſcondita, & Inuiſibilis; ſed vera Chriſti Eccleſia, etiam ſecundum reformatos, perſpicuis, & manifeſtis notis erat ſemper affecta: ergo vera hæc Eccleſia, nunquam latuit abſcondita & Inuiſibilis: implicat, enim, vt aliquid habeat manifeſtas ſuas notas, & tamen ſit inuiſibile, & oculis humanis per huiuſmodi notas imperceptibile; habemus igitur, fatentibus prætentis reformatis, cætum fidelium a morte Chriſti perpetuo fuiſſe viſibilem: quod probatur vlterius. & ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Cætum fidelium debuiſſe ſemper eſſe viſibilem, & omnibus conſpicuum, probatur ex fine Religionis Chriſtianæ.

§. I. CVm Deus velit omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, reliquit vtique humano generi me-

medium aliquod, per quod poſſet ad hanc ſalutem, & eius notitiam peruenire, & hoc medium contendo eſſe cætum fidelium, cuius authoritas, animata vox, & vocalis traditio, eſt ea credendi regula, quam mortales in credendo ſequi debent, vt in ſequentibus oſtendam, cum autem homines, vt antea notaui, in intelligendo dependeant a phantaſmatibus, & ſenſibus, pro hoc ſtatu non niſi ſenſuum miniſterio, fidei diuinæ articulos percipere, & audire poſſunt, atque adeo fideles, & credituri, per homines, ſenſibili voce, & manifeſtis ſignis, ac argumentis inſtrui debent, quod vt recte fiat, ille hominum cætus, cuius vox & authoritas, vt dixi, eſt norma credendi, ſenſibilibus indicijs conſtet, neceſſè eſt, vt ſenſibiliter cognoſci, audiri, & percipi poſſit; alias vt ait Apoſtolus ad Rom. 10: *quomodo credent homines ei, quem non audiuerunt? quomodo audient, ſine prædicante?* vnde recte D. Auguſtinus lib. 17. contra Fauſtum cap. 11. *in nullum*, inquit, *nomen religionis, congregari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligitur* & lib. de vera Relig. cap. 2. *Chriſtianis temporibus, quænam Religio ſit potiſſimum tenenda, & quæ ad veritatem, & beatitudinem via ſit, non eſt dubitandum.* Item Arnobius lib. 2. contra gentes probat, *Incredulum genus humanum, doctrinæ Chriſti nunquam fuiſſe aſſenſurum, niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, vt dicitur, clarior*: volunt innuere patres iſti, Religionem Chriſtianam, manifeſtis debere conſtare ſignis, quibus velut a poſteriori, clare, & expreſſè, & morali quadam euidentia probetur eius exiſtentia.

§. II. Hinc catholici doctores, perceptibilem, & ſenſibilem veræ Eccleſiæ exiſtentiam aſtruunt, vt habet Doctor ſubtilis in 3. diſt. 30. q. vnica. *Eccleſia*, inquit, *a principio perſecutionem paſſa eſt, & ex hoc profecit*. non poterat autem perſecutionem pati, niſi manifeſtis conſtaret indicijs. Montepiloſus in tertium ſentient. diſp. 29. *Supponimus duo eſſe obiecta diſtinguenda, vnum euidens, clarum, ſcibile, ex propria exiſtentia viſibili. alterum Ineuidens, obſcurum, ſub ſolo teſtimonio alterius credibile, primum eſt Eccleſia catholica euidenter clare, ſenſibiliter approbans, vel authentice proponens credenda de neceſſitate ſalutis, vt a Deo reuelata ſub teſtimonio viſibili ipſius Eccleſiæ approbantis; vel authentice proponentis.* & diſp. 32. *Dicimus fidei Regulam Infallibilem, eſſe neceſſario animatam, quæ poſſit fidelibus ſenſibiliter loqui ſcilicet ſenſibili modo, res fidei proponere, declarare &c.* Gregorius de Valen-

Valentia 2. ſecundæ diſp. 1. qu. 1. puncto 7. *ab orthodoxis doctoribus ſecundum certiſſima, & clariſſima ſcripturarum ſanctarum teſtimonia, Eccleſia viſibilis dicitur, id eſt in luce hominum, & in conſpectu poſita, vt quouis ſæculo euidenter internoſci, & quaſi digito demonſtrari queat congregatio illa, quam eſſe Eccleſiam veram, determinatè credere poſſis, ac debeas: non eſt autem ſenſus Eccleſiam eſſe ſic viſibilem, ſicut ſunt nobis viſibiles prædeſtinati, ignoramus tamen, an re vera ſint prædeſtinati, ſed Eccleſiam eſſe viſibilem, ſecundum certiſſima, & clariſſima teſtimonia, ſeu argumenta, quibus euidenter internoſci, & quaſi digito demonſtrari poſſit.* Ægidius Conninch de fide diſp. 11. dub. 3. *omnino tanquam certum ſtatuendum eſt, poſſe clarè demonſtrari, quæ ſit vera Chriſti Eccleſia ac recta fides.* Suares de fide diſp. 9. ſect. 8. *videmus eam congregationem hominum in indiuiduo, & in particulari, quam certo indicamus eſſe veram Eccleſiam, ex his quæ ipſis oculis, in ea conſpicimus.* plures alios, vti & multa ſcripturæ loca, ac patrum ſententias, de manifeſta hac exiſtentia Eccleſiæ, & regulæ credendi omitto: cum illa fusè retulerim in mea ſecuri Euangelica. parte 2. diſt. 1.

§. III. Probatur nunc ex fine Religionis Chriſtianæ, qui eſt ad gloriam æternam perducere mortales, per agnitionem veritatis, & mandatorum obſeruantiam; quod facere non poſſet, niſi vera Eccleſia manifeſtis dotaretur indicijs, quibus a credituris perſpicue internoſceretur eius exiſtentia, niſi enim talibus ac tantis fundamentis, Chriſtiana eſſet comprobata religio, & Chriſtianorum credendi regula, quæ dubitandi locum tollerent, nemo poſſet veram a falſa Eccleſia certo dignoſcere, aut mediante eadem Eccleſia, ad agnitionem veritatis vnquam peruenire, & ita, nihil certi, in electione veræ Religionis, vel diſcretione, & diſtincta notitia veræ Eccleſiæ poſſet haberi, omnia eſſent dubia in iſto negotio, & liceret quamlibet, vel nullam Religionem amplecti, quorum vtrumque, manifeſtum ſapit Atheiſmum; quare vti non ſufficit, prædeſtinatum oculis tantummodo eſſe viſibilem, vt ſciri poſſet, an ſit reuera prædeſtinatus, niſi certa & manifeſta inſuper adſint ſigna, quibus certo ac determinate cognoſcatur eius electio, ac prædeſtinatio; ita non ſufficit cætum verorum fidelium, eſſe ſolummodo viſibilem, cum etiam Eccleſia malignantium, & ſynagoga ſatanæ ſint viſibiles, ſed præterea requiritur vt certis, manifeſtis, perſpicuis notis, & argumentis ſit ita viſibilis, vt per illa diſtinguatur, & diſcernatur ab erroneis ſectis, idque vt aiunt ſupracitati authores,

res, ſenſibiliter & perceptibiliter. præterea concedunt omnes orthodoxi theologi, imo & ex reformatis nonnulli, vti Hugo Grotius, tract. de veritate Chriſtianæ Religionis, & Hieronimus Kromayerus in ſcrutinio Religionum, motiua & argumenta veræ Religionis, reddere cæteras omnes incredibiles, quod ſi reddantur incredibiles, fiunt etiam improbabiles, cum probabilia ſunt credibilia, vt patet in opinionibus ſcholaſticis, quarum pleræque a parte rei ſunt falſæ, quo non obſtante, ſunt credibiles, & probabiles, quandoquidem plurimi eas credant, probent, & ſequantur: atque adeo exiſtentia veræ Religionis, & Eccleſiæ, non debet eſſe probabiliter, aut probabilius nota tantummodo, cum probabile, aut probabilius, non tollat ab extremo contrario probabilitatem, aut credibilitatem, vt patet in præfatis ſcholarum ſententijs: debet igitur proprijs ſuis indicijs, rationibus, & fundamentis eſſe certa iſta veræ Eccleſiæ exiſtentia, ergo & conſpicua, manifeſta, & oculis humani generis aperte patens, tanquam *via directa*, vt inquit Iſaias, cap. 8. per *quam ſtulti non errent*. cum itaque vera Religio, ex iam dictis, debeat ſuperare alias omnes, quoad ſuam credibilitatem, habebit aliquid ſupra eas, quo manifeſte, & a poſteriori probet ſuam exiſtentiam in hoc orbe, ſeque præ reliquis datam eſſe a Deo hominibus, in qua ſalui fiant. quare vel Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, nec ad agnitionem veritatis venire, quod eſt falſum; vel vera Religio, & Eccleſia, quam mortales in credendo audiant, debet omnibus in mundo eminere, ſola inter omnes, velut Ciuitas ſuper montem poſita, velut lucerna ſuper Candelabrum, velut mons domus domini, in vertice montium, velut lux mundi exſtare: fundamentis ſuis, cæteras Religiones obruere, & conſequenter apertis, manifeſtiſque inſigniri notis, vt facile ab omnibus, qui viam veritatis inquirunt, inueniri poſſit, & cognoſci.

§. IV. Vnde hic iterum repeto locum Apoſtoli 1. ad Tim. 2. *Deus omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ergo vult vt hæc ipſa veritas, poſſit ab hominibus inueniri; igitur inuenibilis eſt, atque adeo erit agnoſcibilis, & diſcernibilis ab impoſturis, & erroribus falſarum ſectarum, quibus orbis ſcatuit ſemper, hodieque ſcatet. inueniri autem non poteſt vera Religio, & Eccleſia Chriſti, niſi agnoſcendo, & diſcernendo, nec diſcerni poteſt, niſi per certas, conſpicuas, & manifeſtas notas, quibus inſignita ab omnibus ſalutem ſuam quærentibus cognoſci

ſci poſſit. Sequelæ iſtæ, à nemine negari poſſunt, niſi ab eo, qui inficiaretur præfatum Apoſtoli locum, aut Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: confirmatur ex omnium Chriſtianorum communi ſenſu, tenemur enim veræ Eccleſiæ adhærere, eius magiſtratibus, & membris communicare, quæ fieri non poſſent, niſi ipſa Eccleſia, cui nos adiungere, & cuius vocem, tanquam Regulam, audire & ſequi debemus, nobis manifeſte conſtaret: quinimo ipſi reformati, licet vt ex prima parte conſtat, omni vmbra veræ religionis careant, compellunt homines ad ſuam reformationem, quod ſi iudicarent veram Eccleſiam omni manifeſto, & ſenſibili ſigno deſtitui, ſtulte per tantam violentiam, cogerent mortales ad eam religionem, quam tamen putarent, an vera ſit an falſa, nullo perſpicuo indicio diſcerni poſſe; hoc ergo ipſo, quo ſic homines compellunt, ſentiunt veram Eccleſiam, vbicumque demum illa ſit, diſcerni poſſe, ac debere à falſa, & ſpuria, vt eius vocem ſequi & audire poſſint fideles, & credituri. cum igitur, vt rurſus repetam, Deus velit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, clarum eſt eum dediſſe hominibus, Regulam aliquam perceptibilem, & manifeſtam, quam in inquirenda, & credenda ea veritate ſequantur, ſi dedit hanc Regulam, dedit modum, quó illa inter omnes agnoſcatur, alioquin fruſtra eam dediſſet; ſed non fruſtra illam dedit, ergo dedit prædictum modum perceptibilem, & manifeſtum, eam internoſcendi; qui enim dat formam dat conſequentia ad illam, qui finem præſcribit, prouidet de medijs: ergo prouidit Deus notas, & manifeſta indicia, quibus mortales potuerunt ſemper, & poſſunt duci in cognitionem veræ Eccleſiæ, vt illius voce inſtruantur, & ad agnitionem veritatis, ac ſalutis æternæ perducantur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Viſibilem fidelium cætum perpetuo durantem, conſtari ex malis & bonis, cum catholicis, fatentur prætenti reformati.

§. I. CVm ſola Romana Eccleſia, præ cæteris hominum cætibus, qui Chriſtum profitebantur, eo tempore, quo re- for-

formati ab ea ſeceſſionem fecerant, per orbem Chriſtianum, longius latiuſque ſuos radios diffunderet, & in oculis humani generis, eminentius corruſcata, tantam ferre lucem, oculi reformatorum nequiuerant; hinc vt ſuum Schiſma excuſarent, commentitio prætextu finxerunt veram Chriſti Eccleſiam, ex incognitis ſanctorum membris conſtare, ſoli Deo notam, mortalibus incognitam, abſconditamque, per tot ſæcula latuiſſe. Quod figmentum 1. parte in ipſos reformatos retorſi: nunc præſentis negotij progreſſus, eo ſermonem deduxit, vt inquiramus, an reuera ita nunc in praxi ſentiant reformati, vt velint præfatam Eccleſiam, eſſe debere ignotam; an e contra eorum principia potius euincunt, cætum fidelium debere conſtare determinatis, & notis membris, bonis & malis, & viſibiliter ſemper à morte Chriſti, & Apoſtolorum perduraſſe conſtet, ex neceſſitate mediorum ſalutis.

§. II. In quo puncto, retractata iam, de incognita ſanctorum congregatione ſententia, reformati cum Catholicis conſentiunt, vt teſtantur eorum confeſſiones, Anglica Art. 26. *Quamuis, in viſibili Eccleſia, mali ſint ſemper mixti cum bonis, & aliquando habeant præcipuam authoritatem, in adminiſtratione verbi Dei, & Sacramentorum, tamen quatenus hæc non agunt in ſuo, ſed Chriſti nomine, & miniſtrant ex Chriſti commiſſione, & authoritate, poſſumus vti eorum miniſterio, tam in audiendo verbum Dei, quam in recipiendis Sacramentis*. non ergo ex ſolis ſanctis, & Electis, incognitiſque conflatur Eccleſia, neque in ignotis eiuſmodi perſonis, reſidet eius miniſterium, iuriſdictio, vel authoritas, ſi vera fateatur confeſſio Anglica. ſuccedit Heluetica prior cap. 17. *non omnes, qui numerantur in Eccleſia ſancti, & viua & vera ſunt Eccleſiæ membra, ſunt enim hypocritæ multi* & cap. 18. in fine, *execramur*, inquit, *Donatiſtarum errorem, qui doctrinam, & adminiſtrationem Sacramentorum, vel efficacem, vel inefficem, ex mala, vel bona miniſtrorum vita æſtimant*. Heluetica poſterior art. 19. ait *miniſtrorum munus inter alia eſſe, vitioſa monere, reprehendere, coercere, & graſſantes longius, conſpiratione pia eorum, qui delecti ſunt, à diſciplina excludere, vel alia ratione mulctare, donec reſipiſcant*. idem habet confeſſio Baſileenſis, art. 6. nempe, *Magiſtratui Eccleſiæ Datam eſſe ſummam externam poteſtatem, bonis ad defenſionem, malis ad vindictam, eos proinde monendos, vt apud ſuæ curæ commiſſos, nomen Dei ſanctificetur, ipſiuſque voluntati cum ſeria ſcelerum extirpatione viuatur*. ſi extirpanda ſunt ſcelera, erunt ergo homines ſcelerati in Eccleſia, quorum ſcelera extirpentur.

§. III. Sequitur Scotica confeſſio, art. 18. dicens, *inter alias*

Eccleſiæ notas; eſſe diſciplinam Eccleſiaſticam, recte adminiſtratam, ad reprimendum vitium, & virtutem fouendam; admittit igitur in Eccleſia vitioſos, quorum vitia reprimantur. Confeſſio Belgica art. 29. *Notæ Eccleſiæ veræ, hæ ſunt, ſi pura Euangelij prædicatione vtatur, ſi diſciplinam Eccleſiaſticam, vt vitia corrigantur, obtineat*. ſunt igitur mali in Eccleſia. Confeſſio Argentinenſis cap. 15. *Eccleſia eſt ſocietas eorum, qui Chriſto nomen dederunt, fideique eius ſe totos commiſerunt, quibus permixti ſunt, qui fidem Chriſti ſimulant*. mali vtique. Confeſſio Saxonica cap. de Eccleſia, *Deus ſemper in genere humano cœtum eſſe voluit, cui tradidit doctrinam de filio, in hoc cœtu vocatorum, ſcias aliquos eſſe electos, in quo cœtu multi ſunt non ſancti.* Confeſſio Bohemica art. 8. ait, *In Eccleſia eſſe hypocritas, & impios*. Auguſtana art. 7. variato, *eſt autem Eccleſia Chriſti proprie congregatio membrorum Chriſti, etſi in hac vita, huic congregationi, multi mali, & hypocritæ admixti ſint vſque ad nouiſſimum iudicium*. VVittenbergenſis, tit. de Eccleſia, *credimus, & confitemur, quod vna ſit Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, quod huic Eccleſiæ in vita multi mali, & hypocritæ admixti ſint*. ex quibus habemus Eccleſiam Chriſti, fatentibus prætenſis reformatis, non conflari ex ſolis ſanctis.

§. IV. Fatentur ſynodi reformatæ id ipſum, Midelburgica citata ſuperius art. 1. §. 2. ſynodus nationalis Belgica, Germanica, Gallica cap. 6. *pœnæ eccleſiaſticæ neceſſario requiruntur, ad peccatores Deo, & proximo reconciliandos, ad tollendum ab Eccleſia ſcandalum*. & idem inculcat per totum illud caput. ſynodus reformata Pariſienſis anno 1559. præſcribit modum celebrandi ſynodos, tam generales, quam ſpeciales, & tit. de excommunicatione inquit, *hæretici, & contemptores Dei, rebelles conſiſtorij, traditores Eccleſiæ, & illi, qui ſunt ſcandalo Eccleſiæ, penitus exterminabuntur, & reijcientur, non ſolum à Sacramentis, ſed etiam à tota congregatione*. altera ſynodus reformata Pariſienſis anno 1565. art. 2. *cum omnes errores, qui committuntur, corrigi debeant ab Eccleſia, per verba Chriſti, & ſecundum regulam Charitatis, & cum omnes non ſint æquales, ſed hi enormes, illi minores, hi priuati, illi publici, neceſſe eſt adhibere cenſuram, & reprehenſionem ſecundum eorum qualitatem, & magnitudinem*. politia Palatinatus tit. de diſciplina, declarat, *quomodo in Eccleſia peccata priuata, priuatim, publica, publice puniantur, quomodo contra peccatorem obſtinatum, & in ferendis cenſuris procedendum ſit*. Et ne miniſtri cenſeantur immunes à peccatis, vel impeccabiles, hinc reformata ſynodus Midelburgica, can. 3. & 7. decer-

decernit, *quomodo caſtigandi ſint delinquentes miniſtri*, & in ſuis interrogationibus num. 43. declarat, *quomodo procedendum, contra miniſtros, de impuritate doctrinæ ſuſpectos, & conuictos*. Similiter, *puniendos delinquentes miniſtros ſtatuit Dordracena ſynodus*, num. 13. habita anno 1574. idem ſtatuitur in actis nationalis ſynodi Belgicæ, Germanicæ, Gallicæ anno 1578. in interrogationibus ad tertiam in ſynodo Pariſina anno 1559. num. 11. in ſynodo reformata Lugdunenſi anno 1563. num. 31. in diſciplina Eccleſiaſtica Eccleſiarum reformatarum Franciæ.

§. V. Fatentur igitur reformati, eſſe in Eccleſia, malos, reprobos, hypocritas, vt patet ex eorum confeſſionibus, fatentur in eadem committi peccata, illaque tam in paſtoribus, quam in ouibus caſtiganda, fatentur rectum Eccleſiæ ordinem, requirere diſciplinam, ſynodos, concilia, hæc autem oſtendunt manifeſte, Eccleſiam non ex incognitis electorum, vel Sanctorum membris, ſed ex bonis & malis, promiſcue conflari: figmentum igitur, & impoſtura eſt illud olim reformatorum commentum, aſſerentium de ratione, vel notione veræ Chriſti Eccleſiæ, eſſe vel vnquam fuiſſe, latere in tenebris, conſtare ex ignotis membris, cum iam mutata ſententia, fateantur, eam ſemper debere eſſe viſibilem hominum cœtum, in quo diſciplina exerceri, peccata Corrigi, Sacramenta adminiſtrari, concilia haberi, & celebrari, cenſuræ ferri poſſint, ac debeant, vt patet diſcurrendo per ſingula: nam cœtus, in quo peccata publice committuntur, & corriguntur, debet eſſe cognoſcibilis, non incognita ſanctorum congregatio, talis eſt Eccleſia Chriſti, ſecundum reformatos: ergo. item cœtus, in quo celebrari debent concilia, prædicari Verbum Dei, adminiſtrari Sacramenta, debet conſtare ex hominibus notis, determinatis, & conſpicuis, qui ſenſibiliter diſputare, proponere, examinare, decidere res poſſint, ſed hæc debent fieri in cœtu fidelium, etiam ſecundum reformatos; ergo ille cœtus debuit ſemper eſſe neceſſario viſibilis & cognitus, non incognitus, & abſconditus, atque adeo fictitius, & incognitus ille ſanctorum, vel electorum cœtus, olim à reformatis ſtulte excogitatus, nullos vnquam habuit viſibiles paſtores, doctores, miniſtros, nullos interpretes, nulla concilia, vel ſynodos, nullam diſciplinam, nullam prædicationem verbi, nullam publicam fidei profeſſionem, nullam cenſuram in delinquentes, nulla item vnquam adminiſtrauit Sacramenta, nulla dedit reſponſa, ad ortas de fide controuerſias, nullas item pro eadem fide ſuſtinuit perſecutiones,

cum nulli perſequenti fuerit nota iſtiusmodi latens Eccleſia, & conſequenter, iuxta ipſorum reformatorum ſententiam, fuit mera Idæa Platonica,

§. VI. Et hinc, tam ex dictis, quàm vlterius elicitur, perpetua viſibilis fidelium cætus duratio; nam ſine fide in Chriſtum, & eius Baptiſmo, nemo poteſt ſaluari, fides autem ex Apoſtolo ad Rom. 10. *eſt ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti: ſed quomodo credent ei ſine prædicante?* quo ſuppoſito, Sic vrgeo: vel extitit viſibiliter ſemper à morte Chriſti, verorum chriſtianorum cætus, quem cæteri mortales audire poſſent, vel non extitit? ſi primum, habemus intentum, nempe hunc cætum, nunquam latuiſſe abſconditum ab oculis humani generis; ſi ſecundum, ergo genus humanum toto tempore, quo latuit cætus ille verorum fidelium, non habuit medium, quo poſſet fidem Chriſti acquirere, vel ad agnitionem veritatis venire: tum ſic rurſus, vel cæteri mortales, toto illo tempore latentis Eccleſiæ, inculpabiliter ignorarunt fidem Chriſti, vel non? si non inculpabiliter ignorarunt illam fidem, ergo peccarunt ignorando, quod eſt contra ipſum Chriſtum, Ioan. 15. *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*; si autem inculpabiliter ignorarunt fidem Chriſti; tunc iterum sic, vel cæteri illi mortales damnabantur, vel non? si non ergo ſine fide Chriſti & eius Baptiſmo, ſaluantur; ergo Chriſtus non eſt vnus mediator Dei, & hominum, cum non fuerit mediator iſtorum, quibus nunquam illius redemptio, per eius Baptiſmum, & fidem fuit aplicata; ſi autem damnabantur, iam ſine culpa ſua damnabantur, vt patet, illi enim non poſſunt iuſte damnari, quibus eſt impoſſibile ſaluari; ſed illis hominibus, fuit impoſſibile ſaluari; ergo illi non poterant iuſte damnari: maior probatur, vt quis enim culpabiliter damnetur, debet habere media ad euitandam damnationem, adeoque iuſte damnatur, quia fuit in manu eius per media illi data, non damnari, ſed potius ſaluari. Minor ſimiliter patet, nam ſine fide, & baptiſmo Chriſti, impoſſibile eſt, de lege poſita, ſaluari, ſed illi qui tunc ſupponuntur damnati, non poterant fidem Chriſti, aut eius Baptiſmum ſuſcipere, cum nemo eis potuerit fidem illam prædicare, vel adminiſtrare baptiſmum, & alia Sacramenta, latente ſcilicet Eccleſia, in vtopia, vel concauo lunæ; atque adeo fuit ipſis impoſſibile ſaluari; ſed eſt ſumma blaſphemia, dicere, quod Deus conſtituerit genus humanum in eo ſtatu, in quo non poterat vel fidem, vel Sacramenta Chriſti ſuſcipere, ſine quibus

homi-

homines non poſſunt ſalutem acquirere, & tamen eoſdem adhuc damnauerit; ne igitur tam horrenda admittatur Blaſphemia, dicendum verorum fidelium cætum, exſtitiſſe ſemper viſibilem, vt mortales, quos omnes Deus vult ſaluos fieri, poſſent ad agnitionem veritatis venire, de qua re fuſius infra.

§. VII. Denique patet ex notis, quas ipſi reformati aſſignant, quæ ſunt pura prædicatio, & legitima ſacramentorum adminiſtratio, nam ſecundum præfatos reformatos, Eccleſia ſemper exſtitit, licet per aliquod tempus latuerit abſcondita; ſed Eccleſia latens, & abſcondita, non fuit Eccleſia Chriſti, vt probo ex prædictis notis; illa enim ſecundum eoſdem reformatos, eſt vera Eccleſia, in qua datur pura verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio; atqui impoſſibilis eſt pura prædicatio, niſi voce ſenſibili, ſenſibiliter facta, in conſpicuo & ſenſibili cætu, per notos, manifeſtos, & determinatos prædicatores: impoſſibilis ſimiliter eſt legitima Sacramentorum adminiſtratio, niſi per adminiſtratores viſibiles, viſibiliter facta, & collata hominibus, qui Sacramenta ſuſcipere, qui catechizari, qui inſtrui, & doceri ſenſibiliter valeant: ergo vel iudicio reformatorum, illa non ſunt legitima veræ Eccleſiæ ſigna, vel ſi ſint, illa Eccleſia nunquam latuit abſcondita, cum prædictæ notæ, non niſi in cætu viſibili poſſint ſubſiſtere: quare ſi latuit Eccleſia, ſane caruit pura prædicatione, & legitima Sacramentorum adminiſtratione, atque adeo, non fuit vera Chriſti Eccleſia, quæ vt fatentur reformati, ſine talibus ſignis, nequit ſubſiſtere, quomodo enim daretur vera Chriſti Eccleſia, ſine Sacramentis, legitime adminiſtratis; ſine fide, quæ ex auditu concipitur? auditus autem ſupponit prædicantem, prædicans ſupponit perſonam viſibilem, & notam, ac cætum conſpicuum in quo ille prædicat, quare illæ ipſæ notæ quas aſſignant reformati, oſtendunt Eccleſiam Chriſti, debere eſſe neceſſario viſibilem, hinc ſit.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo cũ ſenſibili veræ Eccleſiæ exiſtentia, ſtet articulus ille ſymboli, credo Sanctam Eccleſiam Catholicam.

§. I. OMnes Confeſſiones reformatæ, & catechiſmi admittunt ſymbolum Apoſtolicum, in quo habetur Arti cu-

ticulus ille, *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, ex quo reformati mouent dubium, an hoc ipſo, quod fide credatur, exſtare Eccleſiam Chriſti, illa debeat eſſe obſcura & latens, vel an ex eo, quod oculis omnium ſit manifeſte patens, deſinat idcirco credi fide, cuius obiectum petit eſſe obſcurum. Vbi obiter nota, quod fides diuina aliquid per ſe, aliquid per accidens reſpiciat, vt obiectum: fides per ſe reſpicit verum non apparens, iuxta illud ad Heb. 11. *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*; per accidens vero, & per concomitantiam, reſpicit ſubinde aliquid viſum, & apparens, vt connexum cum non apparente: fides igitur eſt de eo, quod patet quidem, non tamen quatenus patet, cum per ſe ſit, de non apparentibus, ſed erit per accidens de apparentibus: v. g. forma interior Eccleſiæ eſt fides, nobis quidem obſcura, tamen per externa ſigna, videri aliquo modo poteſt, ſicut cauſa per effectus: quod etiam reformati aſſerunt, dum in ſuis Confeſſionibus dicunt, fidem debere exterius per opera prodire; quamuis ergo non videatur ipſa forma, qua membra Eccleſiæ vniuntur interius inter ſe, videtur ſaltem in ſuis ſignis: hæc autem ſigna nobis oſtendunt veram Eccleſiam, veramque illius fidem a poſteriori; atque adeo, cum hæc eadem ſigna ſint connexa, cum vera Eccleſia, fides fertur in hoc complexum, quod conflatur ex forma inuiſibili interna, affecta ſignis externis; per ſe quidem, in formam internam, per accidens vero, in formam externam; vnde viſio ocularis, & cognitio ſcientifica intellectus, acquiſita ex tali viſione, licet videat formam externam, & externa ſigna, non tamen videt aut formam internam, aut connexionem vtriuſque formæ inter ſe: viſibilitas igitur Eccleſiæ, non impedit, quin etiam ſit obiectum iſtius articuli, *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*.

§. II. Vt ſequentibus exemplis paſſim, ex orthodoxis Authoribus oſtendo, idque ex 1. Ioan. 1. *quod vidimus & audiuimus, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* habuerunt igitur Apoſtoli, de verbo vitæ, ſeu Chriſto ſenſationem viſus, auditus, & tactus, habuerunt inſuper fidem de eodem, vt idem Apoſtolus ibidem cap. 3. ait, *hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti*. ergo idem fuit ipſis viſibile, & credibile; Item Apoſtoli viderunt Chriſtum crucifixum, mortuum, ſepultum, reſuſcitatum, aſcendentem in cælum, ſed de his ipſis in ſymbolo, compoſuerunt articulos fidei; ergo viderunt & crediderunt idem,

nam

nam videntes Chriſtum crucifixum, mortuum, ſepultum, hominem iſta patientem, viderunt & ſimul Deum eſſe, & humanitatem illam, deitati vnitam eſſe crediderunt, cum enim Chriſtus prædixiſſet Apoſtolis, Lucæ 18. *Ecce aſcendimus Hieroſolimam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas, de filio hominis, tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget*; Et Ioan. 2. dicitur *cum ergo reſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dixiſſet, & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni, quem dixit Ieſus.* Hinc Apoſtoli proprijs oculis, viderunt illud ipſum, quod Chriſtus de ſe ipſo futurum prædixit, tamen quando hoc contigit, nihil obſtabat, quin crederent, hæc eſſe illa, quæ Chriſtus prædixerat.

§. III. Ita ſimiliter cum Chriſtus prædixerit Math. 16. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi, non præualebunt aduerſus eam.* quando hæc ipſa Eccleſia hodie in terris, per ſua ſigna externa, proprietates, & indicia videtur, non repugnat credere, quod ſit illa, quam Chriſtus reuelauit perpetuo futuram, quare cum in die pentecoſtes, ad primam Diui Petri concionem, Baptizati ſunt circiter tria millia, Apoſtoli viderunt, Eccleſiam iam fundatam, multiplicari, & ſic deinceps habuerunt perſpicuam notitiam de Eccleſia, & crediderunt eam eſſe, quam Chriſtus ſe fundaturum prædixerat; cum enim id dixit, erat obſcurum & futurum, ſicut cum prædixit, ſe miſſurum Spiritum Sanctum, eodem ſpiritu apparente, per ſigna ſenſibilia, in die pentecoſtes, manifeſtè viderunt effectus prædictos, & crediderunt, illum eſſe Spiritum Sanctum promiſſum; ſic vt antea dixi, nos hodie videmus Eccleſiam, mediantibus ſuis ſignis externis, & credimus ſimul eam eſſe, quam Chriſtus nobis promiſit perpetuo duraturam: ſic ſe habent omnes prophetiæ, cum enim exiſtunt, quæ prædicta fuerunt, res illæ exiſtentes clarè videntur: prædictus fuit Meſſias, cum his & illis ſignis, venit cum illis ipſis, aliqui crediderunt, alij non: horum diſſenſus, erat vera infidelitas, illorum aſſenſus vera fides, vtrique tamen eum intuitiuè, cum illis ſignis viderunt. Sic Eccleſia olim prædicta, hodie cum ſuis ſignis, & per ſuas notas videtur, & creditur etiam, quod ſit illa eadem olim prædicta.

§. IV. Dum enim elicitur aliquis actus fidei, circa aliquod obiectum, non eſt opus, vt tam ſubiectum, quam prædicatum, ſint obſcura, & non viſa, ſed ſufficit ſi prædicatum ſit obſcu-

rum

rum: patet exemplo cæli, terræ, ſolis, aliarumque rerum conditarum, iſta quidem videntur, ſed quod ſint creata, vel quomodo producta, non videtur; vbi ſubiectum eſt cælum, terra, ſol, &c. prædicatum eſt creatio, ſeu paſſiua productio eorum: præterea quod anima ſit in homine, quilibet philoſophus demonſtrare poteſt, quod autem ſit creata, non videtur, ſed creditur: quilibet præſens videt infantem Baptizari, quod autem infundantur ei virtutes, quod deleatur originale, non videt, ſed credit. poteſt igitur euidenter cognoſci ſubiectum aliquod, & tamen poteſt propoſitio de eo facta eſſe de fide, ratione prædicati non viſi, ſicut accidit in fide humana, poteſt enim quis rem aliquam, vel perſonam viſibilem percipere dicens, hic liber eſt meus, hic homo eſt meus cognatus, frater &c. tunc habetur humana fides de libro illo, quod ſit illius, qui loquitur, vel de homine illo, quod ſit hoc vel illo modo illi coniunctus, vbi quidem, liber vel homo videtur, licet non videatur proprietas in librum, vel relatio fraternitatis, vel cognationis ad eum hominem; vnde obiectum formale fidei, reſpectu illorum, qui vident res olim cum talibus ſignis prædictas, non eſt euidentia rei viſæ; ſed veritas diuina reuelans rem iſtam, tunc a credentibus viſam, & illis ſenſibiliter propoſitam. hanc igitur Eccleſiam, quam oculis videmus, credimus eſſe veram Eccleſiam, non vi alicuius ſillogiſmi, ſed per immediatam reuelationem, quæ ſufficienter nobis proponitur, per euidentia ſigna credibilitatis, quæ ſigna, & notas externas, ſenſibus noſtris percipimus, & credimus ea eſſe connexa, cum vera Eccleſia, videmus inquam ſigna, credimus eorum cum vera Eccleſia connexionem, quam Eccleſiam olim Chriſtus prædixit. Quod patet denique ex traditione perpetua, & communi patrum conſenſu, licet enim hæc traditio, hic conſenſus, non loquantur de his hominibus in indiuiduo, qui nunc ſunt, loquuntur tamen formaliter, vt notant theologi, de hac numero Eccleſia, & congregatione, habente eas proprietates, quas ipſorum tempore Eccleſia habebat. deinde vt ijdẽ Doctores aduertunt, ipſa Eccleſia ſeipſam proponit, vt veram, per externa ſua ſigna, & quia ſufficienter & ſenſibiliter ſic proponitur, ideo obligat ad credendam talem veritatem, non minus quam cæteras veritates ad fidem pertinentes, quemadmodum verus propheta, qui ſufficienter proponit res ſibi à Deo reuelatas, adeoque credendas, proponit ſufficienter ſeipſum, eſſe verum prophetam, ſicut Moyſes, & idem fecerunt Apoſtoli.

DI-

DISTINCTIO SECVNDA.

In cœtu fidelium, datur Authoritas, quæ inſtar regulæ, doctrinam ſalutis proponat, quamque fideles & credituri, in credendo ſequantur.

HIc eſt cardo ille omnium difficultatum (fatentibus, etiam pleriſque reformatis), quæ orbem Chriſtianum, tot ſeculis concuſſerant, hodieque concutiunt, hoc centrum, in quo terminandæ illæ omnes controuerſiarum lineæ, quæ per nunquam finituras ambages, in rebus Chriſtianæ Religionis excurrunt, hic eſt nodus ille Gordius, in quo ſcindendi illi contentionum funiculi, qui tanto animoſitatis Impetu, Chriſtianos in tot ſectas, parteſque abripiunt. huc mihi reducendæ lites illæ implacabiles, quæ tot mortales, in tam lamentabilem animarum ſuarum ruinam præcipitant, vt ſi euincatur exiſtentia huiuſmodi docendi authoritatis, ſeu regulæ, hic tandem componantur diſſidia altercantium Chriſtianorum: vel ſi vertiginis recalcitrante ſpiritu, negent omnem eiuſmodi iuriſdictionem prætenti reformati, ceſſent aliquando tandem, poteſtatem illam, quam in cauſa fidei, negant Eccleſiæ, exercere in miſeras ſuorum ſequacium animas, ceſſent orbem Chriſtianum tot ſanguineis rixis, tot furibundis inſultibus turbare, ceſſent denique fideles catholicos, pro ea cauſa, cuius dicti reformati, nullum in terris iudicem agnoſcunt, libertatis reſtrictione, bonorum iactura, exilio, carceribus, alijſque pœnis mulctare: exſtare tamen; adeoque admittendam eſſe in Eccleſia Dei, præfatam credendi regulam, non ſolum ex Catholicorum ſententia, & Chriſtianæ Religionis principijs, ſed etiam ex prætentæ reformationis dogmatibus, ſecumque pugnantibus, facile euincam; vnde ſit.

SECTIO PRIMA.

De natura & exiſtentia regulæ credendi, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritate.

Quia Chriſtianorum de Religione lites, ad forum contentioſum attinent, diſputationis, & altercationis naturam induunt; diſputatio vero commune, in quo partes conueniant, principium exigit, vt inde ad concluſionem procedatur; hinc vti præpoſtera altercandi ratio, a concluſione procedit ad præmiſſas, & principia, ita rectus diputandi ordo petit, vt a principijs procedatur ad concluſiones, alioqnin impoſſibile foret, ordinatum diſcurrendi vel inquirendi modum, in propoſita materia tenere: ſtatuo proinde generalem iſtam quæſtionem, an detur in Eccleſia, ſuprema authoritas, quam inconſulta ſcriptura, fideles & credituri tuto audire poſſint? quæ authoritas admiſſa ſemel, erit generale principium, in quo altercantes de ſcripturæ ſenſu Chriſtiani, conueniant, vt recte proinde ſequatur: hic ſenſus in hoc & illo ſcripturæ loco declaratur ab Eccleſia eſſe verus, ergo ille tenendus eſt. ſit igitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid eſt authoritas Eccleſiæ proponentis, ſeu regula credendi adæquata reſpectu omnium, & in quibus principijs conueniant, diſcrepentque Romano-Catholici, & reformati.

§. I. QVia vt alibi notaui, doctrina fidei non immediatè à Deo, ad ſingulos fideles, & credituros deſcendit; ideo inter Deum & nos, neceſſaria videtur aliqua via, per quam doctrina illa generi humano innoteſcat, quæ via ex parte obiecti credendi ſe tenet, & vocatur Regula fidei, per quam authenticè præfata doctrina proponitur; ſic poſtulante ſuaui diuinæ prouidentiæ ordine, vt notat D. Auguſtinus, lib. contra epiſt. fund. cap. 4. & 14. vt ſicut Deus immediatè creauit vnum hominem, & ab illo, ac per illum producti ſunt cæteri, ſucceſſione continua, ita

ita in fide per ſe inſtruxit Deus, quoſdam homines, a quibus alij docerentur, & quorum dictio & inſtructio eſſet cæteris regula, & norma credendi; vnde fulcrum, & baſis huius regulæ, eſt authoritas, qua nititur, & aſſiſtentia diuina, qua fulcitur, de qua intra: communiter autem deſcribitur authoritas, *Quod ſit eminentia quædam, vitæ probitate, ſcientia, meritis, honore, alijſque rebus laudabilibus, comparata*; hinc quænam ſint illæ res laudabiles quibus authoritatem ſibi comparauit Chriſtus, explicat S. Auguſtinus, lib. de vtilitate credendi cap. 14. *Chriſtus*, inquit, *miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roborauit religionem*. Quibus ſimiliter rebus Eccleſia ſibi acquiſiuit authoritatem, declarat ibidem Auguſtinus cap. 17. & ſunt, *continentia vſque ad tenuiſſimum victum, panis & aquæ, caſtitas vſquead coniugij, proliſque contemptum, patientia vſque ad cruces, flammaſque neglectas, liberalitas vſque ad patrimonia diſtributa pauperibus, totius huius mundi aſpernatio vſque ad deſiderium mortis, atque in his vniuerſis, digna rebus tantis, atque virtutibus, pro temporum opportunitate miracula; cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus; dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani, fruſtra hæreticis circum latrantibus culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*. vbi videmus, Auguſtinum optime declaraſſe, quomodo acquiſita ſit, & acquiratur authoritas, ſeu eminentia illa Eccleſiæ, vt eius dictis, factiſque plurimum deferamus. Proinde, cap. 16. ibidem inquit, *non eſt deſperandum ab ipſo Deo, authoritatem aliquam conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum*.

§. II. Quia igitur ordo diſcurſus inquirere intendit, an & quæ authoritas ſit regula, & norma credendi fidelibus, & credituris, ſuppono ex mea ſecuri euangel. cap. 2. diſt. 4. *regulam eſſe inſtrumentum, ſecundum quod, qui regulatim ducunt lineas, eas neceſſario ducunt rectas*; hinc deducta ab huiuſmodi inſtrumento, metaphora, illud, ſecundum quod, qui dirigunt ſuum intellectum in credendo, non errant, vocatur regula credendi, ſicut illud ipſum, ſecundum quod, voluntas dirigit ſuas actiones, vocatur regula morum, vti etiam ea norma, quam ars quælibet ſiue liberalis, ſiue mechanica, in ſuis formandis, vel eliciendis operationibus præſcribit, & ſequitur, dicitur regula artis: in propoſito autem, regula fidei poteſt eſſe vel inanimata, vel animata,

prior eſt illa, quæ ſenſum explicare non poteſt; poſterior vero eſt illa, quæ loqui poteſt, prima eſt duplex, nempe ſcripta, & non ſcripta; ſcriptura ergo, quæ eſt prima regula, non loquitur; nec poteſt ſeipſam interpretari, vt ait S. Petrus, Epiſt. 2. cap. 1. *hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia* ſcripturæ, propria interpretatione non fit. Quod ipſum fatetur praxis continua reformatorum, qui tam dictis, quam ſcriptis, ſuas expoſitiones ſcripturis ſuperaddunt. quales illæ ſint, quam curuæ, quam cæleſtium myſteriorum inanes, ex ipſis reformatorum principijs, prima parte oſtendi: regula non ſcripta, vocatur traditio, quæ fundatur in antiquo teſtimonio, conſuetudine, & vocali tranſmiſſione eorum, qui nos præceſſerunt, quam etiam reformati, quamuis ore negent, factis tamen admittunt, in explicatione myſterij Trinitatis, Incarnationis, & ipſo ſymbolo Apoſtolico, quod eſt certiſſimum traditionis teſtimonium, imo perfecta articulorum fidei traditio.

§. III. Viua autem regula dicitur perſona, quæ viuit & loqui poſſit; ſeu cuius authoritas ſenſibiliter loquens, ſit regula proponens, exponenſque res credendas, & hæc viua regula, ſeu perſona dupliciter conſiderari poteſt, vna myſtica, & altera vera; prior perſona eſt Eccleſia, altera ſeu, vera perſona; eſt caput Eccleſiæ: Eccleſia autem, dupliciter iterum conſiderari poteſt, vel in ſe, & formaliter, quatenus eſt congregatio omnium fidelium, ſub vno paſtore, iuxta illud Ioan. 10. *Fiet vnum ouile, & vnus paſtor*, & ſic proprie vocatur Eccleſia; vel poteſt conſiderari, vt eſt in principibus ſuis congregatis in vnum, quæ congregatio vocatur concilium œcumenicum, vniuerſalem Eccleſiam, repræſentans: & de huius viuæ regulæ loquentis, docentis, ac dirigentis authoritate, hic intendo agere; & probare eſſe eam normam, quam in credendo ſequamur, licet illa innitatur alijs illis regulis, nempe ſcriptura & traditione: duplex enim conſiderari poteſt conſcientiæ noſtræ, & iudicij principium, nempe effectiuum, & directiuum, effectiuum eſt Spiritus Sanctus, gratiæ ſuæ radijs illucens intellectui noſtro: directiuum autem eſt authoritas, tanquam regula nobis proponens, & explicans veritates credendas, per ipſum Spiritum Sanctum, inſtituta, & per eius aſſiſtentiam firmata; vnde niſi adſit hæc Regula directiua, docens, inſtruens, declarans, & proponens; nulla erit nobis certitudo, vel ſecuritas, quod Spiritus veritatis, gratiæ ſuæ radijs illuceſcat menti, in credendo; non vero Spiritus mendacij, vt contingit in hæreticis,

ticis, & Iudæis ſcripturam euoluentibus: hæc vero regula plures habere debet conditiones, prima quod ſit notior regulato, ſeu articulo credendo, quem ipſa regulat: ſecunda vt polleat authoritate diuinitus conceſſa: tertia, vt ſit generalis, reſpectu omnium, ſiue vt fidelibus, & credituris, doctis & indoctis, rudibus, ignaris, Sapientibus, & inſipientibus ſit communis: quarta vt omnibus poſſit ſatisfacere, & omnium intellectus quietare; quinta vt reuelationes diuinas infallibiliter explicet: ſexta vt hanc authoritatem infallibilem permanenter habeat, ex aliqua certa promiſſione diuina. de tribus prioribus conditionibus, agam in præſenti, de tribus alijs in ſequenti diſtinctione.

§. IV. De eiuſmodi autem regula, mentionem faciunt ſcripturæ canonicæ, ac Eccleſiæ patres; vnde Apoſtolus ad Philipp. 3. *verumtamen, ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.* vbi diuus Anſelmus, *permaneamus in eadem regula, & rectitudine viuendi, ſcilicet vt nemo propter nouam inuentionem, vel intelligentiam ſuam, deſerat communem ſenſum fidei, ſeu Regulam iuſte viuendi conſtitutam à patribus*; ſecundæ ad Corinth. 10. *ſpem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram*. de eadem regula meminit Iuſtinus de vita Chriſti: *quidquid eſt fidei, recte ad agendum regula*. Irenæus lib. 1. cap. 1. *ſic autem, qui regulam veritatis immobilem apud ſe habet, quam per baptiſmum accepit, hæc quidem quæ ſunt ex ſcripturis nomina & dictiones, & parabolas cognoſcet*. quæ autem ſit illa regula declarat, *ex hoc enim diligenter cognoſcere eſt, & ex oſtenſione eam formam, quæ ab Eccleſia prædicatur. hanc ergo tenentes regulam, licet varia, & multa dicant* (ſcilicet hęretici) *facile eos deuiaſſe à veritate arguimus*. Clemens lib. 4. Stromatum, *omnia ergo, quæ facitis in gloriam Dei facite, quæ ſcilicet, à Regula fidei permiſſum eſt facere*. Tertull. de præſcriptionibus: *fides in regula poſita eſt*. diuus Auguſtinus, Serm. de verbis domini; *hæreſes tam innumerabiles à regula Chriſtianitatis auerſæ, teſtes ſunt non admitti ad communicanda Sacramenta eos, qui de patre Deo, aliter ſentiunt*; ex quibus patet hunc ſemper fuiſſe communem Eccleſiæ ſenſum; admittendam eſſe aliquam fidei regulam, quam fideles, & credituri in credendo ſequi poſſent.

§. V. Quare duplex præſupponitur authoritas ad actum fidei noſtræ, prima eſt authoritas Dei reuelantis, altera eſt authoritas Eccleſiæ proponentis, atteſtantis, & ipſam reuelationem nobis applicantis; hinc innitendo primæ authoritati, credimus hanc doctrinam à Deo reuelatam, eſſe certam, & infallibilem, nempe,

pe, *Deum eſſe trinum & vnum, verbum eſſe incarnatum*, Innitendo ſecundæ authoritati, iudicamus hanc eandem doctrinam, nobis ab Eccleſia propoſitam, atteſtatam, & applicatam, eſſe certo ac infallibiliter à Deo reuelatam. conuenimus igitur, cum prætentis reformatis, primo, quod Chriſtiani non debeant credere vlli homini, vel hominum cætui, quod ſymbolum fidei ſit verum, ſed credere tantum debent doctrinam fidei eſſe à Deo reuelatam; non enim eſt quæſtio inter catholicos, & prætentos reformatos, an Deo ſit credendum, ſed quæ ſit doctrina à Deo reuelata, ſiue quoad ſenſum, vt eam credamus eſſe veram? nullum enim dubiũ eſt, doctrinam à Deo dictatam, eſſe veram; hoc enim Iudæi, hoc Mahometani, hoc Chriſtiani omnes admittunt, ſed quæſtio eſſe poteſt, an hæc vel illa doctrina, quæ credenda proponitur, ſit à Deo reuelata, an ab homine conficta? conuenimus ſecundo, non eſſe magis credendum vlli homini, vel hominum cætui, quam verbo Dei ſcripto; nullus enim exſtat homo, qui non ſubijciatur authoritati Sacri codicis, ſed ſupponimus ſcripturæ textum, diſtingui ab eius expoſitionibus, quæ tam poſſunt eſſe falſæ, vt patet in explicationibus Iudæorum & hæreticorum, quam impoſſibile eſt quod ſacer ipſe textus inuoluat errores, ſed quærimus, quænam plurimarum expoſitionum, ſit certo & infallibiliter vera? an illa, quam Eccleſiæ, in concilio œcumenico congregatæ, authoritas proponit, ac definit ſub anathemate? an illæ, quas ſinguli, & ſingulæ, poſt priuatum Scrutinium, ex eodem textu de cerebro ſuo depromunt? admittimus deniq; ad credendũ fide diuina, Deũ quidem concurrere ſpeciali auxilio interno illuminante, & inſpirante hominem, ad credendum, vt habetur ſecundæ ad Corinth. 3. ad Philipp. 2. Ioan. 1. non tamen Deus dicitur, per hoc immediate proponere ſingulis myſteria credenda, pro poſitio enim credendorum eſt actio ſenſibilis: Math. & Marci vltimo, *Prædicate euangelium*: ad Rom. 10. *quomodo audient ſine prædicante? ergo fides ex auditu*. illuminatio autem illa non eſt ſenſibilis.

§. VI. Non inhærendum nudo bibliorum cortici, ſed ſenſui & expoſitioni ſacrarum litterarum, quoties agitur de articulis fidei, vel probandis, vel fundandis aſſerunt ſimul, negantque reformati; in quo partim conueniunt, partim diſſident à Romano catholicis. aſſerunt quidem, ſed ſtulta garrulitate, hærendum, inſiſtendũmque nudæ litteræ, nudoque cortici Bibliorum, quoties prouocant eoſdem catholicos, vt oſtendant in ſcriptura, de verbo

ad

ad verbũ, *miſſam, tranſubſtantiationem, purgatorium* &c. (licet ſenſum horum verborum, in ſcriptura oſtendamus) volunt tamen reformati hæc & ſimilia non credenda, quia non leguntur expreſſe in biblijs, iuxta illud axioma reformatum, *nihil credimus, quia nihil legimus*, quod axioma male torquet ſuos authores, vt prima parte oſtendi: rurſus ijdem reformati dura cogente neceſſitate mordicus negant inſiſtendum eſſe voci, aut cortici ſacrarum litterarum, dum ſua dogmata reformata proferunt, quorum ne vnus quidem articulus in toto ſcripturæ volumine legitur, vel inuenitur, vt euidentiſſima experientia diſcurrentis, per eorum confeſſiones, ſynodos, catechiſmos, liturgias patet, & ego id ipſum oſtendi parte præcedenti. coguntur ergo per praxim, & ſpeciales ſuos articulos, vel inuiti, cum catholicis in hoc conſentire, prætenti reformati, quod quoties de religionis negotio agitur, non ſit præciſe inhærendum nudæ litteræ ſacri codicis, ſed potius ſenſui, & expoſitioni, atque ita diſcurſus noſter pondere ſuo incidit iterum in illam quæſtionem, ſuperius tactam: quænam plurimarum expoſitionum, ſit certo vera? quæ per hoc non ſoluitur dicendo, eam eſſe veram expoſitionem, quæ concordat cum ſacris litteris, hoc enim fatemur; ſed quæritur, quorumnam doctrina, vel expoſitio cum his litteris concordat, illa ne, quam quilibet & quælibet priuato ſuo ſcrutinio determinat, an illa, quam Eccleſia in concilio generali acceptari iubet, ſub anathemate? & hæc rurſus quæſtio incidit in iſtam alteram, à qua pendet ſalus humani generis, deturne, & apud quos aliqua infallibilis authoritas, ſeu regula exponens ſacrum textum, expoſitumque iuridice proponens humano generi, cum obligatione aſſentiendi & credendi? ad quam ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Dari publicam authoritatem, quæ tanquam regula animata, doctrinam ſalutis humano generi authentice proponat cum Romano-Catholicis, fatentur prætentæ reformationis principia.

§. I. QVia, vt ſæpius in hoc opere notaui, ſine fide non poſſumus placere Deo, ad fidem ipſam neceſſario requiritur

ritur propoſitio credenda, & atteſtatio alicuius authoritate pollentis, qui tam propoſitionem applicet, & proponat credituro. atteſtantis vero authoritas nulla eſt, niſi ſit rebus laudabilibus comparata, adeoque niſi ratio aliqua conuincat, atteſtantem mereri, vt illi præſtetur fides; ſic ratio ex miraculis, ſanctitate, & cæteris virtutibus deducta, probauit eam fuiſſe Apoſtolorum authoritatem, cui proponenti doctrinam reuelatam, merito fideles, & credituri ſuas voluntates, & intellectus aſſentiendo ſubmitterent, eamque velut regulam in credendo ſequerentur: ſic ſuccedens deinceps Apoſtolis multitudo fidelium, ſeu vera Chriſti Eccleſia, per rationem, ex prodigijs, & virtutibus, tot Martyrum, Virginum, Confeſſorum deductam, conciliauit ſibi eam authoritatem, quam mortales vt certam fidei regulam ſequerentur. quod ſi, vt alibi in hoc opere notaui, aliquis contenderet, dari authoritatem, nullo argumento comprobatam, cui tamen quis poſſet credere, ille non minus diabolo credere teneretur, quam Deo, quandoquidem nulla ſit ratio, cur vnius authoritas præferatur authoritati alterius, vbi neutrius authoritas ſupponeretur probata, ac proinde vtrique credendum foret, quantumuis contradictoria aſſererent, quod manifeſtam ſaperet inſaniam: debet igitur atteſtans, & proponens doctrinam fidei, pollere authoritate, rebus laudabilibus comparata, cui credituri, tuto & ſine formidine acquieſcere poſſint: quod deeſt prætentis reformatis, cum ijs omnibus argumentis nempe miraculis, virtutibus, vnitate, ſanctitate, diffuſione vniformi, Apoſtolica ſucceſſione careant, quæ authoritatem eis conciliarent, probarentque illis proponentibus tuto credi poſſe, ſed potius e contra, vt ex eorum liquet principijs, illis nec tuto nec ſine damnationis æternæ certiſſimo periculo credi poteſt.

§. II. Publicam hanc authoritatem regulæ proponentis probat Apoſt. ad Rom. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt niſi mittantur?* & poſt infert, iſtam conſequentiam, *ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*: qua gradatione oſtendit neceſſitatem publicæ huius authoritatis, quæ inſtar regulæ, doctrinam reuelatam, per prædicationem ſenſibilem, ſenſibiliter auditui fidelium, & credentium proponat. Nam ſecundum legem Dei ordinariam, non poteſt quis credere, ſine eo medio, quod Chriſtus ad fidem ſuſcipiendam inſtituit, ſed hoc medium eſt publica authoritas, inſtar regulæ proponentis myſteria reuelata: atque

adeo,

adeo, ſine tali authoritate ſeu regula, nemo, ſecundum legem Dei ordinariam, credere poteſt. Patet vlterius ex Matth. 28. *euntes docete omnes gentes*; & Marci 16. *prædicate euangelium omni creaturæ*. neceſſaria igitur eſt iſta publica authoritas, ſenſibiliter proponens, adhoc vt poſſit ſuſcipi fides. Item primæ ad Tim. 3. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*; datur ergo in orbe, modus aliquis, quo illa veritas humano generi proponatur, & innoteſcat. Ille autem modus, erit prædicta authoritas, & regula dirigens, docenſque: ex quo rurſum ſic diſcurro: ſuppetit religioni Chriſtianæ modus, ſuppetunt media, quibus Mahometanos, gentiles, alioſque infideles conuertat, alias male eſſet prouiſum eidem religioni; & iterum negato tali modo, error infidelium eſſet inculpatus, nec Chriſtus eſſet mediator Dei & hominum, aut Redemptor Generis humani, nec gentes omnes, ad agnitionem veritatis inuitaret; ſi media proportionata ad eam veniendi negaret: cum autem infideles iſti ſcripturas ignorent, eaſque non admittant, ſcripturis nudis in eos pugnare, eſſet ſtolidum, & ſtultum; proponeretur quidem eis doctrina credenda, ſed eos ad credendum obligari, aliunde oſtendendum eſſet, & probandum, quod ipſa ſcriptura ſit à Deo reuelata, igitur ſuppetit alius modus, quo Eccleſia Chriſti poſſit commode, & legitime conuertere ad ſe infideles, imo & Chriſtianos à veritate deuios, ad eandem reducere, atq; adeo neceſſaria eſt publica illa authoritas, ſeu credendi regula, quæ veritatem Chriſtianam, mortalibus exponat, proponatque, quæque pueros, mulieres, opifices, ruſticos, ignaros, rudes, in doctrina ſalutis inſtruat, & veritatem à falſitate ſecernat.

§. III. Et quamuis prætenti reformati careant omni vera Eccleſia, vt ex prima parte conſtat, in errorum tamen ſuorum tenebris, hanc etiam veritatem fatentur, dari ſcilicet, & admitti debere, in Eccleſia Chriſti, publicam illam docendi & proponendi authoritatem; id habet confeſſio Anglica art. 20. *Eccleſia habet poteſtatem decernendi ritus, & cæremonias, ac authoritatem in controuerſijs fidei*. poteſt igitur res fidei decidere, authentice proponere, docere, prædicare, confeſſio Scotica prior, art. 20. vbi ait *cauſam conſiliorum generalium congregandorum, eſſe ad hæreſes confutandas, & ad publicam fidei confeſſionem dandam, poſteris ſequendam*. Ineſt igitur concilijs authoritas, quæ confutet hæreſes, & doctrinam fidei, inſtar regulæ proponat, & art. 18. inter Eccleſiæ notas, recenſet diſciplinam Eccleſiaſticam, recte admi-

niſtratam, *ad reprimendum*, inquit, *vitium*, *& virtutem fouendam*: eſt ergo in Eccleſia authoritas, quæ non ſolum ſit fidei, ſed etiam morum regula, qua corrigantur vitia, & promoueantur virtutes. Nota, licet in prima parte oſtenderim, legitimam verbi prædicationem, non eſſe eam veram notam, qua dignoſcatur, per doctos & indoctos, rudes, ignaros, ruſticos, infideles, Eccleſia, reformati tamen, qui eam pro nota aſſignant, hoc ipſo debent admittere cum catholicis, prædicationem illam, ſeu propoſitionem Eccleſiæ, eſſe regulam, quam fideles in credendo ſequantur, cum illa prædicatio præſupponat, imo & includat authoritatem Eccleſiæ proponentis, & applicantis per eiuſmodi prædicationem, myſteria reuelata fidelibus & credituris; hanc ergo prædicationem, quam reformati licet male, volunt eſſe notam Eccleſiæ, certe in Eccleſia neceſſariam eſſe, atque adeo dari ſemper publicam authoritatem, inſtar regulæ ſenſibiliter docentis, & dirigentis conſtat ex reformationum principijs; ſtatuentibus dictam prædicationem pro nota, vt ſtatuit confeſſio Anglica art. 19. confeſſio Scotica art. 18. Heluetica prior cap. 1. & 17. poſterior cap. 14. & 13. confeſſio Belgica art. 29. Argentinenſis cap. 13. inquiens, *Eccleſia ſponſa Chriſti prædicatur, hanc qui audire non ſuſtinuerit, vt Ethnicus habendus eſt, atque publicanus.* eandem prædicationem pro nota, ſtatuit confeſſio Bohemica art. 8. VVittenbergica tit. de Eccleſia. Auguſtana, art. 7. Gallica art. 27. Saxonica cap. de Eccleſia. eandem publicam authoritatem, regulæ proponentis articulos credendos, fatentur ſynodi reformatæ, nempè Midelburgica à n. 1. ad 23. vbi tractat de Eccleſiaſtico miniſterio, vocatione, officio miniſtrorum; de eodem miniſterio agunt acta ſynodi nationalis Belgicæ, Gallicæ, Germanicæ, celebrata anno 1578. ſynodus Pariſienſis anno 1559. Lugdunenſis anno 1563. Pariſienſis ſecunda anno 1565. Diſciplina Eccleſiarum reformatarum Franciæ; politia Palatinatus.

§. IV. Hæc omnia luce meridiana clarius oſtendunt, ipſos reformatos, qui omni vera Eccleſia carent, fateri nihilominus, neceſſariam in Eccleſia Chriſti fuiſſe, publicam authoritatem, quæ inſtar regulæ, doctrinam credendam proponeret, verum à falſo ſecerneret, rudes ignaroſque inſtrueret, doctis & indoctis facem præferret, ad intelligendam doctrinam reuelatam; nam ſi Apoſtolo interrogante, quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Atque adeo prædicatio requirat miſſionem, miſſio innuat au-

thoritatem, ſeu poteſtatem prædicandi, & proponendi myſteria fidei; ſane ſi prædicatio ſit neceſſaria in Eccleſia, imo adeo neceſſaria, vt reformati velint, eam eſſe præcipuam Eccleſiæ notam, ſeu proprietatem conſtitutiuam, & diſtinctiuam ipſius, licet, vt alias dixi, malè eam aſſignent pro nota; hoc ipſo tamen neceſſitatem publicæ authoritatis, in Eccleſia, admittere conſtringuntur: atque adeo ſemper fuiſſe, & eſſe neceſſariam regulam fidei, quæ publicè, ſenſibiliter, & authenticè proponeret, applicaret, & prædicaret euangelium omni creaturæ, Marci. 16. & doceret omnes gentes, docens eas ſeruare omnia, quæ mandauit Chriſtus, vt ipſemet præcepit Math. 28. vnde denique eandem publicæ authoritatis neceſſitatem ex ſuis principijs fateantur neceſſe eſſe reformati.

ARTICVLVS TERTIVS.

Neceſſitas regulæ fidei, authenticè proponentis, & exponentis articulos credendos, probatur tum ex obſcuritate myſteriorum, tum ex incapacitate rationis naturalis ad aſſequendam per ſe doctrinam ſalutis.

§. I. PArte 1. diſt. 4. oſtendi nec ſcripturam ſacram, nude ſumptam, nec particulare ipſius ſcripturæ ſcrutinium à quolibet, & qualibet inſtitutum, poſſe eſſe regulam inueniendi, vel aſſequendi doctrinam ſalutis: hic ſubiungo alia, ad probandam neceſſitatem præfatæ regulæ, ab ipſa ſcriptura, & articulis credendis diſtinctæ; myſteria enim Chriſtianæ Religionis, non ſunt euidentia ex terminis, neque ſenſibus humanis patenter obuia; quæ enim credenda proponuntur, & continentur in ipſo ſymbolo Apoſtolico, partim ſunt præterita, partim præſentia, partim futura, partim neceſſaria, partim contingentia; præterita ſunt ea omnia, quæ narrantur de creatione Cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium: de quibus rectè Deus ad Iob. cap. 38. *Interrogabo te, & reſponde mihi, vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam? quis po-*

ſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius? cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, nunquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti? Indica mihi, ſi noſti omnia, ſciebas tunc quod naſciturus eſſes? & numerum dierum tuorum noueras? ſi iſta fuerunt abſcondita ab oculis Iob, quanto magis ab oculis rudis, & imperitæ multitudinis fidelium & credentium? præterita ſimiliter ſunt, quæ de Conceptu, natiuitate, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione Chriſti, de prima Eccleſiæ fundatione, de Sacramentorum inſtitutione, Apoſtolorum miſſione, progreſſu, prædicatione, alijſque rebus, in veteri, & nouo teſtamento, referuntur: præſentia ſunt myſteria gratiæ, virtutum theologicarum, ea quæ lex diuina, vel obſeruanda, vel vitanda iubet, Sacramentorum ſuſceptio, adminiſtratio, efficacia meritorum Chriſti, applicatio, &c. futura ſunt reſurrectio, iudicium, tam particulare, quam vniuerſale, immortalitas animæ, vltimus finis, pæna æterna. Neceſſaria ſunt myſterium Trinitatis, attributa Dei; contingentia, quidquid extra, circa creaturas operatur Deus. Hæc inquam, & alia Chriſtianæ Religionis arcana, & in ſcripturis tradita, vtique non elucent, neque fundantur in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in ſtultitia, vt ait Apoſtolus, prædicationis, id eſt, in ſimplici rerum aſſertione, ſine probatione.

§. II. Vti vero iſta myſteria non ſunt euidenter nota, ita nec ratio naturalis nude ſumpta, & ſibi ipſi relicta poterit illa demonſtrare: impoſſibile enim eſt, haberi iudicium euidens alicuius obiecti, niſi habeantur ſpecies naturales talis obiecti, vel illud ſit principium per ſe notum: ſed ſecluſa authoritate docente, exponente, & dirigente, non habet intellectus noſter vllas ſpecies naturales veritatum reuelatarum, neque datur aliquod principiū per ſe notum, in rebus naturalibus, ex quibus poſſent euidenter cognoſci, vel inferri; ergo ſecluſa eiuſmodi authoritate docente, & exponente veritates reuelatas, non poteſt haberi iudicium, aut cognitio de ipſis; nam ex communi axiomate, nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit aliquo modo in ſenſu, cum intellectus noſter pro hoc ſtatu dependeat à phantaſmatibus; atque adeo non poſſit vnquam habere ſpeciem expreſſam vllius obiecti, niſi prius habeat ſpeciem impreſſam illius, quæ ipſum obiectum ei proponat, applicet & repræſentet. Patet nunc vlterius, ex enumera-

meratione ipſorum obiectorum credibilium: ſi enim quæſtio eſt, de præteritis myſterijs, natiuitatis, mortis, reſurrectionis Chriſti &c. certe vti nos, qui hodie poſt ſexdecim ſęcula viuimus, illa oculis noſtris non vidimus, nec alijs noſtris ſenſibus præſentialiter percepimus, ita ſpecies illorum naturales, ex nobis non habemus, quibus eorum memoriam acquireremus; Chriſtum enim, neque loquentem audiuimus, neque patientem, morientem, reſurgentem, nec prodigia patrantem, nec in Cælum aſcendentem vidimus: & conſequenter ſpecies naturales illorum obiectorum, per nos ipſos, non acquiſiuimus: adeoque ſecluſa præfata authoritate, & regula nos inſtruęnte, & dirigente, nunquam poterimus ad prædictorum obiectorum notitiam, per nos ipſos peruenire. Quomodo enim ruſtici, pueri, mulieres, infideles, rudes, & ignari poterunt res ab eorum ſenſibus remotas, abſentes, nunquam oculis perceptas, nec auribus auditas, cognoſcere? nunquam ſane niſi adſit dicta authoritas.

§. III. Si item quæſtio eſt, de myſterijs futuris, clarum eſt, ea etiam non eſſe nobis euidenter nota, cum iſta ſint mere contingentia, neque habemus vllas ſpecies, quæ illa futura clare & euidenter nobis oſtendant: quomodo enim poſſumus naturaliter cognoſcere, reſurrectionem mortuorum, gloriam vel pænam æternam, ſi iſta noſtris ſenſibus, naturaliter non percipimus? quis enim mortalis hodie in terris conſtitutus, videt gloriam paradiſi, pænas inferni, ſeparationem vel ſtatum animæ, à corpore ſeparatæ, futurum iudicium? quæ auris, quis ſenſus, iſta vel palpat, vel tangit, vel percipit? ſtultum ſane eſt dicere, eiuſmodi myſteria, eſſe ex ſe clara, euidentia, vel ſenſibus obuia: quare huc facit ſententia diui Bernardi, ſerm. 74. in cantica, loquens de opere Spiritus Sancti, in illa verba Ioan. 3. neſcis vnde veniat, aut quo vadat; *ſane per oculos non intrauit, quia non eſt coloratum, ſed neque per aures, quia non ſonuit, ſed neque per nares, quia non aeri miſcetur, ſed menti, neque vero per fauces, quia non eſt manſum, ſed hauſtum, nec tactu comperi illud, quia palpabile non eſt*: hoc ipſum, de omnibus myſterijs reuelatis, cum eodem Sancto Bernardo, dici poteſt, Tandem ſi quæſtio eſt, de myſterijs de facto exiſtentibus, & neceſſario credendis, v. g. Trinitate, Incarnatione, remiſſione peccatorum, Sacramentis, alijſque huiuſmodi, certe nobis nullo modo ſunt ex ſe euidenter nota, aut ſenſibus conſpicua, vt manifeſtum eſt, ſi enim eſſent ſic nota, ea perciperent mortales omnes, pagani, Turcæ, Iudæi, hæretici: quare niſi adſit aliqua

viua

viua, & animata Regula, authoritate dotata, quæ præfata myſteria nobis exponat, proponat, & applicet, ratio naturalis ſibi ipſi relicta, & nude ſumpta, nunquam poterit per ſeipſam eorumdem arcanorum, notitiam acquirere: cum nullum adſit in rebus naturalibus medium, per quod illam notitiam acquirat: vnde patet abſoluta neceſſitas, præfatæ regulæ.

§. IV. Nec eſt, quod reformati nobis clament, ſcripturam eſſe claram, nam in primis eorum inter ſe rixæ, & contentiones implacabiles de ſcripturæ ſenſu, oſtendunt oppoſitum. Deinde quamuis quis euidenter videat, ipſos ſcripturæ characteres, eoſque ſenſibiliter legat, tamen ibi non apparet euidenter ſenſus, qui in eis latet: nam licet ipſe character, vel vox etiam recitantis aliquem ſcripturæ textum, cadat ſub ſenſum, non tamen idcirco ſignificatio ipſa vocis, vel characteris cadit ſub ſenſum, ob rationem prædictam, quia ſcilicet, ſunt res ſupernaturales, neceſſariæ, contingentes, præteritæ, vel futuræ, quæ ibi ſignificantur, quæque niſi explicentur, ex ſe ipſis naturaliter non apparent. Vnde recte diuus Auguſtinus tract. 102. in Ioannem ait, *non enim ſonum litterarum ac ſyllabarum, ſed quod ſonus ipſe ſignificat, & quod eo ſono recte, ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus eſt dicere*; Chriſtus ſcilicet loquens in ſcriptura. Poſſet enim aliquis litteras vel voces Caldaicas, Æthiopicas, Arabicas v. g. euidenter percipere, nec tamen idcirco ſenſum intelliget, niſi præterea illæ voces, vel litteræ ei explicentur: ſed eodem modo latet ſenſus vocum, & characterum ſcripturæ, vtpote quæ continent in illo ſuo ſenſu inuiſibilia, & cæleſtia, quæ nobis promittuntur, & præterita ac futura, quæ nec vidimus, nec demonſtrare vllo modo poſſumus: quare non poſſunt nobis aliter innoteſcere, quam ſub teſtimonio, voce, & prædicatione alicuius animatæ regulæ, authenticè, & ſenſibiliter illa myſteria nobis explicantis, proponentis, & applicantis. Agitur inſuper in doctrina diuinitus reuelata, de fine vltimo hominis, & medijs ad illum conducentibus; ſed neque hic finis, neque media ſunt nobis naturaliter nota, in vllo principio vel lumine naturali: finis enim proprius cuiuslibet ſubſtantiæ, innoteſcit nobis tantum ex actibus, & operationibus illius ſubſtantiæ nobis notæ; ſed nullos actus, vel ſpecies naturales in nobis experimur, ex quibus cognoſcamus viſionem beatam Dei vnius, & trini, eiuſque fruitionem, eſſe eas rationes, quæ Beatificant animas; atque adeo non poſſumus naturaliter cognoſcere, quod talis viſio, vel fruitio, ſit finis ad quem ordinamur; talis ſiqui-

dem viſio, vel fruitio non relucet in vllo obiecto ſenſibili, vel materiali: nec vllum eiuſmodi naturale obiectum producit vllas proprias ſpecies, quæ repręſentent naturam, & qualitatem iſtius viſionis, vel fruitionis, cum enim viſio & fruitio Dei, ſicut quilibet actus intellectus, & voluntatis, dicant ordinem ad obiectum ſuum, quod in caſu eſt Deus trinus, & vnus clare, & intuitiue viſus, ſicut hoc ipſum obiectum, non poſſumus naturaliter diſtincte cognoſcere, ita nec naturam, qualitatem, vel conditiones eiuſdem viſionis vel fruitionis ſcire naturaliter poſſumus.

§. V. Denique doctrinam veræ religionis, eſſe diuinitus traditam, & credendam, non humanæ rationis aut diſcurſus, cum Chriſtianis agnoſcunt Hebræi, Mahometani, imo & Gentiles, qui pro commentitio ſuo cultu, ad fabuloſa numinum ſuorum recurrebant oracula: in quo oſtendebant ſaltem diuina, eſſe humanis ſuperiora; quare ſic diſcurro: humana ratio nude ſumpta, & ſibi relicta ſine duce, & Regula, in rebus diuinis maxime deficit: ergo non poterit ſe ſola, doctrinam ſalutis acquirere. Antecedens patet, in modo procedendi veterum philoſophorum, qui naturali indagine perſcutantes altiora, in multis errarunt, idque oriebatur ex Dei à noſtra mente diſtantia, eleuatione, infinitate, ex Dei cum creaturis infinita diſſimilitudine: patet in Ariſtotile, Pythagora, Platone, & alijs, qui myſteria fidei poſt tot ſua ſtudia, labores, & vigilias, non ſunt aſſecuti: imo nec ipſas res naturales, earumque cauſas plene, & perfecte penetrarunt. quid dicam de eorum erroribus, in vltimo fine perquirendo? vt ne duos quidem, e toto antiquorum grege, inuenias, qui in eo aſſignando conuenerint: cum alij diuitias, alij voluptates, alij honorem, alij alia aſſignarint, & nondum quiſquam eorum, veritatem attigerat. requirit ergo ratio noſtra ducem, & regulam aliquam, quæ arcana, intellectum humanum excedentia, & in doctrina Religionis Chriſtianæ reuelata, nobis proponat: quare, vt iterum repetam, ſtulta eſt quorumdam reformatorum aſſertio, qui vtique contra propriam experientiam, imo & conſcientiam, dicunt ſcripturam eſſe adeo claram, vt interprete non egeat, ex eo ſcilicet, quod voces illas quis audiat, vel caracteres ſcripturæ videat, vel legat: quaſi vero ex tali lectione, ſenſus illico appareret. Quod egregie rurſus repellit Sanctus Auguſtinus Sermone 44. de verbis domini, *quemadmodum* inquit, *qui videt litteras in Codice optime ſcripto, & nouit legere, laudat quidem antiquarij manum admirans apicum pulchritudinem, ſed quid ſibi velint, quid indicent illi*

apices

apices, neſcit, & eſt oculis laudator, mente non cognitor. Sic in ſcriptura contingit, niſi adſit authoritas, ſeu Regula, quæ myſteria credenda, non quidem per propras ſpecies diſtincte, ſed per alienas, ex ſenſibilibus petitas, nobis exponat, & applicet, illa certe ex nobis ipſis, & viribus proprijs, non percipiemus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex neceſſitate chriſtianæ religionis, & generalitate vocationis omnium ad ſalutem, probatur vlterius neceſſitas regulæ authenticæ, & ſenſibiliter, eandem Religionem proponentis, ne alias incidatur in Academiſmum.

§. I. TVm ex pluribus ſcripturæ locis, tum ex illo Marci vltimo, *prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Ex his, inquam, patet extra cætum verorum fidelium, nullam dari ſalutem, & ad hanc ipſam acquirendam, neceſſariam eſſe profeſſionem Chriſtianæ fidei; quod fatentur confeſſiones aliquæ reformatæ, Anglica art. 18. Heluetica prior cap. 17. Saxonica cap. de Eccleſia, Scotica art. 16. Belgica art. 28. Argentinenſis cap. 15. Gallica art. 28. ex hac igitur neceſſitate fidei Chriſtianæ ad ſalutem, probatur neceſſitas publicæ authoritatis, quæ inſtar regulæ, hanc fidem exponat, & proponat: nam Chriſtus venit, vt illuminet, non hunc vel illum, ſed omnem hominem venientem in hunc mundum: omnes ergo tenentur eius doctrinam profiteri; cum hæc eadem doctrina ſit lex immaculata, conuertens animas: lex autem non obligat, niſi promulgetur ac proponatur: Ergo abſolute requiritur præfata Authoritas, quæ iſtam legem & doctrinam publicet, & proponat eis, qui per eius obſeruantiam ſaluari debent. Cum itaque omnibus generaliter dicatur, *qui vero non crediderit, condemnabitur*, debent neceſſario, hanc Chriſti fidem profiteri, atque adeo ad agnitionem veritatis venire, vt ſalui fiant; ſed impoſſibile eſt, vt Pagani, Turcæ, Hebræi, Hæretici, item Rudes, & Ignari, doctrinam ab eorum intellectibus tam remotam aſſequantur, niſi ſit aliquis modus proportionatus eorum captui, qui illam doctrinam inſinuet. quis enim

enim, ex tot ſimplicibus, & ignaris hominibus, veritatem Chriſtianam inter tot mundi ſectas, per ſeipſum inueniat, vel diſcernat, niſi habeat ducem, qui illum inſtruat, cuique proponenti aſſenſum præbeat?

§. II. Item negata huiuſmodi authoritate, vel regula ſenſibiliter res fidei proponente, nulla patet via conuertendi populos ad Chriſtum, non enim vi, & armis, more Pagano, & Turcico, & prætenſorum reformatorum, mouendi ſunt crediturі, ſed more per Chriſtum præſcripto, mittentem prædicatores ſuos, tanquam oues inter Lupos, vt nempe ſuadela, argumentis rationabilibus, exemplis, manſuetudine, credituros ad fidem inducerent: at ſi deſit regula dirigens, & proponens, qua infideles, indocti, & Rudes veram Religionem, inter tot Religiones, poſſint diſcernere, nunquam ad eandem Religionem conuerti poterunt: præterea nullus eſt homo adultus, cui via ſalutis eſt occluſa, alias enim eſſet, ſine culpa ſua, deſtinatus ad mortem æternam, ſi igitur nulli hæc via occluditur, Chriſtiana religio pollet authoritate, & modo proponente, doctrinam ſalutis, fidelibus & credituris. Item vti nulli eſt ſalus impoſſibilis, ita vnicam ſalutis viam, quæ eſt Chriſtiana religio, nulli cognitu difficilem reddidit miſericors Deus: ergo exſtat in Chriſtianorum Cætu, illa publica authoritas, quæ veluti viua, & animata regula, doctrinam ſalutis omnibus proponat. Rurſus, cum adſit diuina obligatio adſtringens omnes omnino homines, ad veram Religionem, hæc ipſa obligatio ligat etiam eos, qui præfata religione carent, cum autem eius notitiam, per ſeipſos acquirere non poſſint, certe reliquit Chriſtus modum, quo ad illam venire poſſint, alias ad impoſſibile teneretur genus humanum, quod non eſt dicendum.

§. III. Deinde ex communi Chriſtianorum ſententia, omnes adulti tenentur ſymbolum, orationem dominicam, decalogum, Sacramenta ſcire, & intelligere: Ergo debet eſſe medium aliquod generale, quo iſta omnibus innoteſcant. Neque enim vllus adultus admitti poteſt ad gremium Eccleſiæ, niſi prius ſciat reſpondere ad interrogationes de articulis credendis, quod etiam ipſi reformati vltro fatentur, impoſſibile eſt autem quemquam, præſertim rudem & ignarum, ad iſta reſpondere poſſe, niſi ea percipiat, & calleat; neque illa callere poteſt, niſi doceatur, neque doceri poteſt, niſi adſit doctor, præceptor, & prædicator, qui eiuſmodi myſteria illi explicet & proponat, atque adeo, neceſ-

ſitas ipſius Chriſtianæ fidei ad ſalutem, infert abſolutam neceſſitatem regulæ animatæ, proponentis authentice præfata myſteria; rurſus ad horum myſteriorum notitiam, non poteſt perueniri per priuatum ſcripturæ ſcrutinium, vt conſtat ex prima parte, quomodo enim Pagani, Turcæ, & alij infideles, poſſent per ſeipſos verum ſcripturæ ſenſum, quoad articulos credendos, aſſequi? nunquam ſane, nam ſi perſuaderetur præfatis infidelibus, ſtulta illa, & vana quorumdam reformatorum aſſertio, ſcripturam ſcilicet eſſe claram & euidentem; inde conciperent dicti infideles, ſcripturam ſemper intelligendam, in eo ſenſu, quem voces ſonant, vel important, in grammatica, dictionarijs, vel ore hominum eas proferentium, & ſic quoties vel legerent, vel audirent in ſcriptura dici, Deum iraſci, tangi dolore cordis intrinſecus, dormire, excitari à ſomno, ſedere, dici petram, Leonem, agnum, &c. de Deo, iuxta ſtolidam illam reformationis aſſertionem, formarent infideles iſti, eos ipſos conceptus, quos voces præ ſe in ſuperficie ferunt, ſonantque, adeoque conciperent Deum eſſe corpus aliquod obnoxium iſtis paſſionibus, & nunc eſſe petram, nunc Leonem, nunc agnum, vere & litteraliter, & conſequenter pagani iſti, Turcæ, & infideles perſuaſi ex iſto reformationis axiomate, ſcripturam eſſe claram, & per eius particulare ſcrutinium, quemlibet poſſe ad agnitionem veritatis venire, fierent potius Atheiſtæ, quam Chriſtiani, dum Deum ex ſono externo litterarum, conciperent ſub illis notionibus; quæ omnem prorſus deitatem deſtruerent in mente ſic intelligentium; relinquitur itaque, vti notitia fidei, & Chriſtiana religio, eſt abſolute neceſſaria ad ſalutem, & hæc notitia non poteſt haberi, per particulare ſcrutinium, vel examen rerum (quod equidem inducit in proceſſum in infinitum, & inde in Atheiſmum) quod similiter ſit abſolute neceſſaria ad ſalutem, ſæpe dicta authoritas & animata regula, quæ articulos, & abſcondita Religionis Chriſtianæ myſteria, declaret & proponat fidelibus, & credituris, ignaris, rudibus, & indoctis.

§. IV. Patet inſuper neceſſitas prædictæ regulæ, ex generalitate vocationis omnium ad ſalutem, nam ad hanc vocantur pueri, mulieres, ruſtici, artifices, ſtupidi, cæci, muti, pagani, Turcæ, Iudæi, Hæretici; ſed certum eſt, hos omnes indigere Duce, prædicatore, & inſtructore, qui myſteria reuelata eis proponat; nam pueri vſum rationis adepti tenentur, ſe ad Deum conuertere, & ſalutem ſuam operari: ſed illi per ſe ipſos, non poſſunt articulos

fidei,

fidei, aut eorum intelligentiam aſſequi, niſi illis explicentur. idem eſt de mulieribus, ruſticis, Mechanicis, qui varijs artibus, & occupationibus deſtinentur: quotus enim quiſque ex his, nouit legere, vel ſcribere? quotus qui ſciat quid ſit Trinitas, incarnatio, conceptus de Spiritu Santo? quid eſſe filium Dei vnicum? quid, aut quomodo fiat remiſſio peccatorum? quid reliqua eiuſmodi, quæ ſuperant captum eorum ſignificent? quomodo item pagani, & Turcæ fidem Chriſti amplectentur, quam nec in ſuis libris, nec traditionibus legunt vel vident? vnde ſcient, quod Euangelium ſit verbum Dei, quod in ſolo Chriſto ſit ſalus? quod ſit Redemptor humani generis? quot & qui articuli credendi? quot & quæ præcepta naturalia, & poſitiua obſeruanda? an & quæ Sacramenta ſuſcipienda? cum igitur iuxta Orthodoxam verorum fidelium ſententiam, nullus extra Chriſtianam Religionem ſit ſaluandus, & ad hanc omnes generaliter vocentur, atque ex tot ſectis ſibi ipſis mutuo, & ex diametro contradicentibus, Chriſtianumque nomen præ ſe ferentibus, vna ſola ſit vera Chriſti Religio, & Eccleſia, ſane niſi detur publica aliqua authoritas, conſpicuis dotata indicijs, viua inquam regula, dirigens & docens, quæ præfatis arcana fidei proponat, nunquam illi ad agnitionem veritatis peruenient, vnde ſequitur, vel ipſos omnes, ſine notitia veritatis orthodoxæ, ſaluandos eſſe, vel ſi non poſſunt ſine iſta notitia ſaluari, neceſſario admittendum viuam illam Regulam, quæ eandem veritatem eis proponat, vel ſi nulla eiuſmodi exſtet authoritas, & prædicti ſine præfata notitia ſaluari nequeãt, iniuſte damnandos eſſe, quibus Deus negauit media ſalutis, quod eſt impium vel credere vel dicere; ne iſta autem abſurda admittantur, dicendum quod vniuerſalis Religionis Chriſtianæ neceſſitas, & generalis omnium gentium ad ſalutem vocatio, inferant manifeſte præfatam docendi & proponendi authoritatem, ſeu Regulam, reſpectu omnium fidelium, infidelium, puerorum, mulierum, rudium, opificum, nobilium & ignobilium, vniuerſalem & communem.

§. V. Hanc autem Regulam, non eſſe nudam ſcripturam, nec particulare ſcripturæ ſcrutinium, patet ex prima parte huius operis; ſi enim per tale ſcrutinium, & examen rerum, & dogmatum deberet ſemper inueſtigari orthodoxa Religio, incideretur in Academiſmum, ſine ſpe figendi pedem, aut acquirendi veritatem; vt patet; nam ſi in rebus Religionis, omnia credenda, vel tenenda eſſent demonſtranda, nihil tandem eſſet demon-

ſtrandum; nam nihil eſſet demonſtrabile, quandoquidem probationum probatio, ſine fine poſtularetur: quod autem non eſt demonſtrabile, vtique non eſt demonſtrandum, quod ſi nihil eſt demonſtrandum, abſtinendum vtique à demonſtrando. qui igitur volunt omnia examinanda, & probanda, ſeu demonſtranda, priuſquam ſint credenda, cuncta ſimul probandi & non probandi onus ſuſcipiunt: quod eſſet ſe ad impoſſibile obligare, ſed impoſſibilis eſt demonſtratio, ſi omnia ſunt prius demonſtranda quam credenda; ergo qui omnia vult prius examinanda, vel demonſtranda, quam credat, ad impoſſibile ſe obligat; maior patet, nam ſi omnia ſunt demonſtranda, & examinanda, nunquam ſiſtendum eſt in aliquo, ſed vlterius in infinitum neceſſe eſt procedere, & demonſtrationum demonſtrationes ſemper quærere; & quæcumque res proponitur, tanquam vel probata, vel creditu digna, debet rurſus probari per alias res, vel cauſas, & illæ per alias ſucceſſiuè aſcendendo, & ſine fine probando, & nunquam in vllo quieſcendo. Si ergo in ipſis rebus naturalibus, ſtultum eſt probationes probationum, ſine termino quærere, ita multo magis, in rebus fidei Chriſtianæ, ſtultum eſt proceſſum in infinitum; per articulorum particulare examen, inſtituere; ſic enim nihil ſtatui, nihil proponi, nihil diſputari poſſet, quandoquidem nihil poſſet concludi vel finiri; quid igitur remedij? hoc ſcilicet, nempè quærere ipſam credendi regulam & docendi authoritatem, vt ab ipſa hauriatur fides vt notat Apoſtolus ad Romanos 10. vt alias aduerti, vbi inuocationi præſupponit fidem, fidei præponit auditum, auditui prædicantem; prius igitur audiendus prædicans ſeu regula proponens, vt ab ipſa diſcatur & hauriatur religio: quod rectè notat Tertull. de præſcriptionibus cap. 9. *omnibus dictum eſt, quærite & inuenietis, ſed in primis hoc propono vnum aliquod, & certum, inſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omnino debeant nationes, & idcirco quærere, vt poſſint, cum inueniunt, credere*. vult dicere, vnam veram exiſtere religionem, ſeu inſtitutum Chriſtianum, ad quod credendum, tenentur omnes Nationes, & *hoc inſtitutum*, inquit, *oportet credere*, vt eo poſtea inuento, credantur eius myſteria; prius ergo ait quærendum hoc inſtitutum, ſeu illum hominum cætum, in quo reſidet docendi authoritas, & prædicandi poteſtas, ac credendi regula, & ab eodem cætu diſcendum, quid credi debeat. ſubdit: *vnius porro, & certi inſtituti, infinita inquiſitio eſſe non poteſt*; debet igitur via inquirendi huius inſtituti, omnibus prorſus hominibus, fidelibus

& in-

& infidelibus, doctis & indoctis neceſſarij, eſſe expedita, patula, communis, & facilis. *quærendum igitur*, inquit, *donec inueniat* (ſcilicet præfatum inſtitutum) *& credendum, vbi inueneris;* non inueſtigando per ſcrutinium illud particulare, & infinitum, ac intolerabile, ne forte, vt ait D. Auguſtinus epiſt. 49. *cum expectat, ante librorum ſacrorum finire quæſtiones, prius finiat vitam iſtam* quam tranſeat de morte ad vitam.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo regula credendi applicetur ad vſum.

Hæc credendi Regula ſe habet ad credibilia, ſicut menſura ad menſuratum, cum hæc regula ſit menſura credendorum, adeoque debet eſſe nota, & certa, alias applicari non poſſet ad myſteria credenda, debet item eſſe vniformis, ſemper eadem, ac quaſi indiuiſibilis, vti de menſura dicitur, ita vt non ſit varia, ambigua, vel æquiuoca, ne difformiter, & diuerſimode, deceptorie, illuſorie, aut dubie menſuret, regulet vel applicet, myſteria credenda: debet tandem eſſe notior re per ipſam regulabili, adeoque clara, & perſpicua, vt res in ſe obſcuras declaret, & exponat, expoſitaſque crediturıs proponat: vnde hæc credendi regula ſe debet habere ad arcana fidei, ſicut cæteris paribus, ſe habet lux ad obiectum, & ſicut lux non variat, nec mutat, nec auget, nec minuit, viſibilis obiecti naturam, ſed illud oſtendit, & facit videri: ſic regula credendi, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritas, diuinorum myſteriorum, vel ſacri codicis authoritatem nec auget, nec minuit, nec variat, ſed illam oſtendit, & facit ab hominibus credi, & ſicut lux eſt ratio diſcernendi inter colores, inter nigrum & album, rubrum & viride; ita iſta regula eſt ratio diſcernēdi inter ſcripturam canonicam, & apocrypham, inter reuelata, & non reuelata: vnde illa pro reuelatis & credendis ſunt habenda, & credenda, quæ iſta regula, pro reuelatis, & credendis proponit; cum fides ſit ex auditu, auditus autem requirat vocem prædicantis, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritatem, quæ eſt regula credendi. Vnde ſit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo mediante regula credendi, ſeu Eccleſiæ docentis, & proponentis authoritate, concipiatur fides, ſeu ad eam perueniatur.

§. I. DIfficultas in hoc conſiſtit, qualis debet eſſe propoſitio fidei, ſeu obiecti reuelati, vt audiens inducatur ad credendum; vbi notandum, primo infideles olim exprobrare ſolitos fuiſſe Chriſtianis, quod ſine ratione, ſeu, vt ipſi putabant, contra rationem crederent: vnde alij nonnulli hæretici idcirco dicebant, nihil eſſe credendum, niſi quod ratione oſtenderetur: pro quo notandum ſecundo: quatuor modis intelligi poſſe, ſecundum doctrinam Suareſij de Virt. Theol. rationem, & intelligentiam rei creditæ neceſſariam eſſe ad credendum, primo quia oportet prius percipere id quod proponitur ad credendum, & intelligere ſaltem conceptu apprehenſiuo, quid illud ſit; quod aſſeritur, vel proponitur, & in hoc ſenſu certum eſt rationem, & intelligentiam neceſſariam ad hanc apprehenſionem, eſſe etiam neceſſariam ad fidem; quomodo Diuus Auguſtinus in Pſalm. 118. circa illa verba, da mihi intellectum, inquit: *niſi aliquid intelligatur, nemo poteſt credere in Deum*. Hæc autem intelligentia, non poteſt pertinere ad obiectum formale fidei, quia apprehenſio, non eſt ratio aſſentiendi; ſed eſt vna ex conditionibus neceſſarijs. ſecundo poteſt concurrere ratio, vt oſtendens eſſe prudenter credibile id quod proponitur, & ad hoc ſufficienter proponi, & hic etiam concurſus rationis neceſſarius eſt, vt etiam conditio præuia, ad credendum, iuxta illud ſcripturæ, *qui cito credit, leuis eſt corde*. Eccl. 19. quia prudentis eſt conſiderare prius quid credat, veruntamen, neque hoc ſpectat, ad obiectum formale fidei, ſed eſt, vt dixi, conditio præuia. tertio poteſt eſſe neceſſaria ratio, vt oſtendat non eſſe impoſſibilia, nec rectæ rationi contraria ea, quæ credenda proponuntur, ſiue hoc fiat poſitiue probando, per rationes à poſteriori, illas res eſſe poſſibiles, vt fit in Theologia circa myſteria Trinitatis, Incarnationis &c. ſiue tantum negatiue, oſtendendo illas res, non probari impoſſibiles; quod fieri ſolet ſoluendo rationes, potius quam oppoſitum conuincendo, & hoc rationis

nis officium circa res fidei, etiam eſt verum, & neceſſarium ſaltem in hominibus doctis, quia quæ credenda ſunt, non poſſunt eſſe contra rationem, licet ſint ſupra rationem; nec tamen hoc etiam pertinet ad obiectum fidei, ſed ad conditiones præuias ad credendum; imò continetur ſub præcedenti munere, non enim poteſt obiectum oſtendi euidenter credibile, niſi iudicetur non impoſſibile, vel ſaltem, non probari impoſſibile: ac proinde non eſſe euidenter contra rationem. Quarto denique modo, poteſt dici ratio eſſe neceſſaria ad credendum, tanquam proprium fundamentum ipſius aſſenſus fidei, & in hoc ſenſu, locuti ſunt Manichæi, & alij hæretici, in quo ſenſu falſum eſt, rationem concurrere ad aſſenſum fidei.

§. II. Hinc authores orthodoxi, per mediam incedunt viam, ſiquidem & leuitatem animi, cito credendo, & duritiam cordis, in non aſſentiendo myſterijs ſufficienter propoſitis, reprehendunt, adduntque, licet non poſſit ſemper reddi ratio eorum arcanorum, quæ credenda proponuntur, ſeu quæ talia myſteria clare oſtendat, & demonſtret eorum veritatem, & exiſtentiam, poſſe tamen dari rationem, cur prudenter credantur, iuxta quem ſenſum, inquit Apoſtolus Petrus 1. epiſt. cap. 3. *paratos nos eſſe debere, ad reddendam rationem eius, quæ in nobis eſt ſpei, ſeu fidei*. fieri itaque debet talis rei credendæ propoſitio, vt ſit rationi conſentaneum, eidem myſterio aſſentiri, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 12. *Rationabile obſequium veſtrum*: hæc autem fidei propoſitio, nihil aliud eſt, quam iudicium Eccleſiæ proponentis & loquentis, quo ſignificat aliquam veritatem, eſſe à Deo reuelatam; vnde eiuſmodi propoſitio facta ab Eccleſia docente, & proponente, directe & proprie fertur, non in ipſam veritatem myſterij propoſiti, ſed potius in reuelationem diuinam, de veritate dicti myſterij, hoc eſt, fert teſtimonium de ipſa reuelatione, aſſerendo, eam eſſe factam à Deo: quæritur proinde, an vt doctrinæ reuelatæ præbeamus aſſenſum, opus ſit, vt proponens aliqua aſſignet argumenta, rationes, & motiua, quibus audiens inducatur ad credendum, non ſolum myſteria propoſita eſſe vera, ſed etiam à Deo reuelata; adeoque interrogatus poſſit reſpondere, *ſcio cui credidi, & certus ſum*. Id eſt, ſcio me recte, & prudenter crediciſſe, ſeu acceptaſſe fidem Chriſtianam; quod non ſolum habet locum in infidelibus ad amplectendam fidem, ſed etiam in ipſis fidelibus, v.g. pueris Baptizatis, ad fidem iam acceptam retinendam; ad quod dico, neceſſarium eſſe, vt obiectum fidei, cum talibus cir-

cum-

cunſtantijs proponatur, vt prudenter appareat credibile; atque adeo, vt propoſitio præfati obiecti ſit ſufficiens, opus eſt, vt id quod proponitur, fiat euidenter credibile tanquam dictum à Deo, proinde vt certum & infallibile.

§. III. Quare antequam producatur actus fidei ſupernaturalis, præcedit in credituro, iudicium conceptum ex motiuis credibilitatis, quod Suares de fide tract. 1. diſp. 6. ſect. 8. num. 12. ait eſſe ſuo modo euidens, & ſcientificum; quod tamen non ſufficit, vt velit quis ſupernaturaliter credere, ſed neceſſaria eſt illuminatio ſpecialis Spiritus Sancti, quæ vt eſt in intellectu ſupernaturalis eſt, & in voluntatem etiam redundat: quod etiam tetigit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. inquiens, *diſponuntur autem ad iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur ad credendum*; ex qua declaratione habetur, ante liberam credendi voluntatem duo requiri, ſcilicet auditum fidei, ad quem pertinet tota exterior propoſitio ſufficiens fidei, & internam excitationem, quam ſtatim Concilium declarat, in illuminatione Dei conſiſtere; vnde canone tertio definit, neminem poſſe credere, ſicut oportet, ſine Spiritus Sancti præueniente illuminatione, & inſpiratione: prædictum igitur iudicium, eſt certa & clara cognitio deducta, ex rationibus moraliter euidentibus, quibus proponens oſtendit, obiectum propoſitum, eſſe credibile: argumenta tamen ſuadentia credibilitatem obiecti reuelati, non influunt in ipſum actum fidei diuinæ; ſed tantum generant iudicium illud præuium ad ipſum aſſenſum ſupernaturalem; requiritur igitur perſpicua huiuſmodi propoſitio; qua per argumenta, & motiua oſtendatur obiectum propoſitum credi debere, hinc Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 4. loquens de fidelibus ait, *non crederent, niſi viderent eſſe credibile*; vbi notanda ſunt iſta verba *credere, & videre*. Nam credere dicit obſcuritatem rei, videre dicit claritatem, quæ in caſu non repugnant, cum verſentur circa diuerſa, nam creditur myſterium propoſitum ſub ratione veri, videtur autem, ſub ratione credibilis; eſt item præfatum iudicium, vt communius tenent Theologi, naturale, quia fieri poteſt, per naturalem diſcurſum, ex ſufficienti propoſitione obiecti sic: *quidquid ſufficienter proponitur, eſt credibile; hoc obiectum ſufficienter proponitur: ergo eſt credibile*: in quo diſcurſu, maior eſt nota naturaliter, minor experientia cognoſcitur, dum quis experitur ſe percipere notitiam ex propoſitione obiecti, & motiuis, ac argumentis, quibus ea propoſitio inſignitur,

&

& conſequenter iudicium de concluſione, naturale eſt.

§. IV. Vti igitur ante fidem, neceſſe eſt velle credere, ita ante talem voluntatem, requiritur iudicium, per quod voluntas, mediante diuina inſpiratione, moueatur ad volendum credere, moueri enim non poteſt, niſi adſit præcognitio obiecti, *quia nihil volitum, quin præcognitum*; vt autem non leuiter moueatur, præcedat neceſſe eſt illud iudicium, quod vt ſæpius dixi, producitur ex rationibus, & motiuis credibilitatis, quæ ſecum habet annexa illa regula, illa Eccleſia docentis & proponentis authoritas, quam fideles & credituri, tanquam normam in credendo ſequantur, præcedente iudicio illo de credibilitate obiecti propoſiti; an enim propoſita doctrina, ſit à Deo dictata, diſcutiendum eſt ratione libera, & nondum legibus fidei obſtricta, neque quis ad credendum obligatur, quia credit, cum hoc inuoluat circulum vitioſum, ſed credit, quia ad credendum obligatus eſt, vnde obligatio præcedit actum fidei, ipſam obligationem inducunt præuia illa motiua credibilitatis, ad iudicium illud præuium eliciendum mouentia: illa ergo obligatio non à fide, ſed ab aliquo extrinſeco, tanquam à cauſa, vel inſtrumento proponente, & applicante myſteria credenda, procedit: ab hoc ergo extrinſeco inducitur iſta obligatio credendi, quod aliud non eſt, quam ſuadere, & probare, eam doctrinam, quæ credenda proponitur, eſſe à Deo reuelatam, ac proinde acceptandam, & illibate firmiterque credendam, vnde vti pro comperto habendum eſt, doctrinam veræ Religionis, eſſe à Deo datam, ita certum eſt, eandem ſine examine, lite, diſputatione, petitione rationis credendam eſſe. ſciendum prius, eam eſſe datam, & reuelatam à Deo, quod teſtatur & probat ſæpe dicta credendi regula, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritas; & hinc oritur obligatio credendi, hinc reuelatæ doctrinæ remouetur examen: & hanc eſſe formam veræ religionis quærendæ, & concipiendæ, chriſtiani negare non poſſunt; cum hanc eandem formam, perpetuo omnes fidei præcones obſeruauerint, Moyſes, prophetæ, Apoſtoli & humani generis aſſertor Chriſtus ipſe; quippe mirandis operibus, prodigijs, virtutibus, illud vnum euincebant, ſe miſſos à Deo; ſe doctrinam afferre Dei, nec aliud probare curabant, quam *hæc dicit Dominus*: vnde colligitur non niſi præuijs motiuis, præuijs credibilitatis iudicio, credere quemuis poſſe, actum ergo fidei ſupernaturalis, præcedit dictum iudicium, iudicium præſupponit auditum, auditus loquelam ſignis & motiuis affectum, loquela perſonam proponentem,

& loquentem, hæc perſona miſſionem, miſſio ſecum habet annexam authoritatem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qualiter modus concipiendi fidem adhibetur in praxi.

§. I. VT hoc intelligatur, notandum ſermonem poſſe eſſe, vel de pueris, vel adultis; ſi quæſtio eſt de adultis, vel ſunt infideles, qui à Deo excitati, & illuminati inquirentes veritatem, petunt eam audire ex fidelibus, & ab his inſtruuntur; vel quæſtio eſt de adultis iam fidelibus, & de his iterum diſtinguendum, vel enim eliciũt actus fidei circa obiecta alias ab eiſdem credita, vt quotidie facimus circa articulos ſymboli, vel circa obiecta ab Eccleſia, de nouo declarata, ſeu definita, eiſque propoſita: quæ diſtinctio eſt valde notanda, hinc iuxta varia genera credentium, varie diſcurrendum eſt, & primo quidem in omnibus hominibus, ad credendum obligatis, ante aſſenſum fidei, neceſſaria eſt apprehenſio obiecti credendi, per ſenſum externum auditus, vel lecturæ, & per ſenſum internum imaginatiuæ: iuxta illum Apoſtoli locum ad Rom. 10. ſæpe citatum, *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient, ſine prædicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Ex quibus patet myſterium credendum prius debere concipi, ſeu apprehendi per ſenſum, quod fit percipiendo doctrinam ſacram, miniſterio ſenſuum externorum, & internorum, vt iam ſupra dixi; in pueris autem, ruſticis, & idiotis, quando primo eis obiecta credenda proponuntur, non requiritur alius actus, vel iudicium, præter apprehenſionem obiecti propoſiti, vt patet diſcurrendo per ſingulos; & in primis, cum pueri difficultates & repugnantias naturales non agnoſcunt, non egent diſcurſu, ad conſiderandum, an ea myſteria, quæ illis proponuntur, ſint poſſibilia, nec ne. præterea, ſi quæratur ab illo puero, v.g. an aliquid mente reuoluat, dum Parochus illi, articulos ſymboli exponit, dicet ſe nihil cogitare, quam illud ipſum, quod parochus proponit; nec ipſi Catechiſtæ experiuntur, eos, quos docent, dubitare pro tunc de rebus propoſitis. credunt ergo illi pueri ſine repugnantia ſincere, & candide, non quærentes rationes, nec dubia mouentes, ſed vltro ſine hæſitatione aſſentientes; quos tunc vtique credendi ſimplicitas tutiſſimos reddit.

§. II. Si autem contingat puerum, perſpicacioris eſſe intellectus, contingit etiam vt circa propoſita myſteria ſubinde hæſitet, dubiaque moueat, vt quid ſit trinitas, Incarnatio, reſurrectio? quo caſu, quandoquidem opus ſit, vt Catechiſta quietet intellectum interrogantis, eique ſatisfaciat, aſſignanda ſunt motiua, & argumenta aliqua, quæ oſtendant propoſitæ doctrinæ credibilitatem, vt v. g. quod cultores huius doctrinæ, multa patrarint miracula, plurimi pro ea mortem ſubierint, quod ex ijs, qui eam hodie profitentur, multi vitæ ſanctitate, morumque integritate polleant: quod omnes item, qui eam colunt, vniformiter, & vnanimi conſenſu, ſine vlla inter ſe contrarietate, aut contradictione, illius articulos credant, ita vt eorum in credendo, ſit cor vnum, & anima vna, habeantque quatuor illas vulgares notas, quas Chriſtiani communiter aſſignant in vna Chriſti Eccleſia, adeo vt profitentium hanc doctrinam congregatio ſit *vna, ſancta, catholica, & Apoſtolica*, vt diſcurrentis experientia conſtare poteſt. Quare puer ille ſic cupiens inſtrui de eiuſmodi myſterijs, vtique antequam producat aſſenſum fidei diuinæ, elicit prænium credibilitatis iudicium, ex prædictis motiuis ei narratis, & propoſitis, quo iudicat, quod res propoſita à Parocho, ſit creditu digna, atque ſic eius voluntas, per diuinæ inſpirationis auxilium, adiuta, imperat intellectui, vt fidei aſſenſum eliciat, ſimiliter intellectus ſupernaturali illuſtratus auxilio, myſterio ſibi propoſito, præbet aſſenſum; eodem modo diſcurrendum de ſimplicibus, ac Idiotis, ſicut de pueris, quoad promptitudinem eliciendi actum fidei, nulla mota difficultate contra Catechiſtæ dicta, ſed ſola obiecti apprehenſione præmiſſa, antequam credendi aſſenſum emittant, cum vero ſcrupulos experiuntur, & difficultates mouent, vtique ſatisfactiones requirunt, & ſunt inſtruendi, ac perſuadendi, per prænia motiua & argumenta, de euidenti credibilitate propoſitæ doctrinæ; vnde etiam illi neceſſario producunt prænium iudicium, quo ſentiunt, rem propoſitam, eſſe prudenter credibilem, deinde diuina aſpirante gratia, & præuio voluntatis imperio, prorumpunt in actum credendi.

§. III. Hinc infertur, quando adulti fideles, in infantia baptizati, producunt actum fidei, circa illos articulos, quos olim didicerunt, non eis opus eſſe, elicere actum iudicij prænij, circa credibilitatem, vel poſſibilitatem dictorum articulorum, niſi naturalis interueniret dubietas, vel aliqua contra fidem pulſaret tentatio, ſed ſufficit eis, ſicut de pueris, ruſticis, Idiotis

dictum eſt, ſimplex apprehenſio, vel reflexio, circa illa myſteria, quæ alias crediderunt, nam illi olim articulos ſymboli didicerunt, & per continuum credendi exercitium, acquirunt facilitatem, ad eliciendos aſſenſus; quare cum in credendo perſeuerant, res ipſas credendas non diſcutiunt, quia nullum obmurmurantis dubij ſcrupulos ſentiunt, ſed perceptis myſterijs, & diuino affulgente auxilio, illa credunt, irrepente tamen dubio, vel tentatione pulſante, ad obuium illud & apertum omnium oculis motiuum, facilis patet aditus tali fideli, nempe *vera Chriſti Eccleſia ſic docet*; hic enim ſuppono eos ſolos, eſſe fideles, qui eiuſdem veræ Eccleſiæ, fidem & authoritatem ſequuntur, quamque credunt dirigi à Spiritu Sancto, & eius infallibili aſſiſtentia muniri, ſub qua aſſiſtentia, teſtimonium Eccleſiæ eſt fidelibus certiſſimũ, eoſque in credendo dirigit. recurrere item poſſunt ad miracula patrata, ad martyria pro hac veritate perpeſſa, & alia eiuſmodi credibilitatis argumenta, adeoque sic dubio pulſo, & tentatione proſtrata myſterijs propoſitis aſſentiuntur.

§. IV. Secus eſt de adulto infideli, & credituro, qui vt doctrinæ reuelatæ præbeat aſſenſum, præter myſteriorum apprehenſionem, debet habere præuium credibilitatis iudicium, circa eandem doctrinam, nam nullus eiuſmodi ordinarie Chriſtianam amplectitur Religionem, niſi aliquo euidente motiuo præcedente, & ſuadente, quod prædicta doctrina ſit à Deo reuelata, ſiue illa ſit vnitas & vniformitas, quam in credendo fouent eius profeſſores, ſiue ſanctitas multorum, ſiue martyria perpeſſa, ſiue collectio quatuor illarum vulgarium notarum, in vna illa & ſola congregatione, doctrinam illam profitente, reperta; qui enim mouetur per aliquod credibilitatis argumentum, ad aſſentiendum Trinitatis & Incarnationis myſterio, ex eiuſmodi argumentis, iudicat propoſitum myſterium eſſe prudenter credibile, tanquam à Deo reuelatum, adeoque credendum; vnde ſimiles infideles ad fidem conuerſi, interrogari ſolent, quo motiuo fuerint inducti ad hanc doctrinam credendam: hoc autem credibilitatis iudicium, non præiudicat fidei, cum à Chriſto commendetur Ioan. 10. *ſi mihi non vultis credere, operibus credite*, id eſt, ex operibus, quæ ego facio, poteſtis euidenter, euidentia morali, concludere, quod ego ille ſim, qui in ſcripturis per os prophetarum promiſſus ſum, & hoc credibilitatis iudicio producto de me, in me credite; vnde eodem capite ſubiungitur, *quia multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem, ſignum fecit nullum,*

omnia

Omnia autem, quæ dixit Ioannes de hoc, erant vera, & multi crediderunt in eum. Quare ex eius prodigijs, ſignis, & operibus, à Ioanne prædictis, de illo verificatis, iudicarunt eſſe euidenter credibile, quod erat Meſſias, & propterea crediderunt: ſic virtutibus & miraculis Apoſtoli multos conuerterunt.

§. V. Tandem vt doctiores fideles, actum fidei, circa obiectum de nouo propoſitum, eliciant, præter ipſius obiecti apprehenſionem, etiam prærequiritur iudicium præuium; dum enim tale aliquid audiunt, inueſtigare debent, an illud ſit à ſuprema Eccleſiæ authoritate propoſitum, formando ſcilicet hoc iudicium, nempè: illud eſt credibile, quod à ſuprema Eccleſiæ authoritate proponitur, idque præſcribitur primæ Ioannis 4. *noli omne ſpiritui credere, ſed probate, an Spiritus ex Deo ſunt.* Atque adeo dum Parochus vel Epiſcopus, aliquid nouū credendū proponit, debet doctus, & indaginis capax inquirere, an ab authoritate falli neſcia, illud proponatur, hoc enim oſtenſo, & perſuaſo, iudicat illud eſſe credendum, & tandem accedente voluntatis imperio, deique auxilio iuuante, actum fidei diuinæ producit; conſtat id ex praxi fidelium, quoties nouum aliquod dogma, explicite credendum proponitur, non quod Eccleſia noua dogmata cudat, ſed quod nouas Antiqui Dogmatis & olim reuelati, explicationes edat, editaſque proponat credendas. In hoc itaque caſu, ſolent docti expendere, an ſit aliquid agibile circa mores, vel credibile circa doctrinam, & an ſi tale, ſit ſimplex reſponſum, vel definitio authentica, authentice condita, quibus perpenſis & conſideratis format iudicium, quod illud ſit credibile, hoc ſolo pro veris fidelibus, ſufficiente motiuo, quia ſcilicet à vera Eccleſia authentice docente, & loquente, proponitur: hinc eiuſmodi docti homines, poſſunt ante actum credendi, præmittere diſcurſum ſiue de credibilitate obiecti, ſiue de credendi obligatione, quia id nulla lege prohibetur; & doctis vtique, ſub directione tamen regulæ credendi, dicitur à Chriſto Ioan. 6. *ſcrutamini ſcripturas.* Sic doctus Catecumenus inquirit à Catechiſta, vt explicet ſibi myſteria fidei, qua explicatione præmiſſa, concipit iudicium de credibilitate, ac tandem adiuuante diuina gratia, credit eſſe à Deo reuelata, adeoque eſſe vera. Hoc etiam patet ex praxi doctorum, & vniuerſitatum, dum de nouo aliquo articulo diſcurrunt. Patet ex continua praxi Conciliorum generalium, in quibus, vt confunderentur hæreſes, & firmarentur in Religione fideles, ac doctis etiam ſatisfieret, acerrime diſcuti ſolebant articuli

ad

ad credendum proponendi, ex euiuſmodi diſquiſitione, examine, & diſcurſu gignitur iudicium præuium, & mox ope adiuuante diuina creduntur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo ſenſibilis propoſitio doctrinæ reuelatæ, per Regulam credendi Authentice facta, ſtet cum obſcuritate myſterij propoſiti, & libertate credendi.

§. I. REgulam fidei, vt communis eſt norma credendi, eſſe viuam & animatam, quæ humano, & perceptibili modo, articulos credendos, mortalibus proponat, ſæpius in antecedentibus inſinuaui; vnde ſenſus eſt, an clara & ſenſibilis iſta propoſitio obiecti credendi, demonſtret euidenter credituro ipsũ obiectum, ſeu myſterium in ſe taliter, vt videat illud eſſe euidenter verum, & neceſſitetur ad aſſentiendum propoſitæ doctrinæ. vbi iterum hic repeto, quod alias notaui, iſtam Regulam, ſeu Eccleſiæ authentice loquentis propoſitionem, loquelam, ſeu vocem, eſſe medium illud, quo Deus habet commercium, cum genere humano, nam cum mentem ſuam Deus immediate non aperiat ſingulis hominibus, ſed eis, per alios homines regulariter loquatur, *ſicut locutus eſt, per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum eius*; hinc illud ipſum commercium, debuit inſtitui locutione quadam diuina, exterius ſignis affecta; voluit enim illum commercij modum inſtituere, cum mortalibus, qui ipſis inter ſe hominibus, eſt familiaris, vt ita ſignis quibuſdam externis, declaret arcana ſui intellectus, & placita voluntatis; vnde conueniens fuit, vt ſua nobis ſenſa volens aperire; ea vſus ſit quaſi lingua, quæ nobis eſt notiſſima; & publicis tabulis declararet vniuerſis, quod vellet notum ſingulis; ille igitur commercij modus nobiſcum placuit Deo, quo, ſignis quibuſdam externis, palam faceret humano generi, quid ſentiat, & hoc eſt, Deum loqui hominibus externis ſignis. Sermo itaque Dei, ornari poteſt argumentis tam miris, vt innoteſcat certo Deum illo ſermone eſſe locutum. Sic Moyſes, ex virga in colubrum verſa, ex rubo ardente & incombuſto, intulit Deum ei locutũ. Dicit multitudini, Deum ei locutum, non creditur, addit prodigia, acceptatur vt Dei legatus,

gatus; hic ſermo Dei ſignis affectus, eſt ipſe, quem ſenſibiliter proponit Eccleſia; quis quærens veritatem, videt in Exodo prodigia, quibus ſermo Dei ad Moyſem ornatus fuit, inde pergens ad Euangelium, illud ipſum de Chriſto videt, ſingulis ſæculis eius ſermonem confirmari ſequentibus ſignis, neque hæc ſigna ſunt ſola miracula, ſed alia miraculis non inferiora, nempe ſanctitas vitæ, ſanctitas doctrinæ, omnium in doctrina conſenſio, conſtantia, vnitas, fortitudo martyrum, vniformis per orbem Eccleſiæ diffuſio, & membrorum eius in credendo, profeſſio, quibus fretus, & perſuaſus non dubitabit, hanc eſſe eam Eccleſiam, per quam Deus loquitur.

§. II. Et hoc eſt Regulam credendi, ſeu Eccleſiæ loquentis authoritatem, traditionem, & vocem, ſeipſam humano generi, palam oſtendere, & Dei cum mortalibus commercium, & ſermonem applicare, & ſenſibiliter proponere; cum qua ſenſibili propoſitione, & loquela, ſtare obſcuritatem myſterij propoſiti, & libertatem credendi, patet multis exemplis; & primo Pharaonis, qui exodi 14. videns tot prodigia, & miracula, à Moyſe patrata quibus ſermo Dei ab ipſo propoſitus, ornabatur, adhuc in ſua perſeuerans duritie, perijt, de quo Diuus Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione, & gratia cap. 14. *patientia Dei, inquit, debuit illi valere ad ſalutem, qua differebat meritumque, iuſtumque ſupplicium, miraculorum verbera crebra denſabat; nunquid non potuit; ſicut flagellis cædens populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoſcere?* potuit ergo credere, videns teſtimonia illa nimis credibilia cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. exodi edita: quid dicam de ipſo Hebraico populo, qui poſt tot viſa portenta, toties tamen duram oſtendit ceruicem, & petulantem incredulitatem, vt Pentateuchum luculenter teſtatur? patet hoc rurſus, experientia ipſius Chriſti inſtruentis, docentis, & catechizantis Iudæos, quorum aliqui crediderunt, alij non, vt conſtat Ioan. 5. vbi ſanato homine triginta annis infirmo, Iudæi noluerunt credere, & Ioan. 7. *dixerunt ex eiſdem nonnulli, Chriſtus cum venerit, nunquid plura ſigna faciet, quam hic facit?* & infra, *nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo*, & mox ſubditur, *reſponderunt Phariſæi, quomodo poteſt homo peccator, hæc ſigna facere?* & ſchiſma erat inter eos, perceperunt ſenſibiliter ſignum eſſe factum, cumque eſſent certificati à parentibus, de eius cæcitate, & ex facto dialogo, & reſponſionibus ipſius illuminati, aperte conuicti noluerunt credere, vnde concluſit Chriſtus ibidem, *In iudicium, ego in hunc mundum veni, vt*

qui

qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. & alibi Chriſtus inculcauit, *ſi mihi non vultis credere, operibus credite. Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: ex quibus manifeſte colligitur, cum ſenſibili propoſitione myſterij, & euidentia morali de credibilitate eius, ſtare obſcuritatem eius & libertem credendi; quod rurſus patet ex obduratione Iudæorum, quibus Chriſtus oſtendit per ſigna, & miracula, ſuam doctrinam fuiſſe euidenter credibilem; eum tamen vocabant ſeductorem, nolentes omnino credere, vt habetur Ioan. 12. *cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non crediderunt in eum*; quod etiam conſtat ex ſanitate reſtituta claudo act. 4. quo miraculo tam palpabiliter noto, Iudæi adhuc in ſua incredulitate perſtiterunt.

§. III. Ex quibus omnibus habetur, cum manifeſta & ſufficiente propoſitione obiecti, & euidente credibilitate illius, oſtenſa ſignis, argumentis, & motiuis, ſtare in manu voluntatis, credere, vel non credere myſterio propoſito; ſi enim aſſenſus fidei non eſſet liber, Chriſtus non reprehenderet Iudæos, quod non crediderint, nec præciperet, vt crederent, ſed ſufficeret, doctrinam ſuam proponere, eamque ſignis ſequentibus confirmare, quia ſic intellectus cogeretur ad aſſenſum fidei eliciendum, credendo ipſum eſſe Meſſam, & eius doctrinam eſſe diuinitus reuelatam: nihilominus, ex omnis iſtis, intellectus adhuc non cogebatur ad aſſenſum; ſed remanebat ſub voluntatis imperio, vt induceretur credere, & aſſenſum præbere, quod recte, inſinuat Tridentina Synodus, ſeſſ. 6. cap. 6. *ſic diſponuntur autem*, inquit, *ad iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, credentes eſſe vera, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt*. & Auguſt. tract. 26. in Ioannem, *Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere poteſt Sacramentum nolens, credere vero non poteſt, niſi volens*, & lib. de Spiritu & littera cap. 31. *quomodo quis poteſt credere, ſi noluerit? aut non credere ſi voluerit? quid enim eſt credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur; conſenſio autem volentis eſt*. Confirmatur exemplis tot infidelium, quibus per orbem totum, tot miraculis, virtutibus, & motiuis validis, propoſita fuerunt myſteria reuelata, quorum aliqui præbuerunt aſſenſum, plures etiam oppoſuerunt diſſenſum; nam talis ſenſibilis rei credendæ propoſitio, facta per motiua credibilitatis, non demonſtrat iſtam rem eſſe veram, ſicut dicens homini Pariſijs exiſtenti, exſtare Memphim, Damaſcum, Hieroſolymam, Conſtantinopolim, non facit illas vrbes

bes præſentes illi homini, aut earum exiſtentias, illi eſſe euidentes, ſic euidens eſt illi ſol, dum lucet in meridie, nam propoſitio ipſa obiecti, eius auditio, diſcuſſio motiuorum, & iudicium præuium credibilitatis, nec ſunt aſſenſus, quod obiectum ſit verum, nec trahunt ſecum aſſenſum, per neceſſariam illationem, ſed adhuc relinquunt obiectum in ſua obſcuritate, & conſequenter, niſi voluntas imperet intellectui, vt aſſentiatur, nunquam producetur aſſenſus; quod autem abſque tali imperio intellectus non aſſentiatur myſterijs reuelatis, ſibi ſenſibiliter propoſitis, inde oritur, quod per iſtam propoſitionem, non appareant ipſi clare, & euidenter iſta, ſed obſcure, vnde remanet adhuc credendi, vel non credendi libertas, et ad credendum neceſſarium eſt formale voluntatis imperium, licet Chriſtianis aſſuetis credere, ſufficiat virtuale Imperium, quia illi non patiuntur difficultates, quas credituri ſubinde patiuntur.

DISTINCTIO TERTIA.

De perpetua regulæ credendi, ſeu Eccleſiæ proponentis infallibilitate.

SEnſus propoſitæ diſtinctionis eſt, an ille chriſtianorum cœtus, in quo reſidet authoritas docendi, & proponendi, myſteria reuelata mortalibus, ſeu Regula illa fidei, quam fideles & credituri, tanquam normam in credendo ſequuntur, habeat, habueritque ſemper eam Spiritus Sancti aſſiſtentiam, vt in exponenda, & proponenda doctrina fidei, nec decipi, nec decipere poſſit, aut potuerit, adeoque in illa propoſitione ſit & fuerit infallibilis ita vt fideles & credituri ſint certi, quod ea, quæ ipſis, ab illo cætu ſeu vera Eccleſia proponuntur, ſint reuera à Deo reuelata, & conſequenter infallibiliter vera; ne dum credunt, vacillent, vel dubitent, an illud, quod in cauſa Religionis profitentur, ſit à Deo reuelatum, an à Spiritu erroris inuentum, & confictum: & hæc vtique, cum præcedenti diſtinctione, poteſt dici cardo omnium controuerſiarum, nempe, *an detur aſpectabilis cœtus, qui in docendo, & proponendo ſit infallibilis*, qua ſemel admiſſa hypotheſi, facile ſequitur, *ergo quidquid in materia fidei, ab iſto cætu, vel proponitur, vel docetur, eſt infallibiliter verum & certum*; & conſequenter ſequaces huius Regulæ, ſic in-

credendo poſſunt eſſe ſtabiles, vt non iam amplius ſint *paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*: ad hanc regulam, velut ad petram, facile alliduntur confuſionis Babilonica monſtra: hic confringuntur tumentes contentionum fluctus; vnde ſit.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit certitudo, & infallibilitas.

ARTICVLVS PRIMVS.

De natura, & proprietatibus certitudinis.

§. I. COmmuniter definitur certitudo, quod ſit firma intellectus adhæſio, alteri determinatæ parti, abſque formidine de oppoſito, ſi enim adeſſet formido, non eſſet in intellectu certitudo, ſed dubietas; vt autem ipſius certitudinis natura, ex ſuo contrario melius intelligatur, notandum, quod formido ſit duplex, nempe formalis, & radicalis, formido formalis eſt cum quis ita aſſentitur alicui concluſioni probabili, vt tamen per aliũ actum dubitet, ne res aliter ſe habeat, atque ille iudicat; formido radicalis eſt aſſenſus, ex modo tendendi ita imperfectus ſubſtantialiter, ſeu quoad entitatem & ſubſtantiam, vt non conuincat intellectum, ſed illum relinquat debiliter aſſentientem, ſiue eſt actus, qui in ſe habet negationem certitudinis, licet intellectus non aduertat, vocatur autem formido radicalis, quia aſſenſus ille, eſt eiuſmodi, vt ſi ſupra actum ſuum reflecteret, videret illum, non niti principijs illis, nec tale habere fundamentum, vt dubitationem omnem de falſitate obiecti excludat. Formalis vero formido, non eſt ſemper de ratione opinionis, vel fidei humanæ, eſt tamen de eius ratione formido radicalis. primum patet experientia, qua conſtat, aliquos ita mordicus adhærere ſuis opinionibus, vt patet in Iudæis, & hæreticis, quæ tamen meræ opiniones ſunt, vt nullam plane de ijs dubitationem habeant; ſuper quas tamen ſi reflecterent, viderent eas, non ita certis fulciri principijs, vt de illis merito dubitare non poſſent, de quibus recte, Ariſtoteles lib. 7. Ethicorum cap. 3. *quidam opinantium*, inquit,

non

non dubitant., ſed exiſtimant ſe certo ſcire. Reperiuntur ſubinde opinio, & fides humana, ſine formali formidine, licet eliciantur ob medium non certum, non tamen reperiuntur ſine formidine radicali, cum nitantur authoritate, ſeu medio fallibili.

§. II. Hinc triplicem aſſignant certitudinem authores, nempe moralem, phyſicam, & metaphyſicam: Moralis eſt, cum multi fide digni, in rei alicuius affirmationem conſentiunt, hac certitudine norunt exſtare Romam, vel Pariſios, qui ciuitates illas non viderunt, ſed ex relatione aliorum, tales exſtare audierunt; phyſica certitudo eſt, quando aliquid ſcimus ita ſe habere, inſpectis rerum naturis, vt ſolem ſupra horiſontem noſtrum ortum, lucem in noſtro hæmiſpherio producere; ignem applicatum comburere, licet diuinitus poſſit aliter contingere, vt accidit in igne Babylonico, qui applicatus tribus pueris, eos non adußit. Metaphiſica certitudo eſt, cum nec per diuinam potentiam, aliter ſe res habere poſſit, vt homo si exiſtat, non poteſt non eſſe animal rationale, & Leo non eſſe animal rugibile; Idem eſt de primis principijs per ſe notis; *vt omne totum eſt maius ſua parte, quodlibet eſt vel non eſt, bis tria ſunt ſex*. his addo velut quartam ſpeciem nempe certitudinem fidei diuinæ, de qua infra, vbi aduertendum, quod licet veritas, & falſitas conſiſtant in indiuiſibili, non tamen certitudo & euidentia, cum enim certitudo actus, & euidentia pendeant à principijs, quo magis hæc firma fuerint, & infallibilia, ac ad vnum determinata, eo actus ex huiuſmodi principijs procedens, erit certior, aliumque excedet, qui ex talibus principijs non deducitur: ſic etiam actus, qui ex clarioribus præmiſſis infertur, clarior & euidentior erit alio, qui ex præmiſſis minus claris oritur.

§. III. Aduertendum ſecundo: licet omnis cognitio euidens ſit certa, non tamen omnis certa cognitio eſt euidens; quod manifeſte patet exemplo ex ſecundæ Petri 1. verſ. 16. *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis, accipiens enim honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum, & hanc vocem nos audiuimus de Cælo allatam, cum eſſemus in monte ſancto, & habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti, in caliginoſo loco*. Vbi Sanctus Petrus voluit probare, fidem Chriſti ex duplici cognitione, prima fuit euidens, quam habuit ex oculari viſione transfigurationis, & ſenſibili auditione vocis in monte ſancto: altera fuit obſcura, quam habuit ex

prædictione prophetica, ad quam prouocauit Iudæos; & licet tam vna, quam altera fuerit æque vera, firmiorem tamen, ait Apoſtolus, eſſe propheticum ſermonem, quam illam cognitionem euidentem, ex oculari viſione, & ſenſibili auditione hauſtam, vt notat Diuus Auguſtinus de his ipſis Apoſtoli verbis ſerm. 27. *quis noſtrum non miretur, delata voce de Cælo, certiorem propheticum ſermonem, ab Apoſtolo dictum eſſe? certiorem ſanè dixit eſſe certiorem; non meliorem, non veriorem, tam enim verus eſt ille ſermo de cælo, quam ſermo propheticus, tam bonus, tam vtilis; quid ergo certiorem, niſi quo magis confirmetur auditor?* quia cognitio fidei, plura habet, & magis infallibilia motiua, ad verum determinantia, quam habet cognitio illa euidens, per ſenſum accepta; prior enim nititur dictione Dei, qui nec falli poteſt, nec fallere, applicaturque illa dictio, per Regulam infallibilem fidei: poſterior non nititur eiuſmodi principijs infallibilibus, cum cauſæ naturales, v. g. potentiæ, media, obiecta poſſint errorem inducere, nam etſi fieri nullo modo poſſit, vt vera ſcientia, aut cognitio aliàs vere euidens, ſit falſa, quia alias non eſſet cognitio vere euidens, ſed error; ſi tamen præciſe ſpectemus modum, quo intellectus, per eiuſmodi naturales cognitiones, tendit in ſuum obiectum, abſolute fieri poteſt, vt fallatur, quo caſu poſſet cognitio, quæ nobis videtur euidentiſſima & certiſſima ſcientia, eſſe à parte rei error. Patet hoc in philoſopho naturali, qui ex illo principio, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, videretur ſibi euidenter inferre, quod impoſſibile ſit, dari Trinitatem perſonarum in eadem numero natura: ſic duo, quorum vnus videt Petrum, alter phantaſma Petri, quoad modum tendendi in obiectum, habent cognitionem æqualiter certam, & euidentem, & tamen vnus fallitur.

§. IV. Hinc vt videamus, quæ ſit certitudo requiſita ad fidem diuinam, placuit rurſus authoribus, eam dupliciter diuidere, vt vna ſit certitudo ſcientiæ, ſeu euidentiæ, altera adhærentiæ, ſeu vna adhæſionis, altera ſpeculationis. Prima reſpicit intellectum, altera affectum, ſeu voluntatem, vnde certitudo fidei diuinæ, quã nonnulli vocant formalem, eſt firmitas aſſenſus omnino infallibilis, ſiue qua intellectus alicui obiecto cognito firmiter, & modo in ſe omnino infallibili adhæret, ad quod plura requiruntur; primo vt aſſenſus ille ſit verus, cum nemo poſſit aſſenſu falſo aliquid certo cognoſcere, quandoquidem illud in rei veritate non cognoſcat, ſed potius circa illud erret: vnde habetur quod ille

aſſen-

aſſenſus, ſit cæteris paribus certior, qui magis neceſſario eſt verus. Secundo requiritur, vt modus cognoſcendi ſit infallibilis, ſiue vt intellectus, eo modo tendat in obiectum, qui nequit reperiri, niſi in aſſenſu vero: quare quando aliquid cognoſcitur, per aliquod medium, adhoc vt aſſenſus ſit certus, opus eſt primo, vt hoc medium habeat neceſſariam connexionem cum veritate obiecti, quia medium non neceſſarium, non poteſt producere aſſenſum certum; ſecundo requiritur, vt modus vtendi illo medio ſit infallibilis: v. g. catholici credunt Verbum eſſe incarnatum, idque tanquam obiectum; medium autem ob quod credunt illud, quodque cum dicto obiecto eſt neceſſario connexum, eſt reuelatio diuina, modus vero, quo vtuntur prædicto medio, ſeu reuelatione, eſt infallibilis propoſitio Eccleſiæ, quæ inſtar regulæ applicat illam reuelationem fidelibus, & credituris, vnde quamuis hæretici credant aliqua vera fidei myſteria, præciſe propter reuelationem diuinam, & conſequenter propter medium neceſſarium, & infallibile, & quamuis firmo aſſenſu eadem illa myſteria credant, tamen eorũ aſſenſus non eſt in rigore ſermonis, & proprie certus, certitudine requiſita ad fidem diuinam, quia modo fallibili vtuntur illo medio, cum enim ipſi negent, eſſe in Eccleſia poteſtatem infallibilem proponendi Res fidei, negentque ſubinde, veras & infallibiles fidei notas, quibus iudicium præuium ad voluntatem credendi, nititur, conſequenter vtuntur Dei reuelatione modo prorſus fallibili, vti vtuntur Iudæi, adeoque non certo credunt.

§. V. Tertio requiritur vt hic modus aſſentiend ſit ipſi aſſentienti infallibilis, iuxta illud Apoſtoli, *ſcio cui credidi, & certus ſum*. Ita ſcilicet, vt ipſe vere cognoſcat ſuum modum cognoſcendi, eſſe infallibilem, nam alias ille modus erit materialiter tantum, non autem formaliter certus; eſſe autem formaliter certum, eſt, vt aſſentiens poſſit ratione ſuæ certitudinis, dici certo cognoſcere ſuum obiectum, cui aſſentitur, v. g. Trinitatis myſterium; quod vere fidelis, non poteſt certo credere, niſi certo illud cognoſcat per certum medium, nempe per reuelationem ei applicatam, per certum modum, nempe per Regulam fidei infallibiliter proponentem; quarto denique requiritur, vt aſſenſus ſit firmus, ſiue vt aſſentiens per illum firmiter adhæreat ſuo obiecto, ita vt nullo modo, vel non niſi valde difficulter poſſit ab eo obiecto dimoueri; poteſt autem eiuſmodi firmitas dupliciter contingere, primo ratione euidentiæ ipſius obiecti, ſiue veræ, ſiue ap-

pareu-

parentis, qua intellectus neceſſitatur ad aſſenſum, nec poteſt ſtante tali euidentia, niſi ratio fortior in contrarium occurrat, ab eo moueri, & talis certitudo non habet locum in fide, à qua abeſt euidentia. Secundo contingere poteſt, ratione affectus & imperij ipſius voluntatis fortiter, & conſtanter applicantis intellectum, vt veritatem illius aſſenſus, & obiecti formalis ſibi propoſiti vehementer apprehendat, atque ita toto conatu in aſſenſum feratur; & ſic contingit in aſſenſu fidei, eius certitudo, non eſt euidentiæ, ſed affectus & imperij voluntatis, applicantis intellectum. vbi obiter notandum, maiorem firmitatem adhæſionis per ſe, non arguere ſemper maiorem certitudinem aſſenſus, quia poteſt quis, opinioni falſæ firmiſſimè adhærere, licet non certiſſime, ob defectum ſecundæ conditionis ſupra aſſignatæ, nempe quia modus cognoſcendi obiectum non eſt infallibilis, eo quod reuelatione diuina, quæ eſt medium neceſſario connexum cum obiecto, non vtatur modo infallibili, qui eſt propoſitio Eccleſiæ, infallibiliter proponentis & applicantis iſtam reuelationem.

§. VI. Ex hactenus dictis, colligo, quod certitudo fidei conſiſtat in eo, quod ſit in ſe talis naturæ, vt ei repugnet omnino falſitas, etiam metaphiſice loquendo, ſiue, hæc certitudo conſiſtit in connexione infallibili actus cum obiecto: vnde bene ſequitur: eſt aſſenſus fidei diuinæ de tali obiecto; ergo tale obiectum ita eſt: quare aſſenſus fidei, in hac connexione, ſuperat alios actus naturales, & euidentes; ijs enim ex modo procedendi, & tendendi non repugnat ſaltem diuinitus falſitas. Actus autem fidei ex ſua perfectione petit ne vllo modo producatur, niſi obiectum ita exiſtat, ſicut per aſſenſum affirmatur: vbi iterum notandum, male explicari infallibilitatem fidei, per infallibilitatem & certitudinem obiecti formalis, nam in rigore ſermonis, certitudo & infallibilitas, non eſt proprie in obiecto, qua tali; ſiue materiale illud ſit, ſiue formale, quia certitudo & infallibilitas ſunt proprietates cognitionis, quod patet in reuelatione diuina, vt eſt obiectum mei aſſenſus (nam vt ipſa affirmat myſterium, vere eſt, per modum actus affirmantis & dicentis, idem dic de propoſitione infallibili Eccleſiæ.) illa autem reuelatio à parte rei exiſtit, & tamen poteſt terminare actum certum, dubium, fallibilem, vt patet in Hæreticis, & Orthodoxis, credentibus eidem reuelationi, licet diuerſo modo; nam neceſſitas, aut contingentia obiecti præſertim terminatiui, neque iuuat, neque impedit infallibilitatem, aut certitudinem cognitionis; Deus enim tam infallibiliter cogno-

gnoſcit obiecta maxime contingentia, quam ſuam propriam eſſentiam; & magis fallibiliter nos cognoſcimus multarum rerum definitiones, & naturas, quam contingentem exiſtentiam caloris. Quare repeto, quod certitudo, & infallibilitas actus conſiſtat in eo, quod ex ſua eſſentia, ſupponat obiectum in quod tendit, ita exiſtere, vt actus ille, non poſſit exiſtere, niſi obiectum exiſtat eo modo, quo actus dicit, quia hoc habet actus fidei reſpectu reuelationis, ideo eſt infallibilis, tam reſpectu reuelationis, quàm reſpectu obiecti materialis, nam reuelatio habet etiam neceſſariam connexionem cum obiecto, certitudinem item intrinſecam habet ex eodem capite; formalem vero ſeu adhæſiuam certitudinem, quæ ab intellectu tollit dubium, habet radicaliter ex motiuis, quibus homo prudenter ſibi perſuadet, locum eſſe actui illi infallibili; quia prior illa certitudo, nempe intrinſeca, non eſt clara, & euidens ipſi intellectui, ſed obſcura potius, homo non habet ſemper talem certitudinem, vt non poſſit eſſe locus dubitationi aliquando, vel vt non poſſit propoſitis aliquibus rationibus contrarijs, deijci ex illo aſſenſu, & amittere fidem, quod miſerabili tot Apoſtatarum & hæreticorum lapſu conſtat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid ſit infallibilitas Eccleſiæ, quotuplex proponens res fidei, & quomodo in hoc puncto conueniant diſcrepentque catholici, & reformati.

§. I. EX articulo præcedenti patet, infallibilitatem aſſenſus, conſiſtere in connexione infallibili actus cum obiecto; ita vt implicet dari aſſenſum fidei diuinæ de aliquo obiecto, quin hoc ipſo illud obiectum ita ſe habeat, ſicut per aſſenſum aſſeritur: conſtat vlterius, regulam fidei, vti eſt vniuerſalis credendi norma, reſpectu omnium fidelium & infidelium, eſſe Eccleſiæ proponentis authoritatem, qua myſteria reuelata credituris proponit; hanc igitur Regulam, ſeu authoritatem in loquendo, eſſe infallibilem, eſt eius affirmationem, loquelam, traditionem, & vocem, qua ipſum myſterium exponit proponitque ouibus, & credituris, eſſe infallibiliter connexam cum obiecto, ſeu myſterio propoſito, ita vt implicet talem Eccleſiæ loquentis propoſi-

tionem,

tionem, dictionem, ſeu traditionem, de aliquo obiecto credendo, exiſtere, quin hoc ipſo, obiectum per talem dictionem vel affirmationem aſſertum, vel expoſitum detur, & ſit prout dictio, vel affirmatio Eccleſiæ exponentis, vel proponentis aſſerit & teſtatur; adeo vt infallibilitas Regulæ fidei, ſeu Eccleſiæ loquentis, vel proponentis myſteria, conſiſtat, vt dixi, in connexione infallibili dictionis ipſius Eccleſiæ, cum re dicta, vel propoſita, ſic vt in proponendo & exponendo myſterio, nec decipiat, nec decipiatur, obtrudendo falſum pro vero, quoad myſteria credenda, vel approbando turpia, pro honeſtis, aut damnando honeſta, tanquam iniqua, quoad doctrinam morum, tunc enim propoſitio Eccleſiæ affirmans, ſeu proponens tanquam honeſtum, id quod reuera turpe eſt, aut tanquam iniquum, id quod à parte rei eſt honeſtum, aut tanquam verum quod in ſe falſum, aut tanquam falſum, quod eſt vtique verum, tunc enim illa propoſitio, vox, traditio, dictio, vel affirmatio nullo modo eſſet connexa cum re dicta, affirmata, vel propoſita, ſed maxime difformis illi. quod igitur in ſequentibus contendam probare, eſt, quod hæc fidei regula ſeu Eccleſiæ proponentis authoritas habeat neceſſario adiūctam infallibilitatem, ex ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia adhoc vt non erret in proponenda, exponenda, & applicanda doctrina reuelata fidelibus, & credituris, adeo vt eius expoſitio, propoſitio, dictio, ſeu affirmatio ſit infallibiliter connexa cum myſterio propoſito, expoſito, ſeu affirmato.

§. II. Hæc autem infallibilis authoritas poteſt conſiderari, iuxta duplicem ſubiecti, in quo reſidet, qualitatem, diſtinguendo duplicem proponentem, nempe remotum, & proximum, vt docui in mea Securi Euangelica, part. 2. diſt. 4. proximus proponens eſt Catechiſta, Doctor, Parochus, qui fidem ſuadent, & docent proxime & immediate; proponens remotus erit Regula ipſa fidei, nempe Eccleſiæ in Concilio œcumenico docentis, & definientis, vel eius capitis ex cathedra proponentis authoritas: inter hos duos proponentes, hoc intereſt, quod proximus proponens, nempe Parochus, vel concionator, non habeat ex ſe authoritatem, vt doctrinam ſuam infallibilem eſſe oſtendat, ſed neceſſe eſt, vt aliunde eam confirmet; in proponente autem remoto, debet ſupponi hæc authoritas, tanquam à Deo illi collata, & infallibili illius aſſiſtentia ſemper adiuta, & munita, adhoc vt fidelibus, & credituris, myſteria reuelata ſine errore, vel errandi periculo proponat: hinc rurſus poteſt infallibilis iſta autho-

thoritas, dupliciter intelligi, vno modo permanenter, ſeu per modum facultatis permanentis, alio modo actualiter, ſeu tranſeunter, quantum ad certitudinem illius doctrinæ, quam ſufficienter proponit, tanquam à Deo reuelatam, vel expoſitam, & definitam ab aliquo authoritatem habente. Vnde fatendum eſt, quod proximus proponens, non habeat infallibilitatem permanenter, & per modum habitus: nam myſteria propoſita à Parocho, vel Catechiſta, non habent authoritatem ab ipſo ſecundum ſe ſpectato: quare quoties eiuſmodi proximus proponens Concionator, vel Catechiſta, ſufficienter facit credibile myſterium propoſitum, vt inde oriatur obligatio credendi illud, tanquam quid reuelatum à Deo, requiritur vt eius dictio, & res dicta ſint infallibiliter connexa, ita vt non poſſit res dicta cenſeri infallibiliter vera, quin ipſe dicens credatur, non fallere, vel falli, in eo quod dicit: cum autem proximus proponens, non habeat huiuſmodi authoritatem, neque ex ſe, neque etiam ex infallibili aſſiſtentia Dei illi promiſſa, illam aliunde habere debet, nempe ab Eccleſia, per cuius authoritatem, tanquam per infallibilem credendi Regulam, fidem, quam proponit, confirmat, adeoque neceſſe eſt, vt præfatam infallibilem Regulam, applicet cum certitudine, & morali ſaltem euidentia.

§. III. In hoc ergo ſenſu, proponens proximus eſt infallibilis quidem, non permanenter, ſed tranſeunter, ſeu actualiter, idque quatenus ſuam authoritatem infallibilem accipit à regula, per quam infallibilem illam doctrinam confirmat, & à ſignis, ac motiuis v.g. miraculis, martyrijs, vnitate, Sanctitate, Catholiciſmo, ſeu diffuſione per orbem Eccleſiæ, ſucceſſione Apoſtolica doctrinæ, & paſtorum, quibus prædictam regulam credituro applicat; abſolutam autem neceſſitatem huius infallibilis regulæ, qua Prædicatores, Doctores, Catechiſtæ, Parochi doctrinam fidei, tanquam à Deo reuelatam probant, confirmant, & teſtificantur, in ſequentibus diſcutiam, & probabo; cum ſecluſa tali regula, impoſſibile ſit, quemquam ad fidem prudenter conuerti poſſe, aut ad credendum obligari. Licet autem reformati non agitent hanc difficultatem ſub his terminis, nihilominus adducunt pro canone ſcripturæ atteſtando, teſtimonium Eccleſiæ, quod idem eſt, ac quod conſtet nobis ſcripturam eſſe à Deo reuelatam, quia Eccleſia id teſtatur, hoc autem idem eſt, ac fidem, quam circa ſcripturæ canonem credendam, proponunt paſtores, confirmare per teſtimonium Eccleſiæ, tanquam per regulam, quam

fideles & credituri aſſentientes, eandem ſcripturam eſſe Dei verbum, in credendo ſequuntur. teſtimonium igitur Eccleſiæ de Bibliorum canone, tanquam articulo fidei credendo, allegat confeſſio Anglicana art. 6. Gallica art. 4. VVittenbergica tit. de Eccleſia. Auguſtana art. de poteſtate Eccleſiaſtica; & articulo variato de cultu Sanctorum. Heluetica prior cap. 2. Heluetica poſterior cap. 3. Scoticana prior art. 18. Belgica art. 5. Saxonica cap. de Eccleſia, Bohemica art. 1. Clarum eſt autem, quod allegare teſtimonium Eccleſiæ, pro ſcripturæ canone, aut alio myſterio authenticando, & teſtificando, ſit in hoc, recurrere ad eiuſdem Eccleſiæ authoritatem, tanquam ad regulam, quam crediturus, præfatum canonem eſſe Dei verbum, aut dictum myſterium eſſe à Deo reuelatum, in credendo ſequitur.

§. IV. Difficultas igitur in ſequentibus ventilanda eſt, an hæc regula, ſeu Eccleſiæ loquentis teſtimonium, & proponentis, authoritas, ſit in teſtando, & proponendo myſterio infallibilis, ita vt eiuſdem Eccleſiæ loquentis, vel definientis propoſitio, & definitio, ſit infallibiliter connexa, cum propoſitio myſterio? vbi poteſt hæc eadem infallibilitas conſiderari iterum dupliciter, nempe actiue, & paſſiue: infallibilitas actiua, ſe tenet ex parte Eccleſiæ proponentis, vel definientis, quatenus virtute Spiritus Sancti, & eius aſſiſtentia corroborata, in œcumenica ſynodo, vel in ſuo capite ex cathedra docens, nunquam falſum pro vero, vel iniquum pro iuſto, in definiendo credendum, vel obſeruandum obtrudet: paſſiua infallibilitas ſe tenet ex parte ouium, quatenus non ſigillatim, ſed collectiue ſumptæ, vi promiſſionum Chriſti, & ſimiliter perpetuæ Spiritus Sancti aſſiſtentiæ, falſum pro vero, nunquam poterunt acceptare; quod eſt idem, ac Eccleſiam in proponenda, vel credenda, obſeruandaque fidei, aut morum doctrina, nunquam errare poſſe. Dixi oues non ſigillatim, ſed collectiue ſumptas errare non poſſe, in acceptanda doctrina fidei; nam oues ſeorſim ſumptæ, errare vtique poſſunt, & ſæpiſſime errant, inciduntque in hæreſes, vt patet de Luthero, Caluino, & alijs hæreſiarchis, & Apoſtatis, nunquam tamen tota ouium collectio, à fide deficere poteſt; priuilegium enim infallibilitatis paſſiuæ, non ſingulis ſeorſim, ſed toti Collectioni ouium conceſſum eſt, Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*; quod de Collectione, non de ſingulis ſeorſim membris intelligendum eſt.

§. V. Hinc concedimus vltro, Confeſſioni Anglicæ art. 20.

Eccleſiam ſub præfata Spiritus Sancti aſſiſtentia, *non ſolum non debere, ſed nec poſſe quidquam definire contra verbum Dei ſcriptum*, vt loquar ad palatum ipſius; neque ſic exponere vnum ſcripturæ locum, vt talis expoſitio ſit contraria alteri ſcripturæ loco. Item confeſſioni VVittenbergicæ tit. de Eccleſia, quod *authoritas Eccleſiæ non ſic intelligatur, vt habeat liberam poteſtatem quiduis ſtatuendi ſiue bonum, ſiue malum; mutandi ſcripturam, aut fingendi nouam doctrinam fidei*; confeſſioni Auguſtanæ articulo de poteſtate Eccleſiaſtica, quod *Paſtores Eccleſiæ non habeant poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Euangelium*: confeſſioni Gallicæ art. 28. *quod vbi verbum Dei non recipitur, & nullus eſt vſus Sacramentorum, ibi non ſit vera Eccleſia*. id ipſum concedimus alijs confeſſionibus, nempe nunquam Eccleſiam in definiendo debere recedere à verbo Dei, aut contra illud quidquam ſtatuere; nam admiſſa ſemel infallibili Eccleſiæ definientis, & proponentis authoritate, habita ex infallibili aſſiſtentia Chriſti, & Spiritus Sancti, ab ipſo Chriſto promiſſa, vti implicat eam errare, ita eam repugnat verbo Dei aduerſari, aut fallere; nam actu falli, & eſſe infallibilem, implicat in terminis; cum enim omnis error in fide, ſit ſemper alicui veritati reuelatæ contrarius, impoſſibile eſt, quod infallibilis propoſitio eiuſdem Eccleſiæ, errorem in proponendo contineat: illam enim in rebus fidei eſſe infallibilem, eſt eam non errare in fide, & in hac fide non errare, eſt nunquam à verbo Dei recedere, aut contra illud quidquam decernere. Hanc igitur Eccleſiæ infallibilitatem nunc probare aggredior, quare ſit.

SECTIO SECVNDA.

Perpetuam infallibilitatem Regulæ fidei, ſeu Eccleſiæ proponentis, agnoſcunt confeſſiones Religionis prætentæ reformatæ.

Quia Religio reformata, non niſi ex pugnantibus terminis, & principijs componitur, alterum contradictionis extremum, contra reformatos, in prima parte retorſi; alterum in præſentis difficultatis probationem, ad eos conuincendos, adduco, nempe viſibilem Chriſti Eccleſiam fuiſſe perpetuo infallibilem, & vti talem, ante nouum hoc prætentæ reformationis monſtrum, indefecti-

fectibiliter exſtitiſſe; negarunt, vt vidimus in præfata parte, reformati, omnem viſibilis Eccleſiæ infallibilitatem, quo ſuum ſchiſma palliarent, nunc palinodiam canunt, & rurſus incauti, eandem iterum infallibilitatem, alio per obliuionem abrepti, in pleriſque ſuis confeſſionibus admittunt, ex quibus, ſua in ipſos tela depromam, alia poſt argumenta, pro eadem infallibilitate, ex ipſius Religionis Chriſtianæ principijs, producturus. Sit igitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex VVittenbergicæ, Heluetica vtriuſque, & Auguſtanæ confeſſionis Articulis, probatur perpetua & infallibilis Eccleſiæ proponentis authoritas.

§. I. INde exordium duco, vbi Lutherus male auſpicatæ reformationis ſemina, malis auibus iecit, & iniquitatis ſuæ tela, in veram Chriſti Eccleſiam, irrito licet conatu eiaculari cæpit, incipio, inquam, à VVittenbergica confeſſione, VVittenbergæ, iuſſu ducis Saxoniæ, per Brentium cuſa, hæc ergo tit. de Eccleſia, *credimus* inquit, *& confitemur, quod vna ſit ſancta, catholica, & apoſtolica Eccleſia, iuxta ſymbolum Apoſtolorum, & Nicenum; quod hæc Eccleſia à Spiritu Sancto, ita gubernetur, vt & ſi ſinat eam eſſe in terris imbecillem, conſeruet tamen eam perpetuo, ne erret, vel erroribus, vel peccatis pereat; quod huic Eccleſiæ multi mali, & hypocritæ admixti ſint; quod in hac Eccleſia ſit vera peccatorum remiſſio, quod hæc Eccleſia habeat ius iudicandi de omnibus doctrinis, iuxta illud:* probate Spiritus ſi ex Deo ſint, & cæteri dijudicent; *quod hæc Eccleſia habeat ius interpretandæ ſcripturæ &c.* hactenus VVittenbergica; expendo ſingula; fatetur Eccleſiam eſſe *vnam*, vna autem eſt ab vnitate fidei, conſenſu credentium, & vniformitate, hæc autem vniformitas eſſet impoſſibilis, vt poſtea videbimus, niſi daretur ſuprema & infallibilis authoritas in Eccleſia, quæ iſtam vnitatem conſeruaret, regeret, & foueret: fatetur *Sanctam*, ſed Sancta non poſſet eſſe, ſi erroribus, hæreſi, vel alia ſimili infidelitate fœdaretur. Sanctitas enim doctrinæ, errorum ſpurcitias excludit, hanc autem ſanctitatem doctrinæ, Eccleſia nunquam ſeruare poſſet, niſi infallibili polleret authoritate, qua fit vt in exponenda, & proponenda Sacra doctrina, nec decipi poſſit, nec decipere, nec

impo

impoſturis ſeduci. *Catholicam* ſimiliter Eccleſiam agnoſcit; id eſt perpetuo durantem à morte Chriſti, & per orbem vel ſimul, vel ſucceſſiue vniformiter diffuſam, perpetuo autem durare non poſſet, nec vniformiter diffundi, niſi perpetuo infallibilitatis priuilegio gauderet, ne fidem amitteret, aut contrarios ſibi inuicem articulos in locis, per quæ extenditur, crederet. *Apoſtolicam* etiam aſſerit, id eſt, ab Apoſtolis poſt Chriſtum fundatam, & propagatam, atque Apoſtolicæ doctrinæ conſtanter, & inuiolabiliter innitentem; ſed non inniteretur conſtanter, inuiolabiliter huic doctrinæ, niſi per infallibilitatis priuilegium, ſine erroris periculo perſiſteret in eadem illa doctrina, quam Apoſtoli tradiderunt, ſi enim ſemel deficeret ab hac doctrina, non eſſet vtique conſtanter Apoſtolica; ſi igitur Eccleſia Chriſti fuit ſemper Apoſtolica; nunquam ab Apoſtolorum doctrina receſſit.

§. II. Fatetur hoc ipſum in ſequentibus verbis, ait enim, *quod hac Eccleſia à Spiritu Sancto ita gubernetur, vt & ſi ſinat, eam eſſe in his terris imbecillem, conſeruet tamen eam perpetuo* (nota bene) *ne erret, vel erroribus, vel peccatis pereat*: habet ergo Eccleſia, aſſiſtentiam Spiritus Sancti, idque perpetuo, vt verum proinde ſit, Eccleſiam in ſuis definitionibus, & proponenda doctrina credenda, per iſtam Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ita gubernari & dirigi, vt nec errores, nec peccata, vel infidelitatis, vel impoſturæ, vel falſitatis admittat; quod ſi iſta admitteret, iam vtique, peccatis & erroribus periret, ſed inquit iſta confeſſio, *ita gubernatur à Spiritu Sancto, vt conſeruet eam*, non quandoque, non per interpoſitas moras; ſed *perpetuo*, ne vnquam vtique *peccatis vel erroribus pereat*, perpetuo autem conſeruat, inquit, ergo nunquam perit. Si nunquam perit erroribus, nunquam errat. Si nunquam errat, vtique eſt infallibilis perpetuo; nunquam enim erroribus perire, eſt perpetuo eam eſſe infallibilem, ſi enim ſemel erraret, vtique Spiritus Sanctus, eam perpetuo non conſeruaret, ne erroribus periret, ſed perpetuo conſeruat, ergo perpetuo eſt infallibilis, ne vnquam errores, per quos periret, admittat; eſt igitur infallibilis Eccleſia, ita vt quidquid viſum ſit illi in rebus fidei definiendis, vel proponendis, id ipſum videatur Spiritui Sancto, ſeu ab ipſo ratificetur, & approbetur, qui eam regit; impoſſibile autem eſt, quod Spiritus Sanctus regat Eccleſiam errantem, quis enim dicet, errantem nunc Iudæorum ſynagogam, delirantem Mahometanorum colluuiem in ſuis erroribus & blaſphemijs, regi à Spiritu Sancto? abſit hoc cogitare. Gubernat ergo Eccleſiam non erran-

errantem, ſed recte credentem, & docentem, adeoque eam perpetuo conſeruat: ad quid? *ne peccatis vel erroribus pereat.* Ergo ſub iſta conſeruatione nunquam errauit, fuit igitur à morte Chriſti, & huc vſque eſt, eritque perpetuo infallibilis.

§. III. Ad quid autem perpetua iſta infallibilitas prodeſt? ad multa vtique, ex eadem confeſſione, nam in primis in Eccleſia Chriſti datur, inquit, *vera remiſſio peccatorum*, iſta vero eſſe non poteſt, niſi detur in Eccleſia, vera, & certa notitia de applicanda authoritate remittendi, de diſcrimine, qualitate, grauitate, ſpecie peccatorum, de medijs pro iſta remiſſione obtinenda, neceſſarijs. habet item Eccleſia, *ius teſtificandi de ſacra ſcriptura*, hæc autem eſt myſterium fidei, & obiectum credendum, fides vero exigit infallibilem certitudinem; ergo vt fideles ſint infallibiliter certi, quænam ſit ſcriptura vera, Eccleſia debet infallibiliter teſtificari, quis ſit legitimus ſcripturæ canon? quæ genuina verſio? quis verus ſenſus in locis controuerſis? habet etiam, inquit, *Eccleſia ius iudicandi de omnibus doctrinis*, magnum, venerabile, & amplum eſt illud ius, *Iudicandi omnes omnino doctrinas*, iudicium itaque tam venerabile ad hoc, vt obliget, requirit in iudice ſapientiam in iudicando & diſcernendo, ne fallatur, & bonitatem ne velit fallere, alias nunquam recte iudicabit; vt autem fideles hanc & non illam doctrinam, ſibi ab Eccleſia propoſitam, ſequantur, debent eſſe certi, hanc quam amplectuntur, eſſe à Deo reuelatam, adeoque veram, alteram vero ab Eccleſia reiectam, non eſſe reuelatam, ſed confictam ab homine, adeoque falſam, non poſſunt vero fideles ſic eſſe certi, niſi Eccleſia in iudicando ſit infallibilis, vt infallibiliter, ac ſine errandi periculo, vel actuali errore, diſcernat legitimam doctrinam à ſpuria. denique inquit, *habet Eccleſia ius interpretandæ ſcripturæ*; ſed variæ ſunt ſcripturæ interpretationes, aliæ Orthodoxæ, aliæ Heterodoxæ & malæ; malas dant expoſitiones in locis cum Chriſtianis controuerſis, Iudæorum Rabbini; malas item in articulis controuerſis dedere ſemper hæreſiarchæ, & eorum ſequaces, in ſuam ipſorum perniciem; debet igitur Eccleſia habens ius interpretandæ ſcripturæ, veras expoſitiones à falſis ſecernere, eaſque fidelibus, & creditiuis proponere; huiuſmodi autem dare non poteſt, niſi infallibili authoritate potiatur, qua infallibiliter veras declarationes à falſis diſcernat; cum itaque habeat Eccleſia ius interpretandæ ſcripturæ, iudicandi de omnibus doctrinis, teſtandi de ſcripturis, vt certo & ſecure teſtetur, iudicet, interpretetur; neceſſe eſt vt ſit

infal-

infallibilis ne erronee, falſo, & male in prædictis munijs, totius humani generis ſalutem, tam ſerio concernentibus, procedat. ſubſiſtat igitur palinodia iſta laudabilis VVittenbergicæ confeſſionis agnoſcentis ſemper extitiſſe, exſtare, & exſtituram vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quæ ita gubernatur à Spiritu Sancto, vt perpetuo eam conſeruet ne peccatis, vel erroribus pereat, adeoque nunquam perijt, nec reformatione in doctrina credenda eguit; & hoc ipſo, quo reformati vocant ſuam Synagogam religionem reformatam, non eſt vtique illa vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, perpetuo à Spiritu Sancto conſeruata, ſed falſa, erronea, & Apoſtatica.

§. IV. Adſtipulatur eidem veritati Heluetica prior confeſſio cap. 17. *quando Deus ab initio ſaluos voluit fieri homines, & ad agnitionem veritatis venire, oportet omnino ſemper fuiſſe, nunc eſſe, & ad finem vſque ſæculi Eccleſiam, id eſt, è mundo euocatum & collectum cætum fidelium, Sanctorum inquam omnium communionem, eorum videlicet qui Deum verum in Chriſto ſeruatore, per verbum, & Spiritum Sanctum, agnoſcunt & rite colunt. Sunt illi omnes vnius Ciuitatis Ciues, viuentes ſub eodem Domino, ſub ijſdem legibus, in eadem omnium bonorum participatione, de quibus intelligendus eſt ſymboli articulus, Credo vnam, Sanctam, Eccleſiam, Catholicam, & cum vnus ſit Deus, vnus mediator Dei, & hominum Ieſus Meſſias, vnus Spiritus, vna ſalus, vna fides neceſſario conſequitur, vnam duntaxat eſſe Eccleſiam, quam Catholicam nuncupamus, quod ſit vniuerſalis & diffundatur per omnes mundi partes, & ad omnia ſe tempora extendat.* Hactenus prior, ſuccedit Heluetica poſterior, art. 14. *ex talibus autem lapidibus ſuper viuam hanc petram, inædificatis Eccleſiam conſtrui, & ſanctam ſanctorum collectionem, Sponſam Chriſti, quam ſuo ſanguine ablutam patri aliquando ſiſtet, immaculatam tenemus.* Hæc ex iſtis confeſſionibus, de Eccleſia Chriſti, quam ſi ideo fundauit, vt homines ſaluarentur, & ad agnitionem veritatis venirent, adeoque cum Deus ſemper velit omni æuo, ſæculo, luſtro, homines ſaluos fieri, merito fatetur iſta confeſſio, veritate ſic cogente, quod Eccleſia ad hunc ipſum finem, debuerit ſemper fuiſſe, nunc eſſe, & ad finem vſque durare, ſed hoc eſt ſemper, nunc & pro futuro, Eccleſiam gaudere infallibilitatis priuilegio, alias quomodo homines per eam venirent ad agnitionem veritatis? ſi enim erraret docendo, non ad veritatis, ſed ad falſitatis agnitionem perduceret; non eſſet cætus fidelium, vel ſanctorum communio, ſed infidelium, impiorum congregatio; nec Deum verum, in Chriſto ſeruatore, per

ſpiri-

Spiritum Sanctum agnoſceret, aut rite coleret, ſed potius, ſicut aliorum impiorum cætus, Deum offenderet, & blaſphemaret, cætus item ille non viueret, ſub eodem Domino, in eadem omnium bonorum participatione, ſed potius in malorum errorum communione, non eſſet vna illa, ſancta, & catholica Eccleſia, de qua ſymbolum, non eſſet vniuerſalis, ſeu non extenderetur per omnia tempora, ſi ſemel à fide vera deficeret.

§. V. Non eſſet Sponſa Chriſti, vt vult Heluetica poſterior, ſed potius adultera, non eſſet Immaculata, ſi næuos erroris, infidelitatis, & impoſturarum contraheret, quomodo enim poſſet infidelis, hæretica, Apoſtatica congregatio, ſeu Eccleſia dici Sponſa Chriſti? vti igitur de ratione veræ Eccleſiæ eſt, vt ſemper ſit Sponſa Chriſti, ei vinculo fidei indiſſolubiliter copulata, ita etiam debet eſſe Immaculata, non habens rugas, vel maculas errorum; vt ergo vera dicat vtraque illa confeſſio, hoc eſt, vt Eccleſia credatur ſemper fuiſſe, nunc eſſe, & vſque ad finem ſemper fore; item vt per eam homines ſemper potuerint, & poſſint ad agnitionem veritatis venire, vt ſit cætus fidelium, ritè agnoſcentium, & colentium Deum, vt viuat ſub vno eodemque domino, in Seruatore Chriſto, non autem ſub diabolo ſeductore, vt ſit continuo vna, ſancta, catholica, ſicut vnus eſt Deus, vnus mediator Dei, & hominum, vna fides, vna ſalus, vt ſit Sponſa Chriſti Immaculata, oportet concedere, quod nunquam errauerit, nec errare poſſit, Spiritus Sancti aſſiſtentia perpetuo protecta, ne in proponenda doctrina reuelata fallat, aut fallatur, vel à vera doctrina vnquam deflectat, vel deficiat; alias nihil ex dictis in vtraque iſta confeſſione ei conueniret, ſed potius eſſet Synagoga Satanæ, vt autem prædicta ſemper verificentur, de Eccleſia Chriſti, quæ vna eſt, fateantur neceſſe eſt profeſſores dictarum confeſſionum, eandem Eccleſiam perpetuo fuiſſe, eſſe, & fore infallibilem, adeoque ante ſpuriam iſtam reformationem, verè à morte Chriſti ſemper extitiſſe incorruptam, & ab erroris næuo immunem.

§. VI. Claudat hic agmen confeſſio Auguſtana art. 7. inquiens, *docent* (ſcilicet reformati) *quod vna Sancta Eccleſia perpetuo manſura ſit, eſt autem Eccleſia congregatio ſanctorum, in qua Euangelium pure docetur, & recte adminiſtrantur Sacramenta, & ad veram Eccleſiæ vnitatem, ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum*, & eodem articulo variato inquit *docent quod vna Sancta Eccleſia perpetuo manſura ſit, eſt autem Eccleſia Chriſti*

pro-

proprie, congregatio membrorum Chriſti, hoc eſt ſanctorum, qui verè credunt & obediunt Chriſto. & ſi in hac vita multi mali, & hypocritæ admixti ſint, *vſque ad nouiſſimum diem*. Hanc addit ampliationem, ne articulus cenſeatur intelligi de ſola prædeſtinatorum Eccleſia mortalibus ignota, nunc ſic, vera Chriſti Eccleſia ſecundum hanc confeſſionem eſt eorum hominum congregatio, in qua Euangelium pure prædicatur, ſeu fides & doctrina Chriſti pure proponitur, ſed hanc doctrinam pure doceri, pure proponi, eſt eam ſine errore, ſine impoſturis doceri, & proponi: repugnat enim in terminis, doctrinam Chriſti, cum errore proponi, & adhuc tamen pure doceri, nam pura prædicatio excludit impuritatem errorum. Item ea eſt vera Chriſti Eccleſia, in qua Sacramenta recte adminiſtrantur, ſed ſi in adminiſtratione Sacramentorum, admitteretur falſitas, ſuperſtitio, vel ſubſtantialis mutatio, non recte adminiſtrarentur, adeoque implicat, eam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua nec Sacramenta recte adminiſtrantur, nec Euangelium ſeu doctrina Chriſti pure prædicatur, vt igitur iſta rite fiant debet abeſſe erroris falſitas.

§. VII. Rurſus ea eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ eſt vna; eſſe autem vnam, ſecundum iſtam confeſſionem, eſt conſentire de doctrina euangelij, & adminiſtratione Sacramentorum, igitur recolligendo ſingula, ad veram Chriſti Eccleſiam requiruntur tria iſta, nempe vnitas, pura prædicatio, ſeu ſana, & Immaculata doctrina, recta Sacramentorum adminiſtratio, ſcilicet ſine corruptione ſubſtantiali, variatione, vel ſuperſtitione, aut diminutione; hæc autem pertinent ad integritatem Eccleſiæ; ſed Eccleſia his qualitatibus affecta perpetuo manet, ex ſupra citato articulo: tum ſic, perpetuo manere, eſt ſine errore in fide Chriſti perſiſtere, ſed ex dictis Eccleſia Chriſti perpetuo manet; & conſequenter hæc Eccleſia in fide Chriſti perpetuo & ſemper ſine errore perſiſtit, eam enim eſſe veram Chriſti Eccleſiam eſt in illa haberi puram prædicationem doctrinæ Euangelicæ, rectam adminiſtrationem Sacramentorum, vnitatem ſeu conſenſum in fide, & perpetuo manere, eſt eam perſeuerare in ratione veræ Chriſti Eccleſiæ, in hac autem ratione perſeuerare, eſt prædicta illa tria, in Eccleſia ſemper exiſtere; ſubſumo ſed impoſſibile eſt, illa tria ſana, ſalua, & integra perſiſtere, & quod ſimul Eccleſia erret in doctrina fidei: ſicut enim implicat, eum qui errat, pure proponere, declarare, & exponere doctrinam Euangelicam; ita ſimiliter repugnat, eum qui purè prædicat, & proponit doctri-

nam Euangelij, ſimul errare; nam ſi errat, non pure docet, & ſi pure docet, non errat: atque adeo Eccleſiam perpetuo manere; eſt eam obſeruare perpetuo illa tria inuiolate & integre; hoc autem eſt eam eſſe perpetuo infallibilem, cum perpetuo pure doceat, recte adminiſtret Sacramenta, & conſentiat in hac doctrina, & adminiſtratione: quod eſt perpetuo & infallibiliter profiteri, colere, & docere fidem Chriſti, qui vt eadem confeſſio de Incarnatione Verbi dicit, *aſcendit ad Cælos, vt ſedeat ad dexteram patris, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in eorum corda Spiritu Sancto, qui conſoletur & viuificet eos, ac defendat aduerſus diabolum, & vim peccati*. Habet ergo Eccleſia perpetuo manens aſſiſtentiam Spiritus Sancti, vt memorata illa tria perpetuo obſeruet, & ſub iſta aſſiſtentia, ſemper durauit indefectibilis in fide, in pura prædicatione doctrinæ credendæ, in recta adminiſtratione Sacramentorũ, in conſenſu & vnitate fidei, defenſa à Spiritu Sancto aduerſus diabolum, & portas inferi, quæ conſequenter nunquam, iuxta promiſſionem Chriſti, aduerſus eam præualuerunt, vt reformatione indigeret, quare prætenta reformatio, eſt mera deformatio, & a vera Eccleſia manifeſta ſeceſſio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Eandem Eccleſiæ proponentis & docentis infallibilitatem, agnoſcit confeſſio Baſileenſis, Argentinenſis, Saxonica, Bohemica, Palatina.

§. I. IGitur Argentinenſis cap. 13. *Eccleſia* inquit, *eſt eorum Societas, qui Chriſto nomen dederunt, fideique eius ſe totos commiſerunt, quibus permixti ſunt, qui fidem Chriſti ſimulant; item Eccleſia ſponſa Chriſti prædicatur, Domus Dei, columna & ſtabilimentum veritatis, mons Sion, Ciuitas Dei viuentis, Ieruſalem Cæleſtis, Eccleſia primogenitorum, qui conſcripti ſunt in Cælis, hæ laudes ijs tantum competunt, qui quod ſolide in Chriſtum credunt, vere locum inter filios Dei nacti ſunt, in his eum vere regnet ſaluator, proprie eius Eccleſia, & ſanctorum ſocietas nominatur vt in ſymbolo Apoſtolorum expoſitum eſt: hanc regit Spiritus Sanctus*, (nota bene) *huic Chriſtus nunquam abeſt*, (nota etiam bene) *ſed ſanctificat, vt eam ſibi tandem exhibeat, non habentem maculam, aut rugam*. Hæc illa confeſſio, quæ retractato

iam

iam ſtylo, aperte fatetur perpetuam Eccleſiæ proponentis, & docentis infallibilitatem; adeoque falſum eſſe illud reformatorum commentum, veram Chriſti Eccleſiam defeciſſe: ea enim eſt vera Chriſti Eccleſia, ſi prædictis credimus; quæ eſt eorum ſocietas, qui Chriſti doctrinam profitentur, ſummi nomen dantes, ſeſeque eius fidei totos committentes, quod eſt ipſius fidem colere, & ſequi; quibus non obſunt mali illis permixti: hæc ipſa Eccleſia, eſt Sponſa Chriſti; eſt igitur per fidem, charitatem, ſpem, cæteraſque virtutes Chriſto deſponſata, quod ſi ſemel hanc fidem deſereret, vtique tunc Sponſa Chriſti non eſſet, vti nec fuit Arianorum, Manichæorum, vel ſimilium hæreticorum ſecta, & ſeducta progenies, neque item domus Dei eſſet, in qua Dei vera Religio, quam nouiſſime diebus iſtis locutus in filio, nobis tradidit, non coleretur; multo minus foret columna, & ſtabilimentum veritatis, ea hominum ſocietas, in qua falſitas, error, impoſtura, veræ fidei contraria regnarent.

§. II. Non eſſet item mons Sion, ſi inferorum machinis concuteretur; non ciuitas Dei viuentis, cuius incolæ omnes eſſent, vel apoſtatæ, vel impoſtores, non Ieruſalem Cæleſtis, non Eccleſia primogenitorum, quæ diabolicis illuſionibus ſeducta, facta eſſet ſpelunca latronum. Eccleſia itaque eſt eorum ſocietas, in quibus regnat ſaluator, ſane vbi tam ſanctus dominatur, ſanctiſſimum ſit regnum, neceſſe eſt: *hanc eandem*, inquit, *Regit Spiritus Sanctus*; quid ergo ſub tam Sancto rectore errabit Eccleſia? implicat ſane militantem, & ambulantem in terris, ſub tanto duce, Eccleſiam à recto itinere deflectere, cum non niſi ipſius ductu, luce, directione incedat; ſed impoſſibile eſt errare hunc ducem in dirigendo, ergo impoſſibile eſt Eccleſiam, quæ per hunc ſpiritum, in ſuis greſſibus dirigitur, à recta via deuiare: & præſertim quia, vt ait eadem iſta confeſſio, huic Eccleſiæ, nunquam abeſt Chriſtus, ſed ſanctificat, vt eam ſine macula ſibi exhibeat, ſi nunquam abeſt, nunquam illa errat, ſi erraret, ſeu apoſtataret, iam abeſſet Chriſtus, quid? adeſſetne Eccleſiæ Apoſtatanti, & diabolicis mendacijs adhærenti? abſit: adeſt igitur perpetuo Eccleſiæ Chriſtus, qui nunquam ei abeſt; ſi nunquam abeſt, illa ſine errore in fide ſemper perſiſtit. Cum itaque Eccleſia ſit Sponſa Chriſti, Domus Dei, columna, & ſtabilimentum veritatis, eam regat Spiritus Sanctus, ab ea nunquam abſit Chriſtus, illa vtique perpetuo in profitenda, & proponenda fide Chriſti eſt infallibilis, adeoque nunquam ab hac fide deficit.

§. III. Id ipſum teſtatur Saxonica confeſſio cap. de Eccleſia. *Deus ſemper in genere humano, cætum eſſe voluit, cui tradidit doctrinam de filio, in quo filius inſtituit, & conſeruauit miniſterium cuſtodiendæ, & propagandæ eius doctrinæ, non igitur de Eccleſia, tanquam de Idæa Platonica loquimur; ſed Eccleſiam monſtramus, quæ conſpici, & exaudiri poſſit. Dicimus igitur Eccleſiam viſibilem, in hac vita, cætum eſſe amplectentium Euangelium Chriſti, & recte vtentium Sacramentis, in quo tamen cætu, multi ſunt non Sancti, ſed de vera doctrina conſentientes*. Hactenus Saxonica: ſi ſemper voluit Deus eſſe cætum, in humano genere, cui tradidit doctrinam de filio; vtique cætus ille, cui iſta doctrina tradita eſt, perpetuo durauit]; cur enim ſemper voluit eſſe cætum iſtum? reſpondet, quia in eo filius inſtituit, & conſeruauit miniſterium cuſtodiendæ, & propagandæ eiuſdem doctrinæ:debuit igitur exſtare ille cætus, & merito quidem, tum ad cuſtodiendam, tum ad propagandam doctrinam: quam quæſo doctrinam? eam ſcilicet, quam Deus ipſe tradidit Eccleſiæ, de filio ſuo, hic ergo cætus debuit eſſe ſemper, in humano genere, vt iſta doctrina ei proponeretur, ſed vt hæc ipſa doctrina caſte, integre, ſincere, veraciter traderetur, & proponeretur, neceſſarium vtique fuit, & eſt,perpetuum infallibilitatis priuilegium, ne in illa proponenda erraret Eccleſia, ne pro doctrina, quam tradidit Deus, prædicaret doctrinas dæmonum, ne pro vero falſum, pro legitimo ſpurium doceret; habet itaque Eccleſia miniſterium cuſtodiendæ, & propagandæ doctrinæ: igitur habet infallibilem authoritatem, ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, ne deficiat in cuſtodia, & propagatione veræ fidei, ne aliud, quam Euangelica dogmata amplectatur. Hæc ipſa Eccleſia, *eſt conſpicua*, inquit, & viſibilis, vt audiri poſſit, ſed niſi haberet priuilegium non errandi, ſane non mereretur, præ cæteris hominum cætibus, audiri; ſed audiri debet Eccleſia; ergo habet prædictum priuilegium, adhoc vt ſecure & ſine erroris periculo audiatur.

§. IV. Affirmat idem Baſileenſis prior art. 5. *credimus, Sanctam Chriſtianam Eccleſiam; id eſt communionem Sanctorum, congregationem fidelium in ſpiritu, quæ ſancta & ſponſa Chriſti eſt, in qua omnes illi Ciues ſunt, qui vere confitentur Ieſum eſſe Chriſtum, agnum Dei tollentem peccata mundi, atque eandem fidem, per opera Charitatis demonſtrant; Chriſti Eccleſia omnem operam impendit, vt vincula pacis, & dilectionis in veritate tueatur*. Quamquam iſta confeſſio non recenſeat veras illas notas, quas aſſignat ſymbolum Apoſtolorum,

&

& Nicænum, quaſque pleræque reformatæ confeſſiones admittunt, in his ipſis tamen errorum tenebris, quibus inuoluitur eadem confeſſio, aliquid pro Eccleſiæ infallibilitate habemus. hoc enim ipſo, quod admittat Eccleſiam eſſe ſanctam, ſane debet eſſe immunis, & libera ab eorum impietate, quomodo enim illa eſſet Sancta Eccleſia, ſi ſcateret erroribus? quomodo vere Chriſtiana, ſi Chriſtianam fidem integram, inuiolatamque non ſeruaret, & ſeruandam proponeret? quomodo eſſet fidelium congregatio in ſpiritu, ſi infidelitatis circumuentione eſſet ſeducta? quomodo rurſus Sancta, & Sponſa Chriſti, ſi adulteraret in fide? ſi in ea regnaret perfidia? ſi dominaretur blaſphemia? quomodo vnam eandemque fidem, per opera charitatis demonſtraret, ſi eius membra eſſent paruuli fluctuantes, & circumferentur omni vento doctrinæ? quomodo denique hæc ipſa Eccleſia, omnem operam impenderet, vt vincula pacis, & dilectionis in vnitate tueretur, niſi infallibili, & ſuprema polleret authoritate, ad impedienda ſchiſmata, ad ſopiendas hæreſes, ad expugnandos errores, ad decidendas controuerſias, ad declaranda myſteria, & proponenda fidelibus arcana reuelata? cum itaque Eccleſia ſit ſancta, ſit congregatio fidelium vere confitentium Chriſtum, eandem fidem demonſtrantium, ſponſa Chriſti, omnem impendens operam, vt vincula pacis tueatur, neceſſe eſt vt ſemper ſit infallibilis, ne vnquam has prærogatiuas amittat.

§. V. Sequitur Bohemica art. 8. *credere oportet Sanctam Eccleſiam catholicam, vbicumque Chriſtus prædicatur, & ſuſcipitur, vbicumque verbum, & Sacramenta eius ſunt, & ex illius præſcripto diſpenſantur ſuſcipiunturque; ibi Eccleſia ſancta, & ſocietas Chriſtiana eſt, ac Dei populus, quiſquis in hac Eccleſia, vnitatem Spiritus Chriſti tenet, & in vinculo pacis ſectas deuitando, verum eſt membrum Eccleſiæ docent in Eccleſia eſſe hypocritas, & impios;* repeto, & ſubſumo dicta, ſed Eccleſia non poſſet eſſe ſancta, niſi doctrinam Chriſti pure & ſincere profiteretur, non poſſet eſſe Catholica, hoc eſt eius fides, non eſſet diffuſa per omnia tempora, & loca, niſi vniformiter, vno eodemque conſenſu, ſemper & in omni loco, ab eius profeſſoribus coleretur, ſi enim ſemel hæc fides, à ſua puritate, & integritate deficere in veris Chriſtianis, certe non eſſet catholica, ſeu diffuſa per omnia tempora; nam aliquo tempore fidem deficere, & per omnia tempora, eandem fidem durare; ſeu diffundi, eſt contradictio; ſi ergo per omnia tempora diffunditur, nullo vnquam tempore defecit, vel deficiet rurſus ſi per omnia

loca extenditur, ſane debet dari certa illa, & infallibilis norma, quæ fidem ſic extenſam, vniformiter in credentibus dirigat. Item ſi ea eſt vera Eccleſia, in qua Chriſtus prædicatur, & ſuſcipitur, in qua verbum, & Sacramenta ex eius præſcripto diſpenſantur, ſuſcipiunturque, certe debet eſſe in illa, poteſtas ab erroris periculo immunis, vt illa Sacramenta, & verbum recte, & ex præſcripto Chriſti diſpenſet. Si enim Eccleſiæ deeſſet, iſta infallibilis authoritas, nemo poſſet eſſe certus de recta, & legitima verbi, vel Sacramentorum diſpenſatione: item ſi eſſet erroribus, & impoſturis obnoxia, non eſſet Dei populus, niſi per blaſphemiam dicatur Deus, & Belial in eadem Eccleſia Regnare, quod membra diaboli ſint etiam filij Dei, ſi denique membra Eccleſiæ debent ſeruare vinculum pacis, & ſectas deuitare, debet Eccleſia habere facultatem, & priuilegium non errandi, vt vnitatem illam fidei, & ſpiritus in vinculo pacis, in ſuis ouibus conſeruet; quod etiam fatetur confeſſio palatina, credens Eccleſiam, *eſſe cœtum per Spiritum Sanctum, electum ad vitam æternam in vnitatem fidei à Deo collectum, ab initio & in finem colligendum*; & licet ibi taceat, quod cæteræ confeſſiones fatentur, nempe in Eccleſia malos eſſe bonis permixtos; hoc tamen habemus, quod Eccleſia debeat profiteri vnam, & eandem fidem, quod hæc Eccleſia ab initio, & vſque in finem duret, quod oſtendit eam perpetuo infallibilitatis priuilegio gaudere, ad veram fidem, ſemper ſeruandam, & docendam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Eandem Eccleſiæ docentis infallibilitatem, fatentur Belgicæ, Gallicæ, Scoticæ, Anglicæ reformationis principia.

BElgica ergo confeſſio art. 27. *Credimus*, inquit, *& confitemur vnicam Eccleſiam Catholicam, ſeu vniuerſalem, quæ eſt congregatio ſancta, ſeu cœtus omnium verè fidelium, qui ſalutem ſuam in Chriſto expectant, ſanguine eius abluti, & per ſpiritum eius ſanctificati, atque obſignati: hæc porro Eccleſia ab initio mundi fuit, & vſque ad finem mundi perdurabit, vt ex eo apparet, quod Chriſtus Rex æternus eſt, qui ſine ſubditis eſſe nequit, atque hanc Sanctam Eccleſiam Deus contra totius mundi furorem defendit*: hactenus confeſſio, & ne de Eccleſia, ſeu collectione prædeſtinatorum, vel ſanctorum dun-

taxat

taxat loqui videatur, ſubdit art. 29. *nequaquam vero hic de hypocrytarum cætu loquimur, qui, quanquam bonis in Eccleſia permixti ſunt, de Eccleſia tamen, non ſunt.* An ſint, nec ne de Eccleſia, hyppocritæ illi electis & bonis permixti, modo nolo diſcutere, diſcutio tamen allegatam iam ſententiam; vnicam ergo, credit iſta confeſſio, Eccleſiam catholicam, ſeu vniuerſalem, vnitas illa vniformitatem, & conſenſum in fide importat, iſta eadem vnitas, diuerſitatem ſectarum, ac pluralitatem Eccleſiarum diuerſimode ſentientium excludit; nam ſi diuerſæ, & oppoſitæ Eccleſiæ, non vnica, ſi vnica, non oppoſitæ Eccleſiæ. Item ſi catholica, vtique perpetua, conſtanter in vnitate ſua, cum vnica ſit, perſeuerans: ſi ſancta & cætus omnium vere fidelium non erit impiorum collectio, non à fide naufragantium turma, non Schiſmaticorum, non Apoſtatarum, non hæreticorum ſynagoga hæc ipſa porro Eccleſia, cui etiam, vt fatetur hæc confeſſio, mali permiſcentur, ab initio mundi fuit, & vſque ad eius finem perdurabit, nunquam igitur fuit interrupta, nunquam diaboli machinis obruta; nam ab initio perdurafſe, & vſque in finem perdurare, eſt ſine interruptione perſeuerare. Quid autem eſt ſic perſeuerare? eſt fidem christianam, & doctrinam ſalutis, conſtantiſſime ſemper retinere, ſine qua vtique, nec congregatio ſancta, nec cætus vere fidelium eſſet, ſed hæc congregatio, hæc vnica, & Catholica Eccleſia inquit, *ab initio mundi fuit, & ad finem vſque perdurabit*, adeoque præfatam fidem, & doctrinam nunquam amiſit vel amittet.

§. II. Pergit eadem confeſſio, cauſam perpetuæ huius durationis aſſignare, *ex eo*, inquit, *quod Chriſtus Rex æternus eſt, qui ſine ſubditis eſſe nequit*; ſeu qui ſunt illi ſubditi? *cætus*, inquit, *verè fidelium*, ſi ergo Chriſtus eſt Rex æternus, ſeu perpetuo Rex, perpetuum, ſtabile, & immobile, habeat regnum, neceſſe eſt: ſi perpetuum, & ſtabile eſt hoc Regnum, ſtabiliter immobiliterque, in Chriſti fide permanere debet, non enim alias, ſine hac fide, poſſet eſſe Regnum Chriſti, ſicut ſine vera Chriſti fide, non poteſt dari cætus verè fidelium. Dictus ergo fidelium cætus, dictum Chriſti Regnum perpetuo, & infallibiliter in vera fide, & orthodoxa doctrina perdurat, & perdurabit. quare, quia, inquit, iterum eadem confeſſio, hanc Sanctam Eccleſiam, Deus contra totius mundi furorem defendit, certè ſi Deus, qui per os Filij ſui Math. 16. promiſit *portas Inferi, non præualituras aduerſus Eccleſiam*, illam defendit contra totius mundi furorem, totus furor mundi eam conuellere non poterit; tuta igitur erit, ne ſeducatur diabolicis impoſturis,

ſturis, & figmentis, vti ſeducitur, Iudæorum, Turcarum, hæreticorum Synagoga. pergit ibidem confeſſio, art. 28. *credimus, quod cum ſanctus hic cætus, atque congregatio, Seruandorum ſit cætus, atque extra eum nulla ſit ſalus, neminem cuiuſcumque ordinis, aut dignitatis fuerit, ſe ab eo ſubducere debere, vt ſeipſo contentus, ſeparatim degat, ſed omnes pariter teneri huic ſe adiungere, ſe ſeque illius doctrinæ, & diſciplinæ ſubijcere*; eſt itaque in Eccleſia certa ſalus, cum in ea omnes, qui vitam æternam conſequentur, ſaluari debeant, ſed certa ſalus dari nequit, ſine certa fide, quæ vtique initium ſalutis eſt, certa autem fides ſubſiſtere non poteſt, ſine certa, & infallibili Eccleſiæ proponentis authoritate, qua fidem iſtam prædicat & exponit fidelibus, & credituris: rurſus inquit, *omnes tenentur eius doctrinæ, & diſciplinæ, ſe ſubijcere*; igitur habet infallibilem authoritatem, qua iſtos ſubditos, ſine erroris periculo doceat, & inſtituat; alias ſi in docendo erraret, cur vllus teneretur ſe eius doctrinæ ſubijcere.

§. III. Succedit Scotica confeſſio art. 16. inquiens, *ſicut vnum Deum patrem, filium & Spiritum Sanctum, credimus, ita etiam ab initio fuiſſe, & nunc eſſe, & in conſummationem vſque mundi, futuram vnam Eccleſiam, conſtanter credimus. id eſt ſocietatem, & multitudinem hominum, ad eo Electorum, qui illum rectè per veram fidem, in Ieſum Chriſtum colunt, & implectuntur*; quod autem dicat ibidem, hanc Eccleſiam, eſſe inuiſibilem; pugnat cum eo, quod ait infra art. 18. in Eccleſia, *debere eſſe veram prædicationem* verbi Dei, Sacramentorum adminiſtrationem, diſciplinam Eccleſiaſticam, rectè adminiſtratam, ad reprimendum vitium, & virtutem fouendam, quæ ſanè munia, non niſi in conſpicua, & ſenſibili Eccleſia exerceri poſſunt. Tandem licet ſecum pugnet, iſta confeſſio, ex ea tamen, perpetuitatem infallibilis Eccleſię habemus; nam hic duos fidei articulos allegat, nempe myſterium Trinitatis, & exiſtentiam veræ Eccleſiæ, ita vt, quam verè & firmiter credit Chriſtianus, myſterium Trinitatis, tam verè & ſine vlla dubitatione, debet credere exiſtentiam veræ Eccleſiæ; ſed hæc Eccleſia, cuius exiſtentiam, debemus credere, ab initio fuit, nunc eſt, & in conſummationem vſque ſæculi futura eſt; vera ergo Eccleſia perpetuo durauit, ac durabit, hoc eſt ab errore, deceptione, & ſatanica illuſione, immunis, libera, conſtanter, & incorruptè permanet.

§. IV. Minus clarè præ cæteris, de perpetua Eccleſiæ Chriſti ſtabilitate loquitur Anglicana confeſſio, cum tamen art. 8. admittat tria illa Symbola, inquiens, *tria Symbola Nicænum, Athanaſij, &*

ſij, & quod communiter Symbolum Apoſtolorum vocatur, integrè & omnino ſunt recipienda, & credenda: ſi integrè ſunt credenda, omnes & ſinguli eorum articuli recipiendi erunt, igitur credendus erit ille Symboli Nicæni articulus, credo *vnam, Sanctam, catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* Hæc autem vt ſupra vidimus, & infra fuſius oſtendemus, probant perpetuam infallibilitatem Eccleſiæ; dum autem art. 19. dicit Ieroſolymitanam, Antiochenam, Romanam Eccleſiam erraſſe, & nullam nominet, ante Anglicanam reformationem; & articulo 6. dicit *eos vtriuſque teſtamenti libros canonicos habendos eſſe; de quorum authoritate, nunquam fuit dubitatum in Eccleſia*; exſtitiſſe vtique ſentit, ante Anglicanam reformationem, illam Eccleſiam, in qua de hoc canone non fuit dubitatum, & a qua hunc ipſum canonẽ, ſi quem habent, receperunt reformati Angli, exſtitit ergo ſemper hæc Eccleſia, & illa eſt, & ſemper fuit vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia. eadem illa ſymbola admittit confeſſio Gallica, art. 5. & conſequenter vulgares illas Eccleſiæ notas, quæ eius infallibilitatem, vt dixi, probant. rurſus rythmi Gallici, & Anglici, in illum Pſal. *Deus refugium noſtrum & virtus*, præſertim in illa verba, *Deus in medio eius non commouebitur*, ſic latine ſonant, certum eſt, quod Deus in medio eius (ſcilicet Eccleſiæ) perpetuo habitet, nihil eam concutere poteſt, quia Deus promptum ei ſuccurſum dabit: ſi Deus habitat in medio Eccleſiæ perpetuo, & nihil eam concutere poſſit, nunquam portæ inferi aduerſus eam præualuerunt, aut præualebunt, adeoque nnnquam eius fides fuit concuſſa, vel interrupta, & conſequenter in fide Chriſti colenda, & proponenda, infallibiliter & ſine errore ſemper permanſit.

§. V. Nunc ex dictis ſic vrgeo, vel prætenti reformati in præfatis ſuis confeſſionibus, ſerio loquuntur, vel non? ſi primum, ergo ſerio fateantur neceſſe eſt, viſibilem Chriſti Eccleſiam, nunquam in fide defeciſſe; nec enim de alia Eccleſia, quam de viſibili poſſunt intelligi, ea ipſa reformatorum dicta; nam illæ notæ, quas aſſignant, nempè pura prædicatio verbi, & recta Sacramentorum adminiſtratio, quamuis non ſint adæquata, nec conuenientia ſigna Eccleſiæ, tamen non niſi in Eccleſia viſibili dari poſſunt vt fatetur Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 1. ſect. 4. Melanchton in locis communibus, & alij quam plurimi reformati, apud Brerlæum tract. 2. cap. 2. ſect. 1. ſi autem non ſerio loquuntur in prædictis ſuis confeſſionibus, ergo ſunt impoſtores, quod in re tanti momenti, velint illudere humano generi, ne autem pro ta-

libus habeantur, fateantur ſe ſerio loqui, adeoque vere ſentire; quod viſibilis Eccleſia Chriſti, iuxta eius promiſſionem, ſit perpetuo infallibilis, vt nunquam errauerit, adeoque neque in doctrina fidei potuerit reformari, & conſequenter reformati ſunt Apoſtatæ & hæretici, quod ab illa infallibili Eccleſia, per ſacrilegum ſchiſma receſſerint, & extra eam viuant, in æternum, niſi ad eandem redeant, perituri.

SECTIO SECVNDA.

Perpetua Eccleſiæ proponentis infallibilitas, probatur ex generalibus Religionis Chriſtianæ principijs.

Vidimus hactenus, quid reformati, in medijs errorum ſuorum tenebris, ſentiant de perpetua Eccleſiæ docentis veracitate; nunc videndum, quomodo id probetur ex ipſiuſmet chriſtianitatis inſtituto: hic autem vt alias monui, non prætendo oſtendere myſteriorum fidei veritatem, ſed infallibilem Eccleſiæ proponentis authoritatem, ſeu catholicam & vniuerſalem fidei Regulam, qua probata ſufficienter comprobantur omnes fidei articuli, implicat enim proponentem myſteria reuelata, eſſe infallibilem, & tamen doctrinam Religionis, ab ipſo propoſitam, continere mendacium. diſtinxi autem in mea ſecuri Euangelica diſt. 2. duplicem infallibilitatem, vnam per naturam, quæ ſoli Deo conuenit, alteram per priuilegium, quam Deus per os Chriſti Math. 16. 18. 28. Ioan. 14. & alibi promiſſam, Eccleſiæ ſuæ conceſſit; & hæc eſt infallibilitas participata: ſicut ſimiliter Deus participauit creaturæ rationali immortalitatem, æternitatem à parte poſt, ſapientiam, charitatem, iuſtitiam, & ſimilia, quæ licet Dei ſint attributa, homini tamen, & Angelo per participationem illa communicauit. hinc ſit.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

Gemina illa, tot ſæculis agitata quæſtio, quænam ſit doctrina reuelata, & quomodo intelligenda, oſtendit neceſſario admittendam eſſe, infallibilem fidei Regulam, ſeu Eccleſiæ proponentis authoritatem.

§. I. QVot produxerit lites, in orbe chriſtiano duplex iſta difficultas, clare demonſtrant innumeræ hæreſes, ab initio naſcentis Eccleſiæ, in hodiernum vſque diem obortæ; cum enim res fidei, plerumque conſiſtant in quæſtione facti, an ſcilicet hæc doctrina, quæ credenda proponitur, ſit à Deo reuelata, & ſuppoſito quod ſit, quis eſt legitimus & verus propoſitæ doctrinæ ſenſus, ingens igitur eſt difficultas de hoc ſenſu, ſeu de immediata veritate propoſiti textus, id eſt, de mente diuina, vt ſignificatur per ſcripturam, cum huic ſcripturæ, non inſit præfata Dei mens, ſicut albedo ineſt parieti, vel lux ſoli, quandoquidem eo difficiliora intellectu euadat ſcriptura, quo diuiniora importat myſteria v. g. diuinam eſſentiam, trinitatem perſonarum, attributa diuina, incarnationem, iuſtificationem impij, reſurrectionem mortuorum, glorificationem iuſti &c. quare propoſitæ doctrinæ vnitas, optime ſtat cum pluralitate commentariorum, atque expoſitionum, & conſequenter textus diſtinguitur realiter à ſua expoſitione; quod vel inde patet, quod ſacri codicis exſtent innumeri commentarij, imo huius vnius textus, *hoc eſt corpus meum* aſsignat Lansbergius, ducentas expoſitiones diuerſas, ex diuerſis expoſitoribus propoſitas, aliquas hic ſubijcio, *hoc eſt corpus meum*, id eſt hoc eſt realiter corpus meum, facta nimirum tranſſubſtantiatione, 2. ſub hoc pane eſt corpus meum 3. in hoc pane eſt corpus meum, 5. hic panis ſignificat corpus meum, 6. hic panis eſt figura corporis mei; ex his expoſitionibus, vna tantummodo poteſt eſſe vera, & reliquæ ſunt falſæ, quare eſto nulla ſit diſtinctio penes rem ſignificatam, eſt tamen aperta diſtinctio, penes modum ſignificandi, nam quæuis expoſitio cuiuſcunque textus, neceſſario ſit, vel per alia verba, vel per clariorem verborum ipſius textus conſtructionem, quæ omnia habent dilucidiorem ſignificandi modum: cum igitur ſacra ſcriptura, non ſi-

gnificet tam clare mentem, & voluntatem Dei, vt ex tot contro-uerſijs, de eius ſenſu, motis, aperte conſtat, indiget interprete, maxime vbi quædam imbecilla ingenia non aſſequuntur ſenſum litteræ. Sacro autem interpreti, certa fides non adhibetur, niſi fideli & credituro conſtet, expoſitionem propoſitam eſſe factam ab eo, quem ſcit, nec decipi nec decipere. Vnde Sacra Scriptura petit teſtes, interpretes, & expoſitores, qui omnem certam fidem deſtruunt, niſi credituris conſtet eos nec decipi, nec decipere.

§. II. Vt patet, licet enim duæ expoſitiones contrariæ, imo etiam contradictoriæ poſsint eſſe probabiles, non tamen poſſunt eſſe ſimul veræ; fides autem diuina, non poteſt aſſentiri niſi vero, vnde illa fides, quæ aſſentiretur expoſitioni probabili quidem, à parte tamen rei falſæ, non eſſet diuina fides, quæ ex natura ſua, petit aſſentiri duntaxat veritati: atqui niſi ſit infallibilis authoritas Eccleſiæ docentis, quæ inter tot, & tam varias doctrinæ reuelatæ expoſitiones, veram à falſa diſcernat, eamque proponat, crediturus non poteſt certo credere vni expoſitioni præ altera, niſi inquam, ei certo conſtet, ex tot expoſitionibus, hanc, quam credit, eſſe veram expoſitæ doctrinæ interpretationem, quare neceſſaria eſt infallibilis illa authoritas, ad diſcernendam veram expoſitionem à falſa: ſi enim quælibet expoſitio, ad fundandam fidem Chriſtianam ſufficeret, quilibet poſſet in ſua fide ſaluari, quod tamen, vt infrà videbimus, ipſi reformati negant. vel ſi non ſic, in qualibet ſecta, poſſit quis ſaluari; ſaltem prudenter operando, damnaretur, ſi enim ad Chriſtianam fidem, non requireretur vera, & indubitata doctrinæ reuelatæ expoſitio, ſed ſufficeret quæuis probabilis, eſto à parte rei eſſet falſa, homines, vt dixi, prudenter operando poſſent damnari, nam ex interpretationibus, & doctrinis æque probabilibus, & alteram eligere prudens eſt, & probabiliorem eligere prudentius, atqui ſæpe contingit, vt probabilior ſubinde ſit falſa aliqua doctrina, iuxta menſuram motiuorum inducentium probabilitatem, quam vera: ergo falſam poſſent eligere fideles, & credituri prudenter, vel etiã prudentius operando, & ſic faciendo poſſent damnari, cũ nemo ſaluari poſſit, niſi per veram fidem, quæ vera nequit eſſe, hoc ipſo, quo aſſentiatur falſo; atque adeo vt fides ſit vera, debet aſſentiri tantummodo expoſitioni & doctrinæ veræ: ſed impoſſibile eſt, quod fideles, & credituri eliciant veram fidem, circa propoſitam doctrinam, niſi exiſtet infallibilis illa authoritas, quę veram doctrinam eiuſq; veram expoſitionem, à falſa diſtinguat, diſtinctamq; ſine errore proponat.

§. III. Per-

§. III. Pergo vlterius, nota eſt in ſcholis illa quæſtio, an Deus de potentia abſoluta poſſit, vel mentiri, vel reuelare falſum, & reſoluitur ab omnibus, non poſſe, idque ob multas variaſque rationes, quarum vna quoad iſta, ſufficiat, quod alias firmiſſimam fidem Deo adhibere non poſſemus, cum hic ſemper ſubeſſet ſcrupulus, in hoc forte decipit nos Deus; vt igitur rite & firmiter Deo credamus, eius veracitas debet nobis eſſe certa, infallibilis, & innegabilis, ad credendum autem, duo requiruntur, & quod dicens non decipiat, & quod hoc, quod credimus, ab illo ſit dictum: ſicut enim nihil dicentibus non credimus, ita mendacibus, & qua talibus nobis notis, credere non poſſumus; nunc etiam quoad nos, duo ſunt neceſſaria ſcitu; nempe & quod hæc doctrina, quæ credenda proponitur, ſit à Deo reuelata, & quod hæc ſit propoſitæ doctrinæ genuina expoſitio, ſi primum mihi certum non ſit, dico, forte non eſt reuelata propoſita doctrina, & ſic eam proponens, forte me fallit, adeoque non certo credo: pariter in ſecundo caſu dico, eſto ea doctrina ſit à Deo reuelata, forte tamen expoſitio tradita non eſt vera, & conſequenter forte eam exponens fallit, vel fallitur, adeoque non credo. Igitur ad aſſentiendum firma, ac diuina fide, propoſitæ doctrinæ, debet fideli, & credituro certo conſtare, propoſitam doctrinam eſſe à Deo reuelatam, & hanc eſſe legitimam eius expoſitionem; ſed vt ſæpius dixi, non poteſt fideli & credituro, id certo conſtare, niſi detur infallibilis illa authoritas Eccleſiæ proponentis, quæ & infallibiliter teſtetur, illam doctrinam eſſe a Deo reuelatam, & hanc eſſe veram eius interpretationem, vt enim credamus aliquid eſſe à Deo dictum, neceſſe eſt, vt certo cognoſcamus, id eſſe à Deo reuelatum, ne in Deum referamus, ea quæ Deus non dixit, & ſic pro veris falſa, & mendacia credamus, quod patet à pari; licet enim non dubitemus de voluntatis diuinæ ſanctitate, & rectitudine, ſi tamen certo nobis non conſtet, aliquid ab hac voluntate eſſe præceptum, vel conſultum, non tenemur ſaltem, ſub graui culpa, ad rem illam præceptam, nec ideo tamen voluntatem Dei ſpernere dicimur. Sic neque aſpernamur veracitatem diuinam, ſi quid non credimus, quod non conſtat nobis certo, eſſe à Deo dictum: cum autem, vt monui ſupra, hæc ſit quæſtio facti, an Deus hanc doctrinam reuelauerit, & an hæc ſit vera illius expoſitio; quæ difficultas, nobis ex terminis non apparet, cum ſit obſcuriſſima, neceſſaria eſt infallibilis authoritas, quæ infallibiliter nos certificet de vtraque illa quæſtione; quare ſit.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Negata Eccleſiæ proponentis infallibilitate, inciditur in multitudinem religionum, & inde in nullam, ac tandem in Atheiſmum.

§. I. MVltitudo religionum, coincidit cum libertiniſmo, ſeu libertate quidlibet pro arbitratu credendi, & quamlibet Religionem profitendi, quam libertatem damnant ipſæ reformatæ confeſſiones, Anglica art. 18. Scotica art. 16. Belgica art. 28. Gallica art. 26. Heluetica prior cap. 17. Baſileenſis art. 5. & cæteræ omnes, vtpote requirentes, vnitatem fidei & religionis, tanquam neceſſariam veræ Eccleſiæ proprietatem; vnitas autem iſta in hoc conſiſtit, quod omnia Eccleſiæ membra, articulos fidei, eodem ſenſu & conſenſu, vniformiter credant, & profiteantur, e contra libertiniſmus, ſeu pandoxia laxat habenas ſententijs, vt vnus credat, ſic alius autem aliter, hoc anno vnum, alio anno diuerſum dogma, pro cerebri vertigine, teneat; vt tandem excurratur in multitudinem, inde in nullitatem Religionum, quæ confuſio, ex illo oritur capite, quod omnes hæreſes, & dogmatum innouationes, prætendantur ſemper habere fundamentum in ſcriptura, hoc autem fundamentum aliud non eſt, quam ipſa ſcriptura, in varios contorta ſenſus, varijſque expoſita interpretationibus, quarum quælibet dum à ſuis authoribus prætenditur bona, diuerſam nouamque generat Religionem, quam eius fabri ex puris putis ſcripturæ fontibus, depromptam vociferantur, & ſic pro varietate cerebri exponentis, variantur & multiplicantur Religiones, vt aduertit Tertull. de præſcriptionibus cap. 14. *mentior*, inquit, *ſi non à Regulis ſuis variant etiam inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit; quemadmodum de ſuo arbitrio compoſuit ille, qui tradidit, agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem, profectus rei: Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcioniſtis, quod Marcioni;* (Idem Caluiniſtis, & Lutheranis, quòd Caluino & Luthero) *de arbitrio ſuo fidem innouant.*

§. II. Vt autem melius percipiatur, quomodo diuerſitas expoſitionum generet diuerſas ſectas, aduertendum, verba ſcripturæ mul-

multiplices poſſe habere ſenſus, primus eſt, quem ipſa verba, ex primæuo ſuo inſtituto habent, vt iraſci ſignificat ira commoueri, ira autem ipſa, eſt ebullitio ſanguinis circa cor, dormire eſt ſopiri ſenſibus, dolere eſt affectum triſtem concipere, odorari eſt odorem naribus percipere, excitari à ſomno eſt ad vigilias redire; prædictæ autem locutiones, & aliæ ſimiles, quæ ſenſibus & corporibus tribuuntur, ſæpe in ſcriptura, de Deo affirmantur. Secundus ſenſus eſt myſticus, non quem verba ex ſuo inſtituto important, ſed quem Spiritus Sanctus intendit, vt ſerpens æneus in deſerto exaltatus, habet duplicem ſenſum, primus eſt, quem verba ipſa ex primæuo ſuo inſtituto ſonant, & hiſtoricè rem geſtam ſignificant, ſecundus eſt, quem per translationem important, & ſic ſignificant exaltationem Chriſti in Cruce, quæ exaltatio litteraliter loquendo, eſt vera, nam verè Chriſtus exaltatus fuit; ſic Ionam fuiſſe in ventrè cæti tribus diebus, litteraliter ſignificat vt verba ſonant, & vt res reuera contigit, ſimiliter etiam per alium ſenſum, à Spiritu Sancto intentum, & planè diſtinctum ab eo ſenſu litterali, quem voces ipſæ ex beneplacito hominum ſonant, ſignificant ſepulturam Chriſti tribus diebus, & noctibus in corde terræ, qui ſenſus à Spiritu Sancto ſic intentus, latet ſub ſenſu illo communi, quem voces, ex prædicto hominum inſtituto; important; de qua re Origenes lib. 10. in Leuiticum, *ſicut in nouiſſimis diebus, Verbum ex beata Virgine proceſſit carne veſtitum*, & poſt, *vt ſicut illic diuinitas tegebatur in carne, ita hic ſpiritus velamine litteræ*; quibus comparat reuelationem ſeu verba, quibus nobiſcum loquitur Deus, verbo increato, viſibili carne velato, vt ſicut ibi velatur verbum, ita ſenſus myſticus, velatur ſub illo ſenſu communi, quem homines iſtis verbis dederunt; qui communis ſenſus, ſtatim vtique apparet, continens ſub ſe ſenſum illum, quem intendit Spiritus Sanctus: ex quibus aperte patet ſenſum hunc myſticum, non apparere ſtatim in cortice vocis, nec verba ſcripturæ eſſe intelligenda ſemper in eo ſenſu, quem voces præ ſe ferunt, habentque ex inſtituto hominum, ſi enim ſic intelligerentur, iam Deus diceretur habere aures, cor, oculos, manus, & ſimilia corporis humani membra, quæ paſſiones, & proprietates ſenſibiles haberent, quod eſſet Deum non eſſe Deum, vnde qui ſic Deum, iuxta ſonum litteralem, conciperet, & crederet, eſſet Atheiſta, credens Deum habere eas paſſiones ſenſibiles, quæ deitatem prorſus deſtruerent.

§. III. Rurſus hic ſenſus myſticus diuiditur, in plures alios, nempe

nempe allegoricum, cùm res geſta in veteri lege figurat rem gerendam in noua; in anagogicum, vt quando ea, quæ accidunt in Eccleſia militante, ſignificant ea, quæ in triumphante, ſeu cęlo geruntur, in moralem, ſeu tropologicum, vt res geſtæ in nouo teſtamento, ſignificant quæ nos facere debemus: nunc periculum errandi hic eſt, ne quando textus deberet ſumi in ſenſu illo litterali, quem Spiritus Sanctus intendit, ſumatur in ſenſu morali, vel allegorico, vt patet in iſto textu olim tam controuerſo. *Ego & pater vnum ſumus*. Ioan. 10. quem Orthodoxi litteraliter intelligebant, Ariani vero moraliter; huic autem periculo, nullo modo obuiari poteſt, niſi admittatur infallibilis Eccleſiæ docentis, & exponentis authoritas, quæ veram interpretationem à falſa diſcernat, & credendam proponat, eaque ſublata, inciditur irreparabiliter in prædictum periculum: quis enim ruſticis, mulieribus, pueris, infidelibus, rudibus, & indoctis, ſenſum myſticum diſcernet à ſenſu, quem voces ipſæ, ex inſtituto hominum important? quid prodeſt Miniſtellis, recitare coram populo, vnum vel alterum caput ex biblijs, & eius intellectum arbitrio cuiuslibet relinquere liberum? ſi enim auditores debeant prælecta capita intelligere iuxta communem verborum ſenſum, certe dum concipere deberent fidem, conciperent Atheiſmum, audientes enim Deum iraſci, tactum dolore cordis intrinſecus, eum pænituiſſe, quod hominem feciſſet, quod obdormiat, quod excitetur à ſomno, tanquam potens crapulatus à vino, quod ſedeat ſuper Cherubim, nec vllus ſit, qui ſenſum myſticum ſub ſenſu litterali, ſeu gramaticali horum verborum latentem, illis aperiat, Deum ſane corporeum, limitatum, corruptibilem, mutabilem concipient, fientque, vt iterum repetam, Atheiſtæ, quandoquidem præfatus myſticus ſenſus, non appareat in cortice litterarum, vt tot rixæ, tot diuiſiones ſententiarum, tot ſectæ luculenter oſtendunt. Vnde apparet vel craſſa Miniſtrorum ignorantia, vel potius nequiſſima, imo & diabolica impoſtura, dum ſuadent populis ſcripturas eſſe claras ac euidentes, & ſufficere ad concipiendam fidem, eas vel legere, vel audire lectas, cum in hoc confundant ſenſum litteralem, quem verba ſcripturæ in inſtituto hominum important, cum ſenſu myſtico, qui ſub iſto ſenſu communi latet, & nullo modo niſi accedente certa, & infallibili declaratione, patet, vt ſic tandem, dum ſuos ſequaces abducunt ab infallibili Eccleſiæ docentis interpretatione, ducant in Atheiſmum.

§. III. Et ſi ſaltem non ruant omnes iſti miſeri ſic ſeducti, in

Atheiſ-

atheiſmum, ruunt certè in apertum libertiniſmum, qui negata Eccleſiæ docentis authoritate infallibili nullatenus euitari poteſt, cum enim variæ inueniantur ſcripturæ expoſitiones, tam olim, quam hiſce temporibus editæ, & iuxta varias huiuſcemodi expoſitiones, varientur ſententiæ & religiones; quæro, vel in cauſa fidei, omnes expoſitiones ſunt admittendæ, vel vna ex omnibus? ſi omnes ſunt admittendæ, tanquam ſufficientia fidei fundamenta, tam diuerſa, tam varia erit credentium fides, quam variæ ac multiplices erunt interpretationes, & inducitur libertiniſmus; ſi vero vna ex omnibus ſit acceptanda expoſitio, & nulla interim detur infallibilis authoritas, quæ hanc vnam, à cæteris diſcernat, quæro cuiusnam acceptanda erit expoſitio? & hoc ſi ſciatur, quæro vnde ſciemus, exemplar illud, quod iſte interpres expoſuit, eſſe verum & legitimum? nam ad hoc, ſecundum reformatos, non conceditur vlli, infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti, quam ipſi negant toti Eccleſiæ, & cur potius huic quam illi? cur reformatis potius quam alijs? nec valet dicere, quod reformati dicant ſe ſcripturam, per ſcripturam exponere, conferendo textus ad textus, nam hæc ipſa collatio eſt actio humana, humani cerebri, & intellectus, qui ſecundum reformatos falli poteſt, & fallere; & omnes quotquot fere exſtiterunt hæretici, iactabant ſe exponere ſcripturas, per collationes textuum, qui tamen errarunt in grauiſſimis fidei myſterijs: imo Ariani ſuas Blaſphemias, contra diuinitatem verbi, non niſi per collationem textuum, prætendebant probare, deinde iterum redit ſuperior difficultas, quis erit ille, qui ex omnibus expoſitionibus, melius conferet textus, ita vt non erret, ſi nullus eſt, in rebus fidei, infallibilis? nolunt reformati credere catholicis probantibus realem præſentiam, purgatorium, &c. per collationes textuum: deinde quilibet ex reformatis Caluiniſtis, Puritanis, Lutheranis, Proteſtantibus, mutuo ſe inuicem lacerantibus, & in tot ſectas diuiſis, gloriatur ſe exponere ſcripturam; adhuc tamen acerrimè digladiantur de genuina expoſitione, quolibet ſuam interpretationem, alterius expoſitioni præferente: quid ergo hic faciat crediturus? an ipſe debeat formare ſibi propriam expoſitionem? quod ſi ſic, redeunt omnes illæ difficultates, omnes labores exantlandi, prima parte diſt. 3. recenſiti: tandem hoc ipſum illi, & iſti ac cuilibet licebit, imò toties variare religionem, quoties varias intellectus variabilis ſuggeret expoſitiones.

§. IV. Concludet tandem aliquis, nihil eſſe, quo ipſe ad hanc

vel illam ſectam ſit obligatus, ſi nulla certa, & infallibilis admittatur authoritas: ſi autem mortales nullam habent obligationem ad hanc, vel illam religionem, omnes prorſus religiones licebit relinquere, imo Religio non obligans religio non eſt, ſed opinio, atque adeo negata infallibili Eccleſiæ proponentis authoritate, quæ diſcernat veram à falſa expoſitione, omnes expoſitiones admitti poſſunt, omnes poſſunt dimitti, vel deſeri; ſic ex eodem capite omnes Religiones acceptari poſſunt, & omnes etiam dimitti, & ita apertiſſimus ſequitur libertiniſmus, quidlibet pro libitu credendi, & ex iſto libertiniſmo ſequitur Atheiſmus; nam quod hodie de hoc vel illo myſterio, credunt libertini, cras illud ipſum pro libitu ſuo negare poſſunt. quare? quia expoſitio, quæ fundauit fidem hodiernam, cras videbitur incerta, imo & falſa, adeoque alia excogitari poteſt pro contraria & craſtina fide, & ſimiliter ipſa craſtina fides poteſt iterum ſimul cũ heſterna negari, & tãdem ita inciditur in nullã fidem, nullamq; Religionẽ. Vt ergo hæc nullitas, hic libertiniſmus, & Atheiſmi periculũ euitetur, neceſſario admittenda eſt infallibilis Eccleſię proponentis authoritas, quæ vnã & certam expoſitionem, ex tot interpretationibus, tamque varijs doctrinæ reuelatæ, credituris proponat:

ARTICVLVS TERTIVS.

Eadem Eccleſiæ infallibilitas probatur ex obligatione, & proprietatibus Chriſtianæ Religionis.

§. I. Religionis Chriſtianæ præcepta, obſeruantibus, proponunt vitam æteram, tranſgreſſoribus vero, minitantur gehennam Matth. 19. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata* Marci 16. *qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Matthei 18. *dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, & cap. 28. *euntes docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis* Ioan. 3. *qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt filio, non vidit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum* & cap. 15. *ſi quis in me, non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*, ex quibus patet Chriſtianam Religionem, ex ſuo inſtituto eſſe obligatoriam, idque ſub pæna mortis æternæ. Vnde ipſi prætenti reformati fatentur

extra Chriſti Eccleſiam, nullam ſperari poſſe ſalutem; quæ vtique in eadem Eccleſia tantummodo obtineri poteſt. Hinc ſa entur ſimiliter vnam tantum eſſe Eccleſiam; obligatio igitur chriſtianæ Religionis præcipit, hanc vnitatem obſeruare, deuitare errores ex parte intellectus, & peccata ex parte voluntatis; hæc eadem obligatio non poteſt induci, niſi credituro conſtet, quid credere, quid ſeruare, quid vitare debet; vt hoc autem conſtet, requiritur certa notitia, quæ diſcernat inter bona, & mala, vera & falſa, prohibita & præcepta, vt detur iſta certa notitia debet dari medium aliquod certum, per quod fideles, & credituri poſſint iſtam notitiam acquirere, quod ſi nullum detur eiuſmodi medium, non poſſent inter verum & falſum; inter facienda & omittenda diſcernere.

§. II. Vera ergo Religio ex communi omnium conſenſu, obligationem inducit: tum ſic, vel veræ Religionis cognitio eſt certa, vel tantummodo dubia & probabilis? ſi primum igitur exiſtat medium aliquod, per quod fideles & credituri acquirunt iſtã certam notitiam, atque adeo datur infallibilis Eccleſiæ authoritas, quæ eſt hoc ipſum medium: ſi autem cognitio illa eſt dubia & probabilis tantum, nemo ad præfatam Religionem obligatur, quam non certo conſtat obligare, cum non detur certa cognitio talis obligationis, nam ex religionibus probabilibus tantum, nulla præ altera obligat, cum vnaquæque ſit libera, adeoque quælibet religio ſic probabilis reſpui poteſt, vel acceptari; ad nullam igitur vnam, præ altera, obligamur: cur enim cogeremur exponere vitam pro ſola probabili veritate? rurſus religio chriſtiana, vt ſupra dixi, obligat ſuos ſequaces, ad eius obſeruantiam, ſub pæna damnationis æternæ: tum ſic, vel quælibet Religio, quæ nominatur chriſtiana ſic obligat, vel non? ſi quælibet ſic obligat; ergo obligat ad amplectenda contradictoria; vna enim dicit dari ſeptem Sacramenta, altera non dari ſeptem, ſed duo tantum: nunc ſi quælibet obligat, ergo ſicut vnus tenetur credere, ſub damnatione æterna, dari ſeptem Sacramenta, ita alter ſub eadem damnatione, tenetur credere, non dari ſeptem, & ſic duæ Religiones mutuo contradicentes, obligarent ſub damnatione æterna in punctis contradictorijs. Si autem non quelibet ſic obligat, debet certo conſtare, quænam ex omnibus ſic obligat; ergo illa eſt infallibilis.

§. III. Quod inde rurſus ſic probatur, vel enim crediturus, & fidelis iudicat, ſe eſſe obligatum, ad credendum, & obedien-

dum doctrinæ ſibi propoſitæ, idque ſub damnatione æterna, vt habetur Marci 16. vel non iudicat; ſed opinatur duntaxat vel dubitat, ſe obligari? ſi dubitat ſe obligari, non obligatur abſolute ad credendum: ſi autem iudicat ſe obligatum; infert manifeſte adeſſe præceptum diuinum: infert ſimiliter doctrinam ſibi propoſitam, eſſe diuinitus reuelatam; & concludit ſe eſſe obligatum ad credendum, & obediendum Deo, & huic doctrinæ ſibi propoſitæ, præ alia quacunque doctrina; hoc autem non poteſt ille crediturus, vel fidelis concludere vere & certo, niſi detur regula aliqua certa, ſeu infallibilis Eccleſiæ authoritas, quæ illum reddat certum, doctrinam illam eſſe diuinitus reuelatam; & præcepta illa eſſe à Deo lata, eiſque eſſe annexum præmium, ſi obſeruentur, vel pænam ſi non obſeruentur. Igitur cum vna ex omnibus religionibus ſit tantummodo obligatoria, illa debet præſtare fidelibus & credituris, infallibilem certitudinem, quod dogmata & præcepta à ſe propoſita ſola obligent, non vero dogmata, vel præcepta aliarum religionum: vt autem præſtet iſtam certitudinem, debet pollere infallibili authoritate, alias obligare non poterit, ſub damnationis æternæ pæna, præ alia religione, quæ nulla tali authoritate pollet.

§. IV. Patet vlterius prædicta Eccleſiæ docentis infallibilitas ex proprietate fidei diuinæ, quæ vtique eſt omnino neceſſaria ad ſalutem, hæc ipſa fides eſt item neceſſario vera, debet item eſſe neceſſario certa, imo certior quacumque cognitione naturali, hæc certitudo aliquas conditiones exigit; primo vt aſſenſus fidei ſit verus, ſecundo vt modus cognoſcendi obiectum reuelatum ſit infallibilis, vnde quando cognoſcitur obiectum aliquod, per aliquod medium, vt aſſenſus in tale obiectum tendens ſit certus, neceſſe eſt primo, vt hoc medium habeat neceſſariam connexionem; cum veritate obiecti, quia medium non neceſſario connexũ, nequit producere aſſenſum certum, ſecundo requiritur vt modus vtendi eodem medio ſit infallibilis; nunc applicando iſtam præſertim conditionem ad fidem, illa tam ex parte medij, quam modi eo vtendi, petit eſſe certior omni ſcientia naturali; vt patet, nam medium cum obiecto fidei connexum, eſt teſtimonium Dei reuelantis, connexum cum re reuelata; vnde tam impoſſibile eſt hoc teſtimonium eſſe falſum, quam Deum non eſſe: quare nullum medium vllius ſcientiæ naturalis, tam neceſſario eſt verum, vel connexum cum veritate obiecti ſcibilis, quam teſtimonium Dei eſt connexum,

cum

cum veritate rei reuelatæ, hoc autem medio, ſeu teſtimonio Dei reuelantis, tanquam obiecto formali, fides diuina innititur; igitur illa petit eſſe neceſſario vera: ſed hoc medium cui fides innititur, cum non applicetur nobis proxime, & immediate ab ipſo Deo, quandoquidem Deus non loquatur immediate ſingulis credituris, vel fidelibus, ſed hominibus, per alios homines, arcana fidei proponat, hinc neceſſarius eſt modus aliquis infallibilis, quo hoc medium, ſeu teſtimonium Dei reuelantis immediate & infallibiliter, nobis applicetur & proponatur.

§. V. Quod conſtat rurſus ex eo quod Deus requirat à nobis, vt ea, quæ nobis per Eccleſiam credenda proponit, firmiſſime & omnino indubitanter credamus, ita vt debeamus negare omnem rationem naturalem, quatenus fidei videtur repugnare, potius quam à fide recedamus, addita & intentata grauiſſima illa damnationis æternæ pæna Marci 16. *qui non crediderit, condemnabitur.* certe ille ipſe Deus, qui talem fidem, tam ſtricte à nobis exigit, debuit prouidere, vt myſteria credenda nobis, eo modo proponerentur, qui ſit certiſſimus, & omnino infallibilis, ad hoc igitur neceſſario requiritur, vt ſim certus doctrinam mihi ab Eccleſia propoſitam, eſſe à Deo reuelatam, & conſequenter debet ipſa Eccleſia, eandem doctrinam, infallibiliter, & ſine erroris periculo proponere; alias cur damnaretur quis, niſi crederet Eccleſiæ proponenti; ſi ipſa Eccleſia, falſum pro vero proponeret? eſtne credibile, vel etiam poſſibile, quod Deus ſub damnatione æterna, obligaret mortales, ad audiendam Eccleſiam fallibilem, errantem, & fallentem? & tamen Matth. 18. iterum præcipit. *dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & publicanus.* Certum eſt autem, quod Ethnicus, & publicanus ſequantur errores, ſi vero Eccleſia proponeret ſimiliter mendacia, & teneremur eam nihilominus audire, cur quæſo habendus quis Ethnicus eſſet, & publicanus? errans vtique, qui nollet audire Eccleſiam errantem, & fallibilem, cur potius deberet obedire Eccleſiæ fallibili, & erroneæ, idque ſub damnatione æterna, quam alijs mortalium cetibus, ſeductis, & ſeducentibus? quocumque demum ſe vertat crediturus, damnandus erit, primo quia ſequitur errores, deinde, quia non vult ſequi, errores Eccleſiæ ſeductæ & ſeducentis. Abſit hoc à Dei iuſtitia, & miſericordia, cum itaque teneamur fide firmiſſima credere ea, quæ nobis ab Eccleſia credenda proponuntur, Eccleſia ipſa vtique in proponendo, debet eſſe infallibilis, ne dum iubet nos Deus credere Eccleſiæ, ſi

hæc

hæc erraret in proponendo, ipſe ſic præcipiens, credere Eccleſiæ fallaci & fallibili, moraliter loquendo, nos falleret, ac teſtaretur falſum, quod omnino eſt impoſſibile; cum igitur implicet, quod Deus obliget nos, ad credendos errores, ſub pæna damnationis, & aliunde velit vt audiamus Eccleſiam, impoſſibile eſt quod Eccleſia in proponendo erret.

§. VI. Denique oſtenditur ad aſſenſum fidei requiri hanc infallibilitatem, nam modus aſſentiendi per fidem, debet eſſe ipſi aſſentienti infallibilis, ita ſcilicet, vt ipſe vere cognoſcat ſuum modum cognoſcendi, eſſe infallibiliter certum: hoc igitur modo, aſſenſus fidei diuinæ, debet eſſe omnino certus, quia debet cognoſcere Eccleſiam, certo, & infallibiliter, rem credendam, proponere, adeoque propoſitionem Eccleſiæ, eſſe neceſſario & infallibiliter connexam, cum doctrina reuelata, quæ certitudo inde acquiritur, quod fidelis & crediturus cognoſcat certo, quod illi doctrinæ, quam Eccleſia credendam proponit, conueniant illæ notæ, quæ ſufficienter probant eam eſſe fide diuina credendam, atque ita hac etiam ex parte, cognoſcit quis certo, ſe modo infallibili, res fidei cognoſcere, alias firmiter credere non poſſet, nec pro fide firmiter, & conſtanter mori; vnde requiritur vt aſſenſus fidei ſit firmus, ſiue vt aſſentiens per illum firmiter ſuo obiecto adhæreat, adeo vt nullo modo, aut non niſi difficulter valde poſſit ab eo aſſenſu dimoueri, ex hac conditione oritur quod fideles ita fidei adhæreant, vt parati ſint potius omnem rationem naturalem abnegare, quam ab eadem diſcedere, vt patet in fidei aſſenſu circa myſteria Trinitatis, Incarnationis &c. quæ vtique ſuperant captum humanum, creduntur tamen firmiſſime à fidelibus, quamuis ratio naturalis, ea non penetret. ex quibus omnibus habetur, hanc firmitatem & certitudinem in aſſenſu fidei, circa doctrinam credendam, non poſſe haberi, niſi fidelis certo cognoſcat, eam doctrinam eſſe diuinitus reuelatam, hoc autem certo cognoſcere non poteſt, cum ſit quæſtio facti, an ſcilicet Deus reuelauerit, hanc doctrinam, quæ proponitur, niſi certo ſimiliter iudicet, propoſitionem Eccleſiæ eſſe infallibiliter connexam, cum illa doctrina diuinitus reuelata; ſed talis propoſitio non eſſet infallibiliter ſic connexa, niſi ipſa Eccleſia, in proponendo polleret infallibilitatis priuilegio, ne in proponendo erraret aut falleretur. Hinc iſtam fidei firmitatem inculcat Apoſtolus ad Gal. 1. *ſed licet nos, aut Angelus de Cælo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit*

&

& Lucæ 21. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. Ergo quam certum eſt verba Dei, non poſſe præterire, aut eſſe falſa, tam certum eſſe debet nobis, hæc ipſa verba, quæ nobis ab Eccleſia proponuntur eſſe verba Dei; ne verba diaboli pro Dei verbis credamus, quam certitudinem ſine Eccleſiæ proponentis infallibilitate habere non poſſumus.

SECTIO TERTIA.

Perpetua Eccleſiæ infallibilitas probatur ex alijs principijs vltro citroque admiſſis.

Cum diſſertationem iſtam, ex varijs huc vſque capitibus protexerim, nunc ordinem, ſeriemque illius, per media partibus altercantibus communia, produco, vnde ſit:

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex authoritate perpetua damnandi hæreſes, & neceſſitate eas vitandi, mutuo catholicorum, & reformatorum conſenſu admiſſa, infertur abſoluta neceſſitas perpetuæ infallibilitatis Eccleſiæ.

§. I. O*Portet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant.* inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. quare conſtans orthodoxorũ ſenſus ſemper fuit Eccleſiam pollere authoritate infallibili ad damnandas & reſcindendas hæreſes, hoc perpetua Eccleſiæ praxis teſtatur, exemplo Apoſtolorum act. 15. tot Synodos œcumenicas celebrantis, contra inſurgentes errores, contra gliſcentes abuſus: teſtantur idipſum, tot reſcripta, decreta, canones in hoc negotio, editi; hanc ipſam Eccleſiæ definientis & decidentis authoritatem fatentur reformatæ confeſſiones, Auguſtana art. 1. dicens rite damnatos olim fuiſſe Manichæos, Valentinianos, Samoſetanos &c. id ipſum tenet art. 8. de Donatiſtis, art. 9 de Anabaptiſtis. art. 12. de Nouatianis. VVittembergica, tit. de tribus perſonis, deteſtatur omnem hæreſim, quæ cum hac doctrina, de Trinitate ſcilicet pugnat & tit. de Spiritu Sancto, acceptat

ceptat decretum Concilij Conſtantinopolitani primi, contra Macedonium.confeſſio Gallica art. 6. quoad confeſſionem Trinitatis, recipit quidquid determinatum fuit, per antiqua concilia, deteſtatur omnes ſectas, & hæreſes, quæ reiectæ fuerunt, per ſanctos doctores. Heluetica prior cap.7.cenſuras olim in Epicureos, Manichæos, Marchionitas,fulminatas ratificat, alioſque hæreticos olim ſimiliter damnatos cap. 11. reijcit, *acceptatque, decreta quatuor primarum ſynodorum celebratarum*, inquit, *Nicææ, Conſtantinopoli, Epheſi, Calcedoniæ*, Baſileenſis, item reijcit art.11. errores ſanæ doctrinæ aduerſos: Scotica prior art. 20. fatetur cauſas conciliorum eſſe, partim ad hæreſes confutandas, partim ad publicam fidei confeſſionem poſteris tradendam; Belgica art 8.& 9. ait Arianos hæreticos, merito fuiſſe condemnatos: præmortuas hæreſes reijcit etiam Saxonica cap.2.Confeſſio Eccleſiarum reformatarum Poloniæ, & Ducatus Lithuaniæ, ait dari in Eccleſia, poteſtatem ſpiritualem clauium, aduerſus incredulos. Hanc eandem Eccleſiæ poteſtatem, ad condemnendas hæreſes,cenſuraſque contra hæreticos ferendas, agnoſcunt ſynodi reformatæ, Midelburgica anno 1581. num.1. 39. 62. 65. nationalis, Belgica, Germanica, Gallica anno 1578. à num.27.ad 95. incluſiue.concilia Eccleſiarum reformatarum Franciæ, habita anno 1559. 61. 62. 63. in titulis de ſynodis tam generalibus,quam ſpecialibus;quod igitur olim reformati in Eccleſia Romana, tam diris inſectabantur clamoribus, nempe conciliorum ius definitiuum ac deciſiuum; dura nunc cogente neceſſitate, contra expreſſa ſua principia, & incepti Schiſmatis fundamenta, retractare compelluntur, & tandem fateri in Eccleſia, abſolute neceſſariam eſſe publicam, & infallibilem iuriſdictionem, ad extirpandos errores, & continendos in officio populos, quam tamen poteſtatem, ipſi ſibi ſine temeritatis, arrogantiæ, & manifeſtæ contradictionis nota, aſſumere non poſſunt, vt ex prima parte conſtat.

§. II. Nunc ita diſcurro, tum catholicis tum reformatis, vltro fatentibus, non ſolum docti, ſed etiam rudes, indocti, ruſtici, fæminæ, opifices, poſſunt eſſe hæretici, & idcirco tales in hæreſi perſiſtentes, excommunicantur, & arcentur ab Eccleſia, atque adeo poſſunt eſſe pertinaces in ſuo errore, & tenentur veram Eccleſiam agnoſcere, & audire; ſi enim non tenerentur,nulla eſſet pertinacia, nec enim pertinax in ijs quis eſt habendus, quæ cognoſcere non tenetur: rurſus præfati omnes ſunt capaces pænæ, ergo & culpæ, ſimiliter tales, vt dixi, per cenſuras puniun-

niuntur, atque adeo peccant, non audientes Eccleſiam, nec amplectentes eius doctrinam, deteſtando contrarios errores. Tunc ſic, vel quilibet & quælibet poteſt per ſe, ſine recurſu ad Eccleſiam, in omnibus fidei controuerſijs, ſanam ab inſana doctrina, verum à falſo ſecernere, vel non poteſt; ſi primum, nulla eſt neceſſitas ſynodi, vel concilij: fruſtra igitur reformati ipſi approbant ſynodorum praxim, & vſum, erroneè, & deluſorie primorum conciliorum canones ac definitiones acceptant: fruſtra item inſurgerent paſtores Eccleſiæ contra errores, & errantes, fruſtra eos cenſuris compellerent, ad ſanam doctrinam redire. Si autem non poteſt quilibet, & quælibet, inter falſam & veram doctrinam, in punctis controuerſis diſtinguere, adeoque opus ſit ſuprema aliqua authoritate, quam audire tenentur, vtique illa debet nobis verum proponere, & declarare quæ ſit doctrina ſana, quæ ſpuria, quæ vera, quæ falſa; ſed hoc nequit præſtare, niſi polleat infallibilitatis priuilegio, in diſcernendo legitimo ſenſu textuum controuerſorum, maxime cum nulla vnquam exſtiterit hæreſis, quæ non iactaret ſe eſſe, in ſcriptura fundatam, & longum ſemper textuum ſacrorum catalogum allegaret: in quo locorum ſcripturæ conflictu, niſi Eccleſia eſſet infallibilis, non poſſet, oues ſuas certiores reddere, declarando hunc vel illum non eſſe genuinum ſcripturæ ſenſum.

§. III. Item vt conſtat ex dictis §. reſidet in Eccleſia iuriſdictio ad hæreſes damnandas, & excommunicandos contumaces, vt patet in primis œcumenicis concilijs procedentibus, per ſuas definitiones, & cenſuras, contra hæreſes ſui temporis; ſed non poſſet Eccleſia rite & legitime ſuam poteſtatem exercere, in condemnenda hæreſi, & compeſcendis per cenſuras obſtinatis, ſine priuilegio infallibilitatis, alias enim ſi fallibiliter, & cum errore, vel erroris periculo in prædicta cauſa procederet, non eſſet ratio, cur illa potius audienda eſſet, quam oppoſita hæreſis; cum hinc inde pariter ſoleant ſcripturæ citari. Ergo vt vna pars, præ altera, legitime audiatur, debet vna præ altera, certius & ſecurius difficultatem decidere; ſed impoſſibile eſt difficultates in cauſis controuerſis certo definire, niſi vna habeat infallibilem authoritatem, per quam infallibiliter deciſionem ſuam, edat & proponat: rurſus fideles & credituri expectantes præfatas deciſiones, ſi vni potius parti, præ altera adhærere debeant, ad idque obligentur, debent eſſe certi, vtra ex partibus rectius difficultates decidat, & exponat, ne hæreant in ambiguo, & ſint incerti,

quam partem debeant; ſequi ſed fideles, & crediturí nequeunt hoc certo ſcire, niſi conſtet eis, quod illa pars, cui adhærent, polleat authoritate infallibili ad eruendum verum ſenſum textus controuerſi, & ad condemnandum errorem oppoſitum: ſi enim ambæ partes æque eſſent incertæ, & fallibiles; ambæ eſſent pares, ambæ dubiæ, tunc vtique fideles & crediturí non poſſent certo, & indubitanter vni parti potius, quam alteri adhærere.

§. IV. Nec valet dicere, quod veri fideles debeant adhærere illi parti, quæ melius citat ſcripturas, eaſque ad inuicem confert, ac magis ſe textui ſacro conformat, nam tantundé de ſua doctrina pronunciabunt hæretici, cum & ipſi citent ſcripturas, eaſque ad inuicem conferant, clamentque ſe conformari ſcripturæ; ſicut hodie pro ſuis erroribus faciunt Iudæi, & olim fecere Ariani, qui in ſuo ſermone, apud Sanctum Auguſtinum, contra diuinitatem verbi & Spiritus Sancti, citarunt ſcripturas, viginti octo circiter vicibus, deinde hæc ipſa citatio, & collatio ſcripturæ, eſt actio procedens ab hominibus, qui niſi infallibilitatis priuilegio gaudeant, in ea certe errare poſſunt, ſicut errarunt hæretici, errantque hodie Iudæi. præterea, vt fideles iudicent ſe obligatos eſſe, ad orthodoxam fidem, præ hæreſi, debent ſcire, an Eccleſia certo proponat veram, potius quam falſam doctrinam. Implicat enim hominem eſſe rite fidelem, qui propoſita vtraque ſententia hinc inde ventilata, ad vnam præ alia, non ſe iudicat eſſe obligatum, nam ſi tam vnam, quam alteram mutuo ſibi contradicentes, diceret amplecti, nulla eſſet obligatio, ad vnam præ altera. Ad vnam tamen, eamque orthodoxam, & veram ex omnibus, obligatur fidelis quilibet. Habet ergo Chriſtiana Religio, ſeu vera Chriſti Eccleſia; ſpeciale aliquod priuilegium infallibilitatis, quo doctrinam credendam ab hæreſi ſecernat, & proponat.

§. V. Denique reformati, vt vidimus ſupra, admittunt definitiones veterum conciliorum, contra hæreſes illorum temporum, eorumque cenſuras approbant. Tunc ſic, vel iudicant prædictas definitiones circa myſteria in dictis concilijs deciſa, eſſe articulos fidei diuinæ, vel non iudicant? ſi primum, ergo præfata concilia habuérunt, ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ne ad inſtar hæreticorum, qui illa myſteria impugnabant, ſcripturaſque pro ſe allegabant, errarent, erroreſque ſuos, ſub anathemate, credendos proponerent, vt proponebant hæretici; ergo ſub tali

aſſiſtentia habebant eadem concilia, infallibilem authoritatem, ad diſcernendum verum à falſo: ergo ſimiliter illæ definitiones ſunt infallibiles, cum fuerint propoſitæ, tanquam articuli fidei diuinæ, cui non poteſt ſubeſſe falſum, atque adeo illa concilia, in condendis illis definitionibus, habebant authoritatem infallibilem; ſi reformati non iudicant præfatas definitiones eſſe infallibiles, vel articulos fidei chriſtianæ, fruſtra illa concilia eas condiderunt: fruſtra contumaces excommunicauerunt: fruſtra reformati eas admittunt: fruſtra fideles obtemperabant illis, fruſtra denique vlla diſtinctio, inter orthodoxos & hæterodoxos, in illis articulis aſſignabatur. item fatentur reformati, vt iterum repetam, eſſe in Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, in contumaces & nolentes acquieſcere ſuæ doctrinæ, ſed ſi Eccleſia erraret, vel errare poſſet in ſuis definitionibus, eſſet intolerabile, imo & crudele, quod quis excommunicaretur, & ſeparetur ab Eccleſia, quia non vellet doctrinam dubiam amplecti; eſſet autem inaudita tyrannis Eccleſiæ, quod ferret cenſuras in eos, qui non aſſentirentur doctrinæ, quam tamen, ipſa Eccleſia poſſet dubitare, an eſſet inſpirata à Spiritu Sancto, an ſuggeſta à ſpiritu diabolico: ruſſus ſi non eſſet infallibilis in definiendo Eccleſia, quæſo quam prærogatiuam haberet ſupra hæreticum, vel contumacem in ſuo errore? diceret ille, ſe tantundem valere in hoc negotio, quantum valet Eccleſia, & ſic nulla eſſet differentia in hac cauſa, inter Eccleſiam, & contumacemem illum, cum ſecluſo infallibilitatis priuilegio, illa & ille paribus fallibilitatis gradibus incederent, adeoque nunquam ille legitimè vel valide poſſet corrigi, ſi Eccleſia in corrigendo non haberet aliquam prærogatiuam, ſupra tales contumaces, & conſequenter niſi eſſet infallibilis: vt igitur rite vitemus errores & hæreſes, vt tuto poſſimus obedire definitionibus Eccleſiæ, idque ſub damnatione æterna, debemus agnoſcere in ipſa Eccleſia, infallibilem authoritatem definiendi ſanam doctrinam, condemnandi hæreſes, cenſuras in contumaces ferendi, & proponendi orthodoxam ſententiam fidelibus, & credituris, abſque erroris periculo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Probatur eadem Eccleſiæ infallibilitas, ex neceſſitate credendi ſymbolum.

§. I. NOn ſolum catholici, ſed etiam reformati habent ſuos catechiſmos, in quibus prætendunt ſe comprehendere, & explicare articulos fidei, an bene an male, modo non diſputo, hoc mihi ſufficit nunc, quod prædicti reformati communiter aſſerant ſymbolum Apoſtolicum neceſſario credendum eſſe, item & recitandam eſſe orationem dominicam, *corde autem creditur ad iuſtitiam*, inquit Apoſtolus ad Rom. 10. *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Non enim ſufficit ore proferre articulum credendum, ſed præterea requiritur, vt corde credatur percipiendo ſenſum, ſi enim ſufficeret, voces ſeu litteras ſolummodo pronuntiare, & ſenſum non curare, non eſſet differentia inter fideles, et pſittacos, imo ſic Turcæ, & Iudæi, vel ex ioco, vel ex curioſitate vel caſu pronunciantes ore ſymbolum, non curantes de ſenſu, eſſent Chriſtiani, quod eſt falſum. Vult ergo Apoſtolus, vt prius corde credatur, hoc eſt, vt animo concipiatur res credenda, ſeu obiectum credibile, & deinde illud ipſum, quod ſic animo concipitur, ore & voce proferatur. Voces autem ſunt earum rerum, quæ in animo latent, ſigna, atque adeo ſignificant, tam res ipſas, quam conceptum, quem voces proferens habet, de dictis rebus: debet igitur fidelis quiſque, non ſolum vocaliter ſymbolum pronunciare, ſed etiam corde, eius ſenſum determinatum concipere, ne fideles ſint inſtar bruti animalis; ſed potius ſint, quorum ſit rationabile obſequium, qui pro cuiuſque captu magis, vel minus ſciant, quid determinate credant, quo ſenſu, neceſſitate, obligatione.

§. II. Ad rite igitur & debite credendum ſymbolum, neceſſaria eſt infallibilis authoritas, quæ declaret genuinum ſenſum articulorum, ſatisfaciat dubitantibus, & interrogantibus, errores oppoſitos diſcernat, manifeſtet, & prohibeat; notum enim & compertum eſt, ab initio Eccleſiæ, ad hodiernum vſque diem, varias exortas fuiſſe difficultates, circa præfati ſymboli determinatum ſenſum; vti igitur in vno determinato ſenſu credi debet, ita fideles, & crediturí ſcire debent, pro cuiuslibet captu, magis

vel

vel minus diſtincte, quis ex varijs, & controuerſis ſenſibus ſit ille, quem determinate profiteri, & credere debent, vel enim ſinguli ſenſus poſſunt libere credi, vel non? ſi primum, ergo nulla eſt certa, & firma fides, quæ nullum habet determinatum obiectum, in quod determinate feratur, dum profitetur ſymbolum; ſi non debent fideles credere ſingulos ſenſus, vnum ergo ex omnibus debent credere, ſi vnum, debent ſcire, quis ſit ille determinatus ſenſus, determinate credendus, & percurrendo præfatos articulos debent fideles, & crediturí ſcire, cui parti ex duabus contrarijs, & inter ſe de expoſitione ſymboli altercantibus, præbeant aſſenſum.

§. III. Quod oſtenditur diſcurrendo per ipſos articulos, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli, & terræ*. Interrogare quis poſſet, an hunc articulum, debeant fideles credere in ſenſu Manichæorum, Valentinianorum, Apollinariſtarum aſſerentium duos creatores? an in ſenſu oppoſito tenente vnum? *& in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum*, an in ſenſu Arianorum & ſequacium negantium diuinitatem verbi? an in oppoſito aſſerente eandem diuinitatem, & conſubſtantialitatem cum patre? *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*. An in ſenſu Neſtorianorum, negantium vnitatem perſonæ, vel Eutychianorum negantium diſtinctionem duarum naturarum, vel Monotheliarum inficiantium duas in Chriſto voluntates, vel Cerdonitarum, Manichæorum negantium veram eius humanitatem? an in altero ſenſu, tenente in illo, duas naturas impermixtas, duaſque voluntates, in vna perſona? *paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt*. an in Marcitarum, Baſilidianorum, Mahometanorum, negantium verè paſſum, mortuum, ſepultum, aut reſuſcitatum, ſed apparenter: an in oppoſito ſenſu, tenente vere & realiter iſta contigiſſe in Chriſto? *aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris*. Num in ſenſu Apellis ſine vera carne, an è contra, in ſenſu tenente cum vera carne ibi ſedere? *Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos*. an iudicio iam ab ipſo facto, & exercitato, vt volunt Gnoſtici, Procliniani, Manichæi? an iudicio reuera in fine mundi futuro? *Credo in Spiritum Sanctum*; an in ſenſu Macedonij negantis, eius diuinitatem, & ſchiſmaticorum græcorum, negantium illius proceſſionem à patre & filio? an in contrario aſſerente, ab vtroque eandem proceſſionem, & cum vtroque conſubſtantialem, & conglorificationem. *Sanctam Eccleſiam catholicam*, quam quæſo Eccleſiam fideles hic credere debent? an Schiſmaticam?

Græ-

Græcam? an Lutheranam? an Caluiniſticam? an Puritanam? an Vuinglianam? Præsbiterianam, Anabaptiſticam, Tremulanam ſeu Quakerianam? Socinianam? Armenianam; Antrinitariam? an poſtremo Romanam? an omnes ſimul? an vnam ex omnibus; non omnes ſimul, ne contradictoria, in quibus ſibi inuicem opponuntur præfatæ ſectæ, fideles contra lumen rationis, profiteri cogantur. Ergo vnam ex omnibus; ſed redit iterum quæſtio, quam ex omnibus, & cur illam potius, quam aliam, vel cæteras? *Sanctorum communionem*; quam? an ſolam fidelium vnionem cum Chriſto, an piorum præterea, inter ſe operum communicationem, & participationem? *remiſſionem peccatorum*, an ſine prævia diſpoſitione, & operibus iuſtificati, tanquam conditionibus requiſitis; an ſola fide, an imputatione iuſtitiæ Chriſti? an collatione, & infuſione gratiæ, & vera deletione peccati? *carnis reſurrectionem*, an veram & realem, vt catholici? an falſam, & nunquam futuram, vt multi hæretici? *vitam æternam*: an per collationem coronæ, intuitu bonorum operum, vt credunt Catholici? an ſine vllo reſpectu operum, vt tenent reformati?

§. IV. Præfatos articulos tenentur veri fideles ſub damnationis æternæ pœna credere, idque firma, certa, & indubitata fide; ſed niſi ſingulos articulos in vno determinato ſenſu crederent, non poſſent eos credere firma, certa, & indubitata fide: Subſumo, ſed ad determinandum hunc ſenſum credendum, abſolute requiritur infallibilis authoritas; quæ eum definiat; nam ſi fides credentium vage feratur, in quemcumque ſenſum, non eſſet certa aut firma, imo nec vera fides. v. g. ſi quis indifferenter crederet Chriſtum eſſe, vel non eſſe verum Deum, eſſe vel non eſſe verum ſimiliter hominem, habere vel non habere duas voluntates, &c. hanc eſſe, vel non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſi fides, inquam, indeterminate tenderet in ſingulos hos ſenſus; & in nullum determinate, non poſſet eſſe firma aut certa fides, quia non ferretur in vnum, firmum, & certum obiectum; vt ergo vna vera, certa, & firma ſit fides, dum credit articulos ſymboli, debet in eos tendere, in vno determinato ſenſu, & non in vago, dubio, & contradictorio, atque adeo debent præfati articuli proponi fidelibus, & credituris in vna determinata, & certa ſignificatione: ſed certa iſta expoſitio, & propoſitio petit neceſſario, certam, infallibilem authoritatem, quæ infallibiter inter tot hæreſes, & ſenſus contrarios, eum exprimat, & proponat. Rurſus cum inter tot, & tam multiplices ſymboli ſenſus, vnicus tantum ſit verus, & ortho-

thodoxus, quem fideles credere tenentur, & hic ſenſus non poſſit haberi, niſi à vera Eccleſia, quæ vera ideo dicitur, ipſis etiam reformatis vltro fatentibus, quia veram colit, & proponit doctrinam, ſeu in qua verbum Dei pure prædicatur, vt ad labium ipſorum loquar; cumque omnes ſectæ titulum, nomenque Eccleſiæ ſibi vindicent, quæ tamen non omnes ſunt veræ, impoſſibile eſt fideles poſſe aſſequi, verum articulorum ſenſum, niſi determinate credant vnam determinatam eſſe Eccleſiam, quæ ſola ex omnibus hunc verum ſenſum poſſidet, & tradit, qualiter autem dignoſci hæc Eccleſia poſſit, infra dicam; vti igitur debent fideles hanc veram, & determinatam Eccleſiam cognoſcere, debent ſimiliter ſymbolum credere, iuxta ſenſum ab eadem Eccleſia propoſitum: hic autem ſenſus eſt obiectum, in quod fides credentium tendit, ſed hæc fides neceſſario petit eſſe vera, adeoque infallibilis: ſed vera & infallibilis eſſe non poſſet, niſi ſenſus in quem, tanquam in obiectum fertur, eſſet verus & infallibilis; hic autem ſenſus, non poteſt certò conſtare fidelibus, niſi Eccleſia ſit infallibilis, vt eum certo definiat & ſecernat à ſenſu hæreticorum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Eadem Eccleſiæ infallibilitas probatur ex neceſſitate obſeruandi præcepta, & rite adminiſtrandi, & ſuſcipiendi ſacramenta.

§. I. VT incipiam à decalogo, eius obſeruantiam eſſe neceſſariam, conſtat ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, hanc obligationem fatentur reformati in ſuis catechiſmis paſſim; cum autem lex ſit recta agendorum, vel omittendorum ratio, atque adeo ſit etiam regula humanorum actuum applicata voluntati per dictamen practicum, ſeu cognitionem intellectus, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum, debet neceſſario eſſe promulgata, ſeu denunciata illis, qui ad eam obligandi ſunt, idque quo ad ſuam materiam, ſenſum, obiectum, circumſtantias, voluntatem legiſlatoris; ad hoc vt qui legem implent, habeant voluntatem faciendi id, quod præcipitur, cum enim lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo

ſit implenda, hinc impletio præcepti, ſiue humani, ſiue diuini, debet eſſe actus humanus, coniunctus cum libertate, & voluntate operantis, id eſt, vt velit ſeu intendat facere hoc, quod eſt præceptum. Sed hoc nequit intendere, niſi ſciat, quid determinate præcipere, vel prohibere velit ipſa lex, quare vti neceſſario requiritur promulgator legis, ita etiam & interpres, qui eius mentem, & verum ſenſum exponat. Vnde cum Chriſtus Matth. 28. præceperit Apoſtolis, *euntes docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*, Certe credituri & fideles debent cognoſcere, quæ & quanta ſint illa præcepta, quantum obligent, an, & quid præmij, vel pænæ maneat obſeruantes, & tranſgreſſores, alias non poterunt legem ipſam rite implere, vt patet de pueris, rudibus, ignaris, in quorum gratiam ſunt doctores, prædicatores, & interpretes, de quibus Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. & ad Epheſios 4. quæ munera, vt ſincere, & ſine erroris periculo fiant, oſtendunt neceſſitatem infallibilis authoritatis, quam inſtar regulæ, in eiuſmodi munijs, & expoſitionibus ſequi debent præfati doctores, prædicatores, interpretes.

§. II. Vt patet breuiter diſcurrendo, vt art. præcedenti per ipſa præcepta. v. g. quid præcipitur, & prohibetur per primum præceptum? qui actus conſtituant eius materiam? an interni, an externi? an ambo ſimul? quæ ſint huic præcepto oppoſita? & quot ſpecies vitiorum oppoſitorum? item de ſecundo ſciendum, quid ſit aſſumere Nomen Dei in vanum? quid iuramentum? quando, quomodo, quibus de cauſis, & cum quibus circumſtantijs iurare liceat? quanta iuramenti obligatio? quæ commutatio, remiſſio? an huc reducatur votum? quid ſit, an fieri licite poteſt? in qua materia? circa quod obiectum? an obliget & quantum? an & quomodo diſpenſabile, vel diſſolubile? an, & quæ detur ad id poteſtas? rurſus circa tertium, de Sabbato vel diebus diuino cultui conſecratis, quæ opera in eis licita, vel illicita? quis cultus in eis exhibendus? circa quartum præceptum ſciendum ad quid teneantur liberi erga parentes? quo gradu, & menſura debeantur eiſdem parentibus, amor, obedientia, reuerentia? an alij præter parentes honorandi, & qui? de quinto, quid nomine homicidij intelligatur? an, quomodo, quibus de cauſis, alium licet occidere? quid vetetur ſexto præcepto? an & quanta ſint peccata, oſcula, amplexus, tactus, extra matrimonium? quot modis contingat peccari contra hoc præceptum? ſequitur ſeptimum, de furto, quo prohibetur damnificatio proximi? ſciendum pro-

inde quid ſit furtum?quæ illius quantitas neceſſaria ad peccatum mortale? quid de pluribus furtis? quid reſtitutio? an & quomodo obliget? quinam ad eam tenentur, qui excuſentur? quid de bonæ, & malæ fidei poſſeſſoribus? quid de alijs iniurijs illatis? quid & quot modis fiat dolus in contractibus? quomodo in eo caſu reſarciendum damnum illatum? qui contractus liciti? qui illiciti? quid de vſura, venditione, emptione, negotiatione, cambio, emphyteuſi, feudo, ludo, ſponſione, contractu ſocietatis, pignore, hypotheca, tutela, teſtamento? quoties & quomodo in his peccatur? item circa octauum, quid nomine falſi teſtimonij intelligitur? & quot modis fit? quos actus internos prohibeant, nonum & decimum præceptum? quanta aduertentia, deliberatione, libertate opus ſit, ad internas concupiſcentias, peccaminoſe eliciendas? quid dicam de præceptis Euangelicis, quæ Chriſtus legifer noſter tulit? certe iſta etiam ſciri debent ab ijs, qui doctrinam Euangelicam profitentur. Quid de præceptis Eccleſiæ, quæ etiam à Chriſto poteſtatem legiſlatiuã accepit Matth. 18. *quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo. dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit &c.* proponi etiam iſta & doceri debent.

§. III. Certum eſt iſta omnia, obligare ad ſui obſeruantiam, ſub damnatione æterna, certum item eſt, licet præcepta decalogi ſint de iure naturæ, non tamen poſſe perfecte ſciri, quoad omnes ſuas materias, determinatos actus, circumſtantias, ſpecies, ab omnibus promiſcue, ſine inſtructore, & interprete. Non eſt dubium etiam quin circa illa olim, aliqui errauerint, vt Manichæi, & noſtro ſæculo, Lutherus, Caluinus, & quotquot tenent ſolam fidem, ſine vllo influxu bonorum operum (quæ vtique in obſeruantia mandatorum exercentur) ad iuſtificationem, & ſalutem conducere, vt reformati paſſim in ſuis confeſſionibus aſſerunt, quamuis ſui immemores, decalogum in ſuis catechiſmis, ad ſummam doctrinæ chriſtianæ, ad vitam æternam neceſſariæ, pertinere fateantur; ne igitur fideles, & credituri, inſtar Brutorum, dicantur legibus diuinis aſtringi, ſane debent ſcire ipſam legem, eius ſenſum, mentem, materiam, obligationem, eo modo, quo ſunt capaces, ne in illa obſeruanda excedant, vel deficiant, ex defectu perfectæ notitiæ, ad operationes voluntatis deliberate, & recte producendas requiſitæ, ex quibus manifeſte infertur, hoc ipſo, quo Deus obligauit credituros, & fideles, ſub reatu gehennæ, ad ipſam legem, reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ, infallibilem authorita-

tem, qua illam humano generi, ſine erroris periculo, exponeret ac promulgaret, cum enim Deus, hanc eſſentialem dependentiã voluntatis, ad intellectum proponentem obiecta, ſtatuerit, vt nihil ſit volitum, quin præcognitum, non poteſt ex infinita ſua miſericordia, obligare voluntates humanas, ad id, quod ipſis nunquam proponitur: ergo hoc ipſo, quo voluit eaſdem voluntates, ad leges ſuas obligare, voluit ſimiliter ſtatuere, certum modum, quo prædictæ leges, infallibiliter eiſdem promulgarentur: ſicut igitur fideles & credituri debent, ipſam legem obſeruandam ſcire, ita ſimiliter ſcire debent, quomodo caueant errores, & vitia oppoſita ipſi legi: ergo abſolute neceſſaria eſt infallibilis Eccleſiæ authoritas, quæ inſtar regulæ definiat, ac declaret, quæ ſit ſumma obſeruandorum, quo ſenſu, quibus actibus, tempore, loco, intentione &c. ſit adimplenda iſta ſumma.

§. IV. Supereſt id ipſum probare, ex neceſſitate rite ſuſcipiendi, & adminiſtrandi Sacramenta, quorum legitimam adminiſtrationem, reformati pro vera Eccleſiæ nota aſſignant, an bene, in prima parte ventilaui. Hoc interim pro comperto habendum, Sacramenta eſſe media, quibus Chriſti merita nobis communicantur, adeoque eſſe neceſſaria, ad noſtram ſalutem: igitur fideles & credituri, debent certa ſcire, quæ, & quot ſint illa Sacramenta? quænam eorum legitima forma, & materia? quis legitimus miniſter? quam gratiam, quem ſpecialem effectum, ſingula Sacramenta cauſent? notum autem eſt orbi Chriſtiano, quantæ ſint hodie altercationes de numero, ſenſu, forma, materia, neceſſitate Sacramentorum. quid dicam de vna Euchariſtia? quot volumina, quot libri, de illa vltro, citroque ſcripti, idque inter ipſos reformatos? & tamen ab huius Sacramenti debita vel indebita intelligentia, ſuſceptione, adminiſtratione pendet ſalus, vel mors noſtra, Ioan. 6. *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: 1. ad Corinth. 10. *qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat & bibit*; quid dicam de pænitentia, quæ ſub grauibus minis in ſcriptura præcipitur? ergo debet fidelibus, & credituris certo conſtare, quæ & quot ſint Sacramenta? quid operentur? quando, vbi, quam neceſſario ſuſcipienda? ergo debet exſtare infallibilis authoritas in Eccleſia, quæ difficultates de eis ortas diſſoluat, ſenſum explicet, materiam, formam, effectum, neceſſitatem, miniſtrum declaret; quam ergo neceſſaria eſt in Eccleſia, legitima Sacramentorum adminiſtratio, & ſuſceptio, ac legis diuinæ obſeruantia, tam neceſ-

ſarium

ſarium eſt, vt fideles & credituri ſciant, quid importet iſta obſeruantia, adminiſtratio, ſuſceptio, ne defectu mediorum, quæ alias ſunt neceſſaria, damnentur: hoc autem ſcire certo non poſſunt, præſertim rudes, & ignari, ac infideles, niſi exſtet infallibilis Eccleſiæ authoritas, quæ iſta eis declaret, & certo proponat. Concludo igitur ex ipſis reformatorum principijs, illam ipſam ſummam doctrinæ Chriſtianæ, ad ſalutem neceſſariæ, & ab eiſdem reformatis deſignatæ, non poſſe fidelibus, & credituris certo conſtare, niſi in præfata Eccleſia exſtet authoritas, quæ ſenſum, difficultates, neceſſitatem, prædictorum infallibiliter exponat & promulget.

SECTIO QVARTA.

Quatuor vulgares notæ Eccleſiæ ab omnibus chriſtianis communiter admiſſæ, nempe, vna, ſancta, catholica, & Apoſtolica, probant ſimiliter Eccleſiæ viſibilis infallibilitatem.

Has notas, vt ſupra vidimus, cum catholicis admittunt reformati, cum agnoſcant ſymbolum Conſtantinopolitanum,

ARTICVLVS PRIMVS.

Non poteſt Eccleſia Chriſti eſſe vna, niſi detur in ea infallibilis authoritas, quæ dirigat, & conſeruet illam eandem vnitatem.

§. I. VNitas tripliciter ſtatuitur, nempe in vnione fidei, in communione charitatis, & Sacramentorum, in obedientia ouium ad ſuos paſtores. Quod autem vnitas, quoad tria hæc capita nunquam obſeruari poſſit, abſque infallibili Eccleſiæ authoritate, facile oſtenditur, & incipio ab vnione fidei: hanc vnitatem inſinuat Chriſtus Ioan. 17. *non pro eis tantum rogo, ſed & pro eis, qui credituri ſunt, per verbum eorum in me, vt omnes vnum*

ſint; ſicut tu pater in me, & ego in te, tu & ipſi, in nobis vnum ſint. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. Et Apoſtolus ad Epheſ. 4. *vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut & vocati eſtis, in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & pater omnium*; & act. 4. *credentium in domino, erat cor vnum & anima vna.* Vnitas ergo fidei, in hoc conſiſtit, vt ſit vnum commune ſymbolum, non diuerſum, vt diuerſæ ſunt reformatorum confeſſiones, Anglica, Scotica vtraque, Gallica, Belgica, Auguſtana, Heluetica vtraque, Baſileenſis, Saxonica, VVittembergica, Bohemica, Polonica; & vna ſimiliter ſit communis expoſitio, ac interpretatio credendorum, vt nempe in eodem ipſo ſenſu, expoſitione, declaratione, in quibus veri fideles, omnes ſymboli, & reliquorum credendorum articulos profitentur, in vna orbis parte; ita reliqui fideles, per orbem diffuſi, non in contrario, aut diuerſo, ſed in eodem ſimiliter ſenſu, præfatos articulos credant, adeo vt in Gallia, Hiſpania, Germania, Anglia, Hibernia, Scotia, Indijs, &c. fideles myſteria reuelata, eodem modo, & eadem intelligentia credant, quibus creduntur Romæ, & è conuerſo, ad hoc vt fideles ſic in credendo vniformes, & vnanimes, vnam conſtituant Eccleſiam, quæ ſemper vna & eadem ſit: hoc eſt, quæ non exoriatur hoc anno, altero autem anno occidat, vel deficiat, quæ nunc de articulis credendis vno modo ſentiat, & iudicet, alias vero aliud & diuerſum opinetur, quod lepide Dux Saxoniæ de Lutheranis pronunciauit, *quid vicini mei VVittembergenſes hoc anno credant, forte ſcio, quid proximo anno credituri ſint ignoro*; ea ergo erit vna Eccleſia, quæ vnum & idem vniformiter, & ſtabiliter de rebus iiſdem ſemper ſenſerit, & ſentiat, vt v.g. de illo articulo, *& in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum*, ſemper ſentiat, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, non autem anno præterito verum Deum, hoc anno, puram creaturam tantum, & ſic de reliquis articulis, ſed vnum eundemque ſenſum, ab initio acceptum conſtanter profiteatur, & credituris ſucceſſiue proponat.

§. II. Quod vlterius patet ex ipſa fidei diuinæ natura, quæ non niſi vero diuinitus reuelato aſſentire poteſt, hæc autem reuelatio eſt immutabilis, conſtans ſibi ipſi, nunquam contraria, ſed vna eademque, ſemper ſibi ſimilis, & vniformis: ita vt ſi ſemel Deus reuelauit, hunc vel illum articulum credendum, & in hoc determinato ſenſu intelligendum, nunquam oppoſitum, circa eundem articulum, eiuſue ſenſum reuelet, aut reuelaturus ſit. Vti

enim

enim ſemel verum eſt, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, cum proprietatibus vtriuſque naturæ integre, & impermixte manentibus, ita oppoſitum huius nunquam verum erit v.g. non eſſe verum Deum & hominem; & de omnibus alijs articulis idem eſto iudicium, adeo vt ſenſus ille omnium articulorum fidei, quos hodie credimus, ſit idem ipſe, in quo credebantur temporibus Apoſtolorum, & hoc modo fides dicenda eſt perpetuo vna; hinc ſi hic ſenſus eſſet varius, ita vt hoc anno crederentur articuli in vno ſenſu, & anno præterito, vel futuro, in alio diuerſo ſenſu, fides huius anni, non eſſet vna & eadem, cum fide præteriti, vel futuri anni, circa eoſdem articulos, & ſic ſi fides præteriti anni, vel ſæculi eſſet vera, certe fides huius anni vel ſæculi tendens ſub diuerſo ſenſu, à priore olim intellecto, in illos articulos, eſſet falſa: cum vera fides non tendat, niſi in articulos vere & realiter reuelatos, & ab Eccleſia propoſitos; atqui ſicut Deus de potentia ſua abſoluta, non poteſt dictare falſa, vel mendacia, ita non poteſt reuelare contrarios articulos, aut oppoſitos eorundem articulorum ſenſus. Vti ergo vnitas veræ fidei, pendet ab vnitate veracitatis diuinæ reuelantis, ita etiam petit tendere in articulos ab eadem veracitate reuelatos, in vno eodemque ſenſu intellectos, & in tali vniformi ſenſu, ſine varietate, contrarietate, vel volubilitate, aut mutatione ab Eccleſia propoſitos, & perpetuo creditos.

§. III. Hæc autem fidei vnitas, & credentium vniformitas, non poteſt haberi, vel conſeruari, ſine infallibili Eccleſiæ authoritate, quam veluti regulam, omnia Eccleſiæ membra, in credendo, ſequantur; vti probo, nam deficiente huiuſmodi regula, quæ vnum ſemper commune ſymbolum, in vno communi ſenſu, vniformiter, omnibus fidelibus, & credituris proponat, neceſſarium eſſet, vt quilibet, ſuum particulare iudicium, & opinionem, pro regula ſequeretur, in diſcernenda vera fide à falſa, in agnoſcendo vero ſenſu alicuius articuli, inter Chriſtianos controuerſi, cuius particularis iudicij abſurditates late retuli, prima parte diſt. 2. 3. 4. vel certe, quia vulgaris populus, & fideles indocti, non poſſunt ſuo iudicio prædicta diſcernere, cum hinc naſcatur ingens ille labor, eadem prima parte inſinuatus, de onere particularis ſcrutinij inſtituendo, neceſſarium eſſet, vt vnuſquiſque populus, doctorem aliquem, pro regula ſibi proponeret, tunc autem tot eſſent regulæ, quot iudicia doctorum, ac tot eſſent Religiones, quot doctorum capita; cum hoc ſit naturale homini-

bus, vt inter ſe vix conueniant, in iudicijs, & opinionibus, præſertim in rebus, quæ nec intellectui, nec ſenſui euidenter apparent: quod vel ipſa reformatorum experientia euidenter demonſtrat, cum ſint perpetua diſſidia inter Presbiterianos, & Proteſtantes, Lutheranos, & Caluiniſtas, Tremulos, Soncinianos, Trinitarios, Antitrinitarios, Anabaptiſtas, Independentes. patet vlterius, cum oriantur quotidie de articulis credendis difficultates; niſi autem ſit infallibilis aliqua regula, quæ reſpondeat, & deciſionem edat, rurſus vnuſquiſque redire debet ad proprium arbitrium, ſine ſpe concordiæ, vnitatis, vel pacis, vt igitur fideles in credendo ſint concordes, vnum corpus, vna Eccleſia, debet exſtare infallibilis authoritas, in eadem Eccleſia, quæ & vnitatem conſeruet, & diuerſitatem tollat.

§. IV. Quæ omnia egregie exprimit Sanctus Irenæus, lib. 1. cap. 1. *cum hanc prædicationem acceperit, & hanc fidem Eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter credit, quaſi vnam animam habens, & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi vnum poſſidens os, nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt, & neque aliter hæ* (ſcilicet traditiones ſeu dogmata fidei) *quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ; ſed ſicut ſol creatura Dei, in vniuerſo mundo, vnus & idem eſt, ſic & lumen, & prædicatio veritatis, vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire* vult dicere quod vnitas fidei, in hoc conſiſtat, vt eadem ſint fidei dogmata inter omnes fideles in Lybia, Iberia, oriente, occidente, non diuerſa, non oppoſita, vt vna traditio, ſeu fides ſit in Hiſpania, alia in Italia, diuerſa ab omnibus inter fideles in Germania, vel Gallia, vel in eadem etiam domo, vt pater Lutheraniſmum, mater Caluiniſmum, filius Arminianiſmum, filia Soncinianiſmum, Ancilla Presbiteraniſmum, famuli Anabaptiſmum profiteantur, ſed vnum idemque vniformiter ab omnibus fidelibus, vbique locorum credatur, quæ certe vnitas abſolute exigit ſæpe dictam regulam, ſeu infallibilem authoritatem, quæ eandem vnitatem ſemper tueatur, & propaget, quod etiam eleganter exponit Sanctus Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, *Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis, extenditur, quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum; & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum, & cum de fonte vno, riui plurimi defluunt, numeroſi*

meroſitas licet diffuſa videatur, vnitas tamen ſeruatur in origine: auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit, à fonte præcide riuum, præciſus areſcit, ſic & Eccleſia, Domini luce perfuſa, per orbem totum, radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. Hæc ille; erit igitur Eccleſiæ infallibilis authoritas, inſtar ſolis vnius, doctrinæ ſuæ radios vniformiter diffundens, inſtar vnius arboris, ſuos ramos vndequaque ex vno trunco emittens; inſtar vnius fontis, ſuos riuos æqualiter, ex vno capite eructans, hæc authoritas erit illa regula, illa menſura, quæ regulet, vniformiter proponat, foueat vnitatem fidei, in omnibus vbique fidelibus, vt in eadem fide viuant vnanimes, & vnius moris in domo.

§. V. Quod tandem patet ex communione charitatis, & Sacramentorum inter credentes, eorumque ad ſuos paſtores obedientia, vt iuxta monitum Apoſtoli 1. ad Corinth. 1. obſecrantis *vt idipſum dicant omnes*, ſcilicet fideles, *& non ſint in eis ſchiſmata, ſed ſint perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*, vt mutuam in rebus fidei habeant charitatem, diligentes inuicem, ſicut Chriſtus dilexit nos, non mordentes inuicem, quoad dogmata credenda, ne ab inuicem conſumantur, non in ſectas & ſectiones diuiſi, non hinc inde per varias confeſſiones, & articulos diſtracti; ſed habitantes fratres in vnum; in eiſdem Sacramentis, quoad eundem numerum, ſenſum, materiam, formam, vt idem ſit numerus, eadem materia, & forma, idem ſenſus, quoad Sacramenta ſuſcipienda, & adminiſtranda inter fideles vbique locorum, reſpicientes, ad hęc omnia conformanda, ad vnam infallibilem regulam, ac proinde inuiolabiliter, vniformiter, & vnanimiter præſtantes obedientiam eidem regulæ, ſeu ſupremæ Eccleſiæ definientis & docentis authoritati, quæ omnibus ſuis membris, & inferioribus miniſtris præſit, ne ſinguli & ſingulæ, ſint ſupremi doctores, interpretes, iudices, inter quos, cum oritur difficultas, vel diſſidium, ſuprema illa poteſtas lites decidat, difficultates ſoluat & componat, errantes corrigat, vnitatem reſarciat, quemque in ſuo officio contineat: impediat ea omnia abſurda, quæ parte prima, diſt. 2. retuli, vnam tandem in populo fideli religionem, mutuam in credendis articulis concordiam alat, coerceat hæreſes, ſchiſmata, & diuiſiones impediat: quæ nunquam in Eccleſia ſperari, vel obtineri poſſunt, niſi exſtet in illa, infallibilis authoritas ad prædicta rite & debite exequenda.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Probatur Eccleſiæ infallibilitas, ex hoc etiam capite, quod debeat eſſe ſancta.

§. I. HAnc ſanctitatem tripliciter etiam conſiderant Authores, ſcilicet in doctrina, in moribus, in miraculis. Sanctitatem doctrinæ omiſſis alijs, hic ſpecialiter expendam. Nam reformati in ſuis confeſſionibus, præcipuam Eccleſiæ notam, aiunt eſſe puram doctrinam, vt 1.p.diſt.1.vidimus,& quamuis hæc doctrinæ puritas, vt ibidem dixi,non oſtendat Eccleſiam clare & diſtincte rudibus, & infidelibus, fatendum tamen eſt veram Eccleſiam, non poſſe ſubſiſtere ſine puritate doctrinæ, ita, vt non minus vera fides, quam ſana doctrina, veram Eccleſiam conſtituant,eſto eam non oſtendant, nec demonſtrent perſpicue, ita vt ſint bini eius oculi, cor & anima,eam viuificans,& componens;pura igitur doctrina,vtiq;eſt ipſa doctrinæ ſanctitas,quæ dupliciter diſtingui poteſt,alia quæ eſt ſpeculatiua,pertinens ad fidē, alia quæ eſt practica pertinens ad mores,doctrina ſpeculatiua eſt, ne in Eccleſia doceatur aliquid fidei diuinę,aut veritati contrariū, doctrina practica eſt, ne etiā in Eccleſia doceatur aliquid in moribus,quod rectæ rationi,legi naturali, vel diuinæ ſit aduersū; vnde aliud eſt doctrinā practicā,ſeu dictantem,quomodo formandi ſint mores,eſſe ſanctam & puram,& aliud mores ipſos eſſe ſanctos;doctrina enim paſtorum Eccleſiæ ſolet & debet eſſe ſancta,licet multi eorum habeant impios, & prauos mores, quod bene diſtinxit Chriſtus Matth. 23.*Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis,ſeruate, & facite;ſecundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt*, Dum Chriſtus mores talium vitandos,doctrinam ſequendam monet, ſatis oſtendit, doctrinam ſanam, & ſanctam poſſe ſtare, cum prauis moribus.

§. II. Petit igitur iſta doctrinæ puritas, & ſanctitas primo, vt ſit immunis ab omni errore, ſecundo vt non ſit radix, vnde ſequantur errores,tertio ſit principium dictans honeſtatem virtutum, ſeu *conuertens animas, & ſapientiam præſtans paruulis*, ex primo capite ſic diſcurro,veritas cōſiſtit in indiuiſibili,ita vt eadem propoſitio, non poſſit ſimul, & ſemel eſſe vera, & falſa: veritas

igitur

igitur à ſe excludit falſitatem; atqui ſic doctrina fidei, vtpote diuinitus reuelata, eſt neceſſario vera, & in hoc ipſo ſenſu, neceſſario ſancta, pura, immaculata; e contra hæreſes ſunt falſæ, erroneæ, & impuræ, à diabolo dictatæ. Fides item fundat ſanctitatem, hæreſis radicitus ſanctitatem tollit. Cum igitur ſanctitas conſtituat Eccleſiam Sanctam; certò è contra impietas doctrinæ, non niſi Synagogam Satanæ conſtituere poteſt: requirit ergo doctrinæ puritas, & ſanctitudo, vt non inficiatur erroribus, vel impoſturis, ita vt Eccleſiæ ſanctæ dogmata, nulla contaminentur hæreſi, non Ebionis, non Arij, non Neſtorij, non Sabellij, non Manichæi, exigit, inquam, non infici diabolicis illuſionibus; hæc enim ſunt ſynonima; doctrinam eſſe ſanctam, & eam à Deo reuelatam, è contra doctrinam eſſe impiam, eſt eſſe à diabolo inuectam: vti autem lux, & tenebræ, veritas & falſitas, rectitudo, & obliquitas, diuina reuelatio, & diabolica faſcinatio compati ſimul in eodem ſubiecto non poſſunt, ita nec doctrinæ pietas, & impietas ſimul poſſunt ſubſiſtere: ſi igitur Eccleſiæ Chriſti doctrina mortalibus ad credendum propoſita, impia, & impura eſſet, iam vtique Sancta non eſſet, vt igitur ſancta ſit, impia & impura eſſe non poteſt. Sed ſancta eſſe non poteſt, niſi ſit ab impoſturis immunis, neque ſic immunis eſſe poteſt, niſi ſit infallibilis, infallibilitate, excludente errores, & falſitates.

§. III. Quod probatur ab oppoſito, ſi enim Eccleſia eſſet fallibilis, in explicanda & proponenda doctrina fidei, iam decipi & errare poſſet in illa explicatione, & propoſitione: ſi ſic, vtique loco veritatis, poſſet proponere impoſturas, & errores, poſſetque ſic proponendo, à diabolo deludi & ſeduci, atqui tunc talis doctrina, non eſſet ſancta, aut pura, ſed impia, ſacrilega, profana, non eſſet purum Dei verbum, ſed merum diaboli figmentum: vti ergo impoſſibile eſt, eandem doctrinam eſſe ſimul diuinam, & diabolicam; ita impoſſibile eſt vt ſit ſancta, & tamen erroribus ſcateat, vt igitur ſit ſancta, & remota ab erroribus ac impoſturis, & qua talis, ab Eccleſia proponatur, debet extare infallibilis authoritas, quæ eam ſine diabolicis impoſturis proponat, & doceat. Nec eſt quod opponant reformati, ipſum ſacri codicis textum, eſſe ſacrum, ſanctumque; nam Sanctiſſimi textus, poſſunt fieri, & ſæpiſſime fiunt impijſſimæ expoſitiones, deinde vetus teſtamentum eſt ſacratiſſimum, Iudæi tamen à Satana vtique ſeducti, illud falſo, diabolice, & ſacrilege in punctis cum Chriſtianis controuerſis, in ſuam ipſorum perniciem exponunt: ſic vtriuſque

teſtamenti ſacros textus, male, erroneo dictante ſpiritu, explicant & proponunt hæretici. Sic Satan ipſe Matth. 4. ſacra ſcripturæ verba nefarie, & pernicioſe ſuggerebat Chriſto. Quare ſi Eccleſia in docendo eſſet fallibilis, ſacrum textum, ſacrilege, & erronee exponere poſſet, & ex iſta expoſitione, pernicioſam formare doctrinam, vt olim formabant Iudæi, & hæretici, & hodie formant eorum ſequaces. Quod ſi doctrina Eccleſiæ, ſimilibus ſcateret impoſturis, non Chriſti, ſed Antichriſti, non ſpiritus veritatis, ſed ſpiritus erroris, dogma foret; vt itaque Eccleſia ſit Sancta, Sanctam vtique, & puram doctrinam, pure, ſancte, & ſincere proponere debet, nec poteſt ſic eam pure, & ſancte proponere, niſi eam ſine impoſturis, & erroribus proponat: hoc autem eſt eam infallibiliter proponere, & exponere, quod eſt eam eſſe infallibilem in docendo, & ſanctam in doctrina.

§. IV. Hoc patet vlterius ex ſecundo, & tertio capite, nempe vt ſancta Eccleſiæ doctrina, non includat ea principia, ex quibus vel hæreſis, vel impietatis ſemina pullulare poſſint, ſed potius ex eadem doctrina ſequatur totius honeſtatis integritas. Vnū inter multa, impietatis principium, Lutheri doctrina inuexit, non dari liberum arbitrium in hominibus, vnde manifeſte ſequeretur nullum dari peccatum, teſtante diuo Auguſtino lib. de duabus animabus cap. 11, *peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, id quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere: quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntarium.* Sic ſi liberum non eſſet homini abſtinere à furto, homicidio, adulterio, periurio, mendacio, rapina, hæc peccata non eſſent, quia ſi libera non ſunt, voluntaria non ſunt. Nam vt inquit idem Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *quis peccat, in eo quod vitare non poteſt?* nunc quæſo quæ ſtupra, quæ ſtrages, qui tumultus, ſcortationes, incendia, in rebuſpublicis, oppidis, pagis, vrbibus, ſine conſcientiæ vel Dei metu committi non poſſent impune, ſtante hoc principio? item ex dogmatibus de ſola fide iuſtificante, de inamiſſibilitate gratiæ, de impoſſibilitate legis, quæ malorum ſentinæ profluant, in mea ſecuri Euangelica parte 1. diſt. 2. & 3. in hoc opere parte etiam p. 1. diſt. 5. oſtendi. Sane doctrina eiuſmodi theoremata continens, non eſt diuinitus reuelata, ſed à principe tenebrarum, ſuggeſta. Igitur vt doctrina ſit ſancta, debet eiuſmodi malorum ſemina, à ſe excludere, nulli contradictioni patere, non fidei, non rectæ rationi, non legi naturali, vel diuinæ repugnare, ſed debet eſſe immaculata, vt procuret ſubditos Eccleſiæ diligenti ſollicitudine,

dine, ſanctos & perfectos, vni exhibere Chriſto, legibus & inſtitutis ſaluberrimis imbuere, diſciplinæ ſeueritate à vitijs conibere, peccantes ad meliorem frugem reducere, omnibus medijs congruis ad perfectionem excitare; ſed niſi eſſet Eccleſia in docendo, & inſtruendo infallibilis, poſſet pernicioſa ſubinde principia ſtatuere, vt olim omnes ſtatuerunt hæretici, hodieque ſtatuunt Turcæ, & Iudæi, ac hæreticorum ſequaces, & ſic non eſſet ſancta, quam ergo certum eſt Sanctitatem, eſſe proprietatem inſeparabilem ab Eccleſia, in omnium chriſtianorum communi ſententia, tam certum eſt, eam perpetuo infallibilitatis priuilegio gaudere, ne ſeducatur ſpiritibus errorum, & doctrinis dæmoniorum, ſed vt potius regulas morum, nempe caſta decreta, pia præcepta, ſalutares leges, ſanam doctrinam in ſano ſenſu præſcribat, doceat & proponat: quæ ſane præſtare non poſſet, nec ſancta in his functionibus dici, niſi ſub aſſiſtentia Spiritus Sancti eſſet infallibilis in definiendo, & docendo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Eccleſiam eſſe Catholicam, & Apoſtolicam, eſt eam ſimiliter eſſe infallibilem.

§. I. ECcleſiam eſſe catholicam ſeu vniuerſalem, non ita intelligimus, vt omnes omnino homines, & quicunque & vbicumque ſint, contineat, aut nullæ omnino hæreſes, vel Schiſmata, eſſe debeant, *oportet hæreſes eſſe*; quandoquidem hęc nota ad hoc deſeruiat, vt per illam vera Eccleſia, ab alijs cætibus, non catholicis diſcerni poſſit: ſub catholicæ ergo nomine, intelligenda eſt illa Eccleſia, quæ vt Vincentius Lirinenſis in ſuo commonitorio exponit, *Vere, quod catholicum eſt, profitetur, catholicum autem*, inquit, *eſt quod vbique, quod ſemper, & ab omnibus creditum eſt*. Vbique igitur eſt vera Eccleſia, non in Anglia, vel Scotia duntaxat, non Geneuæ, non VVittembergæ, ſed quæ vbique terrarum, ita inuenitur, vt nulla pars mundi, nulla ſit natio, nulla gens, in qua aliqua eius portio, non inueniatur iuxta illud Apocalipſis 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex tribu, & populo, & natione & feciſti nos Deo, noſtro Regnum*; item catholica eſt, quæ ſemper eſt, non quæ decimo quinto ſæculo orta Geneuæ, VVitembergæ, ſed quæ à principio, per omnes decurſus temporum,

ſine interruptione, progreſſa, ad noſtram vſque peruenit ætatem? Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſaculi*, eatenus ſic Eccleſia eſt catholica, quatenus illam eandem doctrinam, quam Chriſtus in carne, & poſt Chriſtum, Apoſtoli tradiderunt, ſemper inuiolabiliter, & ſine vlla intermiſſione, perpetuo coluit, & prædicauit vbique, & hoc ipſo ſenſu, dicitur Apoſtolica, quia ab Apoſtolis fundata, perpetuam Apoſtolicæ doctrinæ, Antiſtitum, & paſtorum ſuceſſionem, vſque in hodiernum diem, conſeruauit. modo mihi ſufficiat, hanc perpetuam, & nunquam interruptam chriſtianæ, catholicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ ſuceſſionem, durare non potuiſſe, ſine perpetua Eccleſiæ proponentis infallibilitate, idque ex multis capitibus patere oſtendo.

§. II. Et in primis id probo ex confeſſione reformatorum qui primoribus labijs, ita ſcripturas honorant, vt eas ſolas dicant eſſe regulas totius veritatis, nunc certum eſt neque nos, qui hodie viuimus, neque illos, qui ſub initium prætentæ reformationis exſtiterant, inter fuiſſe Deo reuelanti, vel prophetis, & Euangeliſtis, aut Apoſtolis ſcribentibus doctrinam reuelatam, adeoque ſacræ ſcripturæ canonem, non niſi de progenie, in progeniem de manu in manum, per continuas ætates, & hominum ſeries, ad nos vſque perueniſſe: vnde an habeamus, verum & integrum ſcripturæ canonem, non aliunde nobis, & reformatis conſtare poteſt, quam ex teſtimonio, & traditione catholicæ Eccleſiæ. Certum item eſt, neminem noſtrum, qui hodie viuimus, vidiſſe prima originalia, & conſequenter, an exemplaria, quæ legimus, ſint originalibus conformia, non aliter nos ſcire, quam ex eodem teſtimonio, & traditione. rurſus an detur, & quæ ſit legitima ſcripturæ verſio, pendet ex fidelitate Eccleſiæ interpretantis. Poſtremo certum eſt, multos circa prædicta olim contigiſſe errores, & poſſe quotidie contingere, vt experientia tot ſæculorum oſtendit, & patet in praxi multorum hæreticorum, quorum aliqui has, alij illas, vel negauere, vel mutilauere ſcripturas, vel perperam tranſtulerunt, vel in prauos detorſere ſenſus; vt igitur ſcriptura eſt ſemper vna ex neceſſarijs fidei Regulis, vt in præcedentibus notaui, certe debet exſtare ſemper infallibilis certitudo, de eius exiſtentia, legitimo Canone, integritate, verſione, ſenſu. Si enim quidquam horum deeſſet, non daretur vera & certa fides de ſcriptura: ſed oſtendi in prima parte diſt. 4. hanc certitudinem non haberi ex ipſa ſcriptura; ergo debuit ſemper exſtare infallibilis

Eccle-

Eccleſiæ authoritas, ad præſtandam fidelibus, & credituris hanc infallibilem certitudinem, ſi enim doctrina fidei ex ſola ſcriptura hauienda eſt, vt volunt reformati; vel ſaltem partialiter, vt volumus nos catholici, debuit eſſe ſemper infallibilis illa authoritas, quæ illam ſine errore, & deceptione cuſtodiret, tranſferret, interpretaretur, ſublata vero tali authoritate, non eſſet ratio, cur vllus crederet cætui fidelium, in quæſtionibus, quæ pertinent ad ſcripturæ exiſtentiam, canonem, ſenſum, potius quam perfidis Iudæis, Manichæis, Arianis, & ſimilibus. Sicut ergo ſcriptura fuit in Eccleſia Chriſti ab Apoſtolorum tempore ſemper neceſſaria, tanquam partiale ſaltem medium ad acquirendam veritatem, ita ſingulis ſucceſſiue ſæculis, debuit catholica Eccleſia, perpetua, infallibili, & nunquam interrupta pollere authoritate, ad eandem ſcripturam vere, integre, cum legitimo ſuo canone, & ſenſu tradendam: quod ſi ſemel in hac traditione defeciſſet, vel erraret Eccleſia, actum eſſet de fide chriſtiana, quæ ex vera, certa, & infallibili cognitione reuelatæ doctrinæ, legitime expoſitæ, & propoſitæ neceſſario pendet.

§. III. Probatur item perpetuitas huius infallibilitatis, ex perpetua & indiſpenſabili neceſſitate chriſtianæ Religionis, ad ſalutem, quam neceſſitatem reformati in ſuis confeſſionibus paſſim fatentur, & eam ſupra probaui: eguit itaque genus humanum ſingulis ſucceſſiuè ſæculis remedio ſalutis, & agnitione veritatis, ſed niſi vera Eccleſia, ſingulis ſucceſſiue ſæculis extaret, & ſine vlla interruptione ſubſiſteret, ſane nec darentur media ſalutis, nec modus perueniendi ad agnitionem veritatis, ſed ex 1. ad Tim. 2. *vult Deus, omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ſi omnes homines, ergo hanc voluntatem habuit Deus, erga omnes mortales, ſingulis ſæculis à Chriſto nato, ad hodiernum vſque diem, ſicut ab initio etiam mundi habuit, ſi enim aliquorum ſæculorum homines ab hac voluntate ſua exciperet, non vellet omnes homines ſaluos fieri: voluit ergo ſemper omnes homines ſaluare, quantum in ipſo eſt, & ad agnitionem veritatis venire, idque neminem vllo vnquam ſæculo ab hac voluntate, excludendo; ſed quomodo ad hanc veritatem venirent ſi hæc in terris, ſingulis ſæculis, ſine intermiſſione apud aliquos non fuiſſet, à quibus poſſet audiri? nam *fides ex auditu*: *quomodo autem crederent ei, quem non audierunt? quomodo audirent ſine prædicante?* ad Rom. 10. nunc, ſi vllo vnquam ſæculo defeciſſet de mundo hæc fides, hæc chriſtiana veritas, illa non eſſet catholica, ſeu

per-

perpetua; rurſus ſi diuerſa eſſet fides chriſtianorum, hodie, ab illa ipſa, quam prædicarunt Apoſtoli, ſane non eſſet catholica, ſeu vniuerſalis quoad tempus: ergo hoc ipſo, quo fides petit eſſe catholica, petit vtique eſſe perpetua, ſi perpetua, debet eſſe ſine defectu, interruptione, errore, perſiſtere; vt ſic perſiſtat, neceſſe eſt Eccleſiam, perpetua infallibilitate pollere, vt catholicam illam fidem perpetuo conſeruet, propaget, & infallibiliter proponat.

§. IV. Rurſus vel extra veram Chriſti Eccleſiam datur vera ſalus, vel non datur? ſi primum, ergo fruſtra Chriſtus mortuus eſt, cum mortis illius prætium non niſi credentibus, eique obedientibus applicetur, vt Ioan. 1. dicitur: *quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. & cap. 13. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras & areſcet* art. 4. *non eſt in alio aliquo ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*. imo reformati paſſim in ſuis confeſſionibus, tenent in ſola Chriſti Eccleſia, dari veram ſalutem: ſi igitur ſecundum, Eccleſia vtique debuit ſemper eſſe catholica, ſeu vniuerſalis, quoad omnia tempora, vt homines poſſent in ea ſaluari. Nunc ſi fides Eccleſiæ per aliquot tempora deficeret, vel periret, nullus toto illo intermedio tempore, per Chriſti paſſionem ſaluaretur, vel redimeretur, cum nulli per media à Chriſto ordinata poſſet applicari, & ſic fides eſſet catholica ſimul, & non eſſet; eſſet vt ſupponitur, quia cum beneficia redemptionis, fuerunt vniuerſaliter inſtituta, pro genere humano, deberent media quibus applicarentur, eſſe vniuerſalia, quoad omnium ætatum homines, adeoque deberet Eccleſia, in qua reperiuntur, & applicantur, ſine defectu, vel errore perſiſtere, non eſſet autem catholica, ſeu vniuerſalis, quoad omnes ætates, ſi vlla ætate vel ſæculo periret, item toto illo tempore, quo careret orbis terrarum vera Eccleſia, adeoque veris illis medijs, quibus redemptio Chriſti applicaretur, nullus ſaluaretur, ex defectu vtique eorundem mediorum, ſed neque vllus poſſet iuſte damnari, ob iſtorum mediorum carentiam, nam ſi nulla exſtaret vera Eccleſia, nulla vera religio, tunc mortales omnes vniuerſaliter ignorarent veram Eccleſiam, veramque religionem, ſed nullus peccat in eo, quod inuincibiliter ignorat, cum nulla ſuppeterent media ad ſuperandam eiuſmodi ignorantiam, atque adeo Iudaiſmus, Schiſmata, hæreſes, eſſent licita, cum nulla exſtaret infallibilis Regula, quæ iſtos errores diſcuteret, vel coerceret; nullus ergo infidelis tunc poſſet ob ſuos errores damnari;

nari: imo nec eſſent errores, cum nulla adeſſet veritas, quæ eis ex diametro opponeretur, & conſequenter non perſiſtente catholica Eccleſia, & infallibili eius authoritate, toto illo defectus tempore nec ſaluarentur homines, cum non agnoſcerent Chriſtum, nec iuſte damnarentur ipſomet Chriſto teſtante Ioan. 17. *ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, cum non exſtaret modus, quo ad eius agnitionem venire poſſent; cum ergo Chriſtus ſit Redemptor generis humani, & illa redemptio, quantum eſt de ſe ſit vniuerſalis, & ſe ad omnes extendat, neminemque excludat, & extra Chriſti Eccleſiam, nulla ſit ſalus, debuit infallibilis eiuſdem Eccleſiæ authoritas perpetuo durare, vt homines perpetuo poſſent ſaluari.

§. V. Et hæc perpetua infallibilitas, patet etiam ex eo, quod Eccleſia debeat eſſe Apoſtolica, non ſolum quod ab Apoſtolis fuerit fundata, ſed etiam quod doctrinam Chriſti, ab Apoſtolis traditam, & propagatam perpetuo conſeruet; ſi enim alia eſſet tertij, quarti, quinti, vel ſexti ſæculi fides, aut doctrina Religionis, ab illa quam primo ſæculo docuerunt Apoſtoli, doctrina vtique dictorum ſæculorum, non eſſet Apoſtolica, ſed petit catholica Chriſti religio, & Eccleſia vt ſit etiam Apoſtolica, ſeu vt illa ipſa doctrina, quam Apoſtoli ipſi coluerunt, & propoſuerunt, colatur & proponatur, in eadem Eccleſia: ergo ex eodem capite requiritur, vt exſtet ſemper infallibilis Eccleſiæ authoritas, quæ Apoſtolicam illam doctrinam illibate, & inuiolabiliter profiteatur, & de generatione in generationem, de manu in manum, ad fideles & credituros tranſmittat, idque infallibiliter, quam infallibilitatem perpetuam promiſit Chriſtus Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Præualerent autem, ſi erraret vel deficeret in fide Eccleſia, quod ſi ſic præualerent, iam hæc Chriſti promiſſio eſſet falſa quod eſt blaſphemum dicere, item Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumationem ſæculi*. Sed certum eſt Chriſtum apud eos non eſſe, qui fidem & doctrinam eius, non tenent: ergo cum promiſerit ſe cum Eccleſia ſua ſemper manſurum, fuerunt ſemper et vſque ad conſummationem ſæculi erunt; qui ſeruent, colantque religionem Chriſti, & ſeruarunt; hanc autem, nec colere, nec ſeruare poſſent, niſi exſtaret infallibilis authoritas, quæ eandem religionem, ſine errore proponeret, & propagaret. plura non addo, aut ex ſcriptura, aut alijs religionis chriſtianæ principijs, quæ fuſius adduxi in mea ſecuri Euan-

gelica

gelica parte 2. diſt. 2, & 3. ſed ea ſolum volui in medium pro hac cauſa proferre, quæ nec ipſi reformati negant, & vltro admittunt; Nec eſt, quod hic ad inuiſibilem Eccleſiam recurrant, cum oppoſitum ex eorum principijs oſtenderim, nempe iſta intelligenda eſſe de viſibili Chriſti Eccleſia; & abſurda, quæ ex contraria ſententia ſequuntur, fuſe retulerim prima parte diſt. 1. habemus ergo fatentibus vltro reformatis, perpetuo, & indefectibiliter vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quæ gaudeat ſemper perpetua & infallibili authoritate, quæ ſit Regula infallibiliter diſcernens, ſanam ab inſana doctrina, veramque Religionem, ſine interruptione, errore, vel defectu, perpetuò conſeruet, colat, colendamque propaget, & proponat.

SECTIO QVINTA.

De prærogatiuis, & beneficijs huius infallibilis authoritatis, ſeu regulæ proponentis.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quibus reſideat hæc infallibilis authoritas.

§. I. Statuo primo, quamuis vniuerſalis Eccleſia ſit infallibilis in credendo, quatenus vniuerſaliter ſumpta, non poteſt falſum pro vero vnquam credere; formaliter tamen, & ſecundum ſe totam conſiderata, non eſt ſufficiens viua regula fidei, in proponendo, vel docendo; quia impoſſibile eſt, totam hanc Eccleſiam congregari ſimul, ad aliquid de fide definiendum, atque adeo non eſt apta ad docendum, & loquendum, per modum viuæ regulæ; rurſus magna pars huius Eccleſiæ non eſt ſufficiens ad docendum, neque hoc pertinet ad ſtatum eius, vt conſtat præſertim de laicorum ſtatu. Tandem quia proponere & docere ex cathedra, definiendo, pertinet ad clauem ſcientiæ, & eſt actus ſpecialis poteſtatis à Chriſto datæ, ad regendam Eccleſiam in doctrina; Chriſtus autem non contulit hanc poteſtatem toti corpori Eccleſiæ.

§. II. Hinc ſtatuo ſecundo, hanc anthoritatem reſidere in paſtoribus Eccleſiæ, nempe in eius viſibili capite ſeorſim, vel quatenus,

tenus idem caput, ſimul cum Concilio Oecumenico conſtat vnum ſupremum tribunal, in quo complexo vtique, reſidet præfata infallibilis authoritas definiendi, docendi, & proponendi fidelibus, & crediturìs doctrinam credendam, & hæc authoritas, in prædictis reſidens, loquens, definiens, docens eſt illa adæquata regula, quam fideles; & credituri, in credendo velut normam ſequantur, & ſequentes ab erroris periculo ſunt immunes; de capite Eccleſiæ patet Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni Cælorum, quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Quid magnificentius, quid generalius, hac authoritate Petro promiſſa? quæ tandem fuit ipſi collata Ioan. 21. *Paſce agnos meos, paſce oues meas;* quos textus tota hæreticorum peruerſitas violenter aduerſans, nunquam conuellere potuit, quin etiam iuxta ipſorum reformatorum principia, de vera ſupremi paſtoris authoritate debent intelligi, cum ipſi inter alia, ſtatuant ſcripturam ſine gloſſis, & conſequentijs nude acceptam, eſſe præcipuam fidei Regulam, adeoque iuxta nudum corticem intelligendam, quid autem expreſſius, hac voce; *quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in Cælis?* vt ſcilicet definitiuum viſibilis capitis Eccleſiæ iudicium in Rebus ad fidem pertinentibus, ſit ratificandum, & approbandum in cælo. quid autem patentius illis alijs verbis, *paſce oues meas?* nempe omnes omnino fideles, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas, Paſtores, Doctores, Prædicatores, Interpretes, Miniſtros, Principes, Reges, Imperatores, eorumque ſubditos, quod bene notauit Diuus Bernardus lib. 3. de conſideratione, cap. 8. inquiens, *cui enim non non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolute & indiſcrete tota commiſſa ſunt oues? ſi me amas Petre, paſce oues meas, quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi Regni? oues,* inquit *meas, cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes, nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil;* præfati igitur omnes ho ctipſo, quod fidem Chriſti profitentur, oues vtique ſunt Chriſti; quis enim eſſet ille Epiſcopus, doctor, paſtor, Rex, Imperator colens fidem Chriſti, qui non ſe agnoſcat ouem Chriſti? itaque ſi illi omnes ſunt oues, certe à Petro, & eius ſucceſſoribus paſci debent, cui omnium cura demandatur; atque adeo in eo eſt ſuprema authoritas paſcendi, & regendi, ac dirigendi omnes fideles in viam pacis, & ſalutis æternæ, de qua re fuſius

egi in mea ſecuri Euangelica parte 2. diſt. 6. & 8.

§. III. De alijs paſtoribus in Concilio Oecumenico legitime congregatis, habemus Matth. 18. *amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta, & in Cælo*; vt igitur mendacia & errores nunquam alligari, ſeu approbari poſſunt in Cælo, ita nec doceri, nec proponi poterunt à paſtoribus Eccleſiæ vt ſupra congregatis, quare? quia, inquit Chriſtus ibidem, *vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum, in medio eorum*, vtique vt non permittat eos definire, vel proponere errores, quin è contra doceant ſolummodo verbum ſanum, irreprehenſibile; vt poſſint dicere illud act. 15. *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, & nos audientes eoſdem paſtores, non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. (ad Epheſ. 4.) eiſdem ſimiliter paſtoribus dicitur act. 20. *attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*, eoſdem vult eſſe audiendos Chriſtus Lucæ 10. *qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me*, & Matth. 28. *docete omnes gentes, docentes eos ſeruare, omnia quæcunque mandaui vobis*, & hanc paſtorum authoritatem, in Concilio Oecumenico congregatorum, oſtendit ipſa Regulæ proponentis neceſſitas, vt fuſe iam in præcedentibus, ex multis capitibus probaui. Quid quòd ipſi reformati, eſto omni vera Eccleſia careant, vt prima parte oſtendi, vmbram tamen aliquam ſynodorum habent, cum & ipſi præſcribant conuentus Claſſicos, presbyteria, ſynodos nationales, prouinciales, generales; vt ex ſynodis reformatis ſupra ſect. 3. citatis patet: vnde hoc ipſo fateantur neceſſe eſt, penes Concilia Oecumenica legitime congregata, eſſe ſupremam poteſtatem in definitionibus fidei, ex inſtituto ipſius Chriſti, cum tale Concilium obligare poſſit reliquos fideles ad credendum, quod in eiuſmodi concilio definitum eſt, ne quis audiat illud Chriſti Matth. 18. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, quæ ſententia oſtendit, & Eccleſiam in ſuis Concilijs, paſtoribus, & capite habere poteſtatem obligandi oues, & has teneri eiſdem obedire.

§. IV. Pertinet tandem ad Eccleſiæ paſtores, doctrinam vel iam continuo in Eccleſia creditam, vel de nouo in Concilijs definitam, ſeu declaratam, ſuis ouibus, pro cuiuſlibet munere, & officio proponere, ac prædicare vt habet Apoſtolus ad Epheſ. 4.

&

& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, hæc autem munera, non pertinere promiſcuè ad quamlibet, inſinuat idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. *nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes interpretabuntur?* quaſi diceret, non ratio eſt, quia fides eſt neceſſaria, ad ſalutem, atque adeo neceſſarium eſt, vt eiuſdem fidei doctrina omnibus proponatur fidelibus; fides autem præſupponit auditum, auditus prædicantem, prædicatio miſſionem, debent igitur aliqui eſſe paſtores, qui doceant, alij erunt oues & ſubditi, qui doceantur, diſtinguendi igitur ſunt paſtores, ab ouibus, quare vti neceſſarij ſunt paſtores, ad proponendam fidem cæteris, ita neceſſario ſunt diſtinguendi ab ouibus, ne promiſcue omnes dicantur doctores, interpretes, Apoſtoli, Prophetæ &c. qui paſtores in proponendo, extra Concilium, eatenus & eo duntaxat ſenſu ſunt infallibiles, quatenùs in docenda, & proponenda eadem doctrina, ſequuntur regulam fidei, ſeu infallibilem Eccleſiæ authoritatem, & eandem doctrinam, per prædictam regulam, ſeu proponunt, ſeu confirmant, vnde hanc infallibilitatem inferiores Epiſcopi, ſeu paſtores ſigillatim ſumpti non habent permanenter, cum hoc modo inſit corpori Eccleſiæ paſſiue infallibili, quatenus vniuerſaliter ſumpta, nunquā falſum pro vero acceptat, actiue vero inſit capiti Eccleſiæ, ac præſertim Concilio Oecumenico, ne falſum pro vero proponant; dicti igitur Epiſcopi, & paſtores, doctores, prædicatores, hanc infallibilitatem habent actualiter, ſeu tranſeunter, quantum ad certitudinem illius doctrinæ, quam ſufficienter proponunt, velut à Deo traditam, vel definitam ab aliquo, habente authoritatem; habent ergo iſti præfatam infallibilitatem in proponendo, à doctrina, quam proponunt, & à regula, per quam eandem doctrinam confirmant, nempe ab authoritate Eccleſiæ, & non aliter, vnde ſi quæſtio eſt de rudibus, fateor eos, multa credere fide mere humana, propter dictum ſui paſtoris tantum, aut parentis, quos vtpote motos per tale duntaxat dictum, conſtat, non elicere actum fidei diuinæ, vnde ſunt inſtruendi, vt ſciant non ſolum illa eſſe vera, ſed etiam eſſe à Deo reuelata, & ab Eccleſia ſub aſſiſtentia Spiritus Sancti infallibiliter directa, eſſe ad credendum propoſita, vt ſic actum fidei diuinæ eliciant.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quam expediens, quam vtilis ad ſalutem humani generis, ſit hæc credendi regula.

§. I. EX dictis facile colligimus ſequentes veritates, & primo quidem, vt 1. parte in prolegomenis notaui, quod Deus velit omnes omnino homines, tam rudes, quam doctos ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ſecundo, quod nullam aliam ſalutis viam hominibus offerat, quam viam veræ Religionis. Tertio, quod hæc ſalutis via, non ſolum debeat eſſe poſſibilis, ſed etiam facilis; quarto quod nulla ſit difficilior, nulla periculoſior, nulla denique minus proportionata mortalium captui, quam via particularis examinis omnium dogmatum: quare perplexitas, incertitudo, & intolerabilis labor huius priuati Scrutinij, oſtendit vtilitatem, & neceſſitatem publicæ, & infallibilis authoritatis, quæ facile ducit ſimplices, dirigit rudes, illuſtrat ignaros, eleuat debiles ſupra eos, qui proprijs confidunt viribus, quique ſuperbiæ ſpiritu tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant: hæc autem authoritas regulat fidem, & doctrinam, quam credendam proponit per ſcripturam, traditiones, conciliorum definitiones, decreta, ac patrum conſenſum, quæ omnia examinare illi incumbit, dum exoriuntur difficultates: hinc ſimplices, qui ſunt incapaces ſcrutari ſcripturas, examinare patres, percurrere ſynodorum ſententias, & traditiones, in credendo ſequuntur hanc authoritatem, eiuſque iudicio, & examini acquieſcunt, ſimiliter liberant ſe ab illa formidabili incertitudine, titubatione, & inſtabilitate, qua laborant prætenſi Reformati: hinc etiam inſiſtentes huic viæ, & authoritati, ſolidum in maximis arcanorum difficultatibus inueniunt fundamentum, ſi enim prudenter diffidunt proprio ſuo iudicio, fidere poſſunt authoritati Eccleſiæ, verbum Dei exponentis, fundant enim ſuam imbecillitatem ſupra huius authoritatis vires, ſuam inſtabilitatem ſupra illius firmitatem, cum ſit columna, & firmamentum veritatis, vident oculis Eccleſiæ, ambulant illius pedibus, incedunt liberi à millenis fluctuationibus, in via difficili, obuijs, dum incedunt per viam Regiam Eccleſiæ proponentis & docentis.

§. II. Si ſunt docti, & velint ſcrutari myſteria, ſcrutantur illa

cum

cum ſubmiſſione ad hanc Regulam, ſeu authoritatem, cui innitentes pronam ad errores, naturalem rationem corrigunt; licet enim fides, qua doctrinam religionis accipimus, per manus, & os huius authoritatis, nihil probet, ſed credat, varijs tamen modis ad reſpondendum, & probandum, proceſſumque ſcientiarum prodeſt: certificat enim primo & monet, de præcauendis erroribus, quare qui futuræ vitæ ignarus hic & nunc, finem & beatitudinem conquirendo inſaniret, cum Turcis, & antiquis philoſophis, iam de fine certus per doctrinam fidei, ab hac authoritate propoſitam, mentem & operam, eidem fini explicando adhibere facile poterit. rurſus, qui ex immutabilitate Dei duceretur, cum Caluino, & alijs quibuſdam hæreticis, ad concludendum, Deum ad extra neceſſario operari, vt ſic omnem tolleret arbitrij creati libertatem, erroris in eiuſmodi diſcurſu à Regula fidei præmonitus, eum cauet, & alio ratiocinationem dirigit, & ſic de alijs erroribus præcauendis, viam ſternit hæc eadem Regula, quæ vel hinc recte dicitur frænum, & rector humani diſcurſus, & ingenij, in præcipitia, & vertigines, alioquin ruituri. Sub hoc Eccleſiæ docentis lumine, Deus credentibus, & audientibus rerum creditarum maiorem indies communicat intelligentiam, & ſapientiam, quod manifeſte hodie patet, in catholicis doctoribus, qui nullibi certius decernunt, conſequentius, delicatius, nullibi altius diſcurrunt, quam in rebus diuinis, æternis, & futuris; in illis ipſis, in quibus æque eximia philoſophorum veterum ingenia, hoc lumine deſtituta, nihil efficere valuerunt: idque præſtant orthodoxi magiſtri, ratione non antecedente, ſed conſequente, ſeu à poſteriori, & ſuppoſitis principijs fidei, ac dirigente Eccleſiæ authoritate, tanquam Regula. Vnde licet diſpares habeant opiniones, & ſenſus in ſuis ſcholaſticis opinionibus, in rebus tamen fidei omnes conſpirant in vnum, quia prædictum Eccleſiæ lumen facit eos æquales, eiſque communicat, vnam eandemque firmitatem, concordiam, certitudinem.

§. III. Per hanc Eccleſiæ proponentis authoritatem fit, vt fideles ei iam obedientes, ſint exempti à quærenda, & indaganda vlterius chriſtiana Religione, ſtante illa Tertuliani Regula, in ſuis præſcriptionibus, *quærendum eſt donec inuenias, & credendum vbi inueneris, & nihil amplius niſi cuſtodiendum, quod inueniſti, dum hoc inſuper credis aliud non eſſe credendum, ideoque nec requirendum*, cum enim, vt idem ait, tria ſint diſtinguenda, quid ſcilicet ſit quærendum, & agnoſcendum? & quando, & quouſque? pateat autem

tem id, quod erat quærendum eſſe veram religionem, quando & quovſque inuenta non eſſet, hinc conſtat eos homines, ſiue docti ſint, ſiue rudes, qui eam iam inuenerunt, & agnouerunt, non teneri, neque debere aliud vltra quærere, nec ob eum finem alios audire; cum iam habeant ſtabile fundamentum, cui innitantur, & certam regulam quam in credendo ſequantur. Quod de ſuo vago, incerto, & infinito ſcrutinio, dicere nequeunt reformati vt prima parte diſt. 3.4. & 5. fuſius oſtendi. habent autem catholici ſequentes prædictam Regulam, ſeu authoritatem Eccleſiæ ea media, ad ſuam veritatem agnoſcendam, vt certi de illa eſſe poſſint, nec vltra quærere debeant, qua veritatis perceptione, & regulæ dirigentis beneficio, cum careant reformati, diſpar eſt catholicorum & reformatorum obligatio, nec enim ideo Catholici, ab alia doctrina quærenda, vel audienda exempti ſunt, quia in ſua religione nati, & educati ſunt, ſed quia ſuam veram eſſe ſatis norunt, ex eo quod per Eccleſiæ proponentis authoritatem, & teſtimonium ſint certi eam eſſe à Deo reuelatam; reformati autem, qui hac Regula deſtituti ſunt, ab obligatione quærendi non ſunt exempti, cum nullum firmum ſuæ profeſſionis fundamentum habeant, vt prima parte vidimus.

§. IV. Hinc fit, vt cum Religio teſte diuo Auguſtino libro 1. retract. cap. 13. ab eligendo dicatur, quia ſcilicet non caſu aut temere, ſed electione eſt accipienda & conſeruanda, veri fideles, quaſi patrum, & maiorum electione, magis, quam ſua, Religionem in Baptiſmo profitentur: cum vero fuerint capaces rationis & electionis, eandem ipſi quoque conſeruandam reeligunt, vbi notandum diſcrimen, inter electionem, & reelectionem, quod electio, conſilio, deliberatione, & conſultatione, opus habeat, dubio, incertoque animo, & ad meliora eligenda diſpoſito, inſtituta. Sed ad reeligendum præſertim religionem veram, eiuſmodi conſultatio admitti non poteſt, ſed ſola conſideratio fundamentorum, animo nihil interea dubitante, ſed Regulam credendi reſpiciente, inita, ſufficit & requiritur: procedit autem iſta conſideratio ex ipſa Religionis iam habitę ſuppoſitione, per quā ipſius veritatem quis iam credit; vnde patet aliquos à quærendo & audiendo eſſe excuſatos, reliquos vero, quamuis catholicorum ſe tueantur exemplo, non eſſe excuſatos à quærendo, vt prima parte ſæpius citata oſtendi; illi enim excuſati ſunt à quærendo, qui legitima via veritatem acquiſiuere, & iam obtinent illos dirigente, & illuſtrante authoritate Eccleſiæ: alij vero non ſunt excuſati

à quæ-

à quærendo, quia inſiſtunt particulari ſcrutinio, intolerabili, & nunquam finiendo, & ſine ſpe, vel figendi pedem, vel veritatem inueniendi. concludo tandem per hanc regulam optime conſuli humani generis ſaluti, tanquam opportuniſſimum medium, ad conuerſionem infidelium, inſtructionem rudium, deciſionem controuerſiarum, ſatisfactionem quærentium veritatem; ita vt admiſſa ſemel hac authoritate, hac inquam infallibili Regula breuiſſimo temporis ſpatio, facile quis fiat fidelis, & orthodoxus, cum promptiſſime poſſit inſtrui, & doceri, relicto immenſo illo labore ſcrutinij ſcripturarum, & examinis articulorum & religionum, cui reformatorum via eſt obnoxia, ſine ſpe veniendi ad agnitionem veritatis: deſerenda proinde hæc intolerabilis via, ne forte quis, vt ait Auguſtinus Epiſtola quadrageſima nona, *cum expectat ante librorum ſacrorum finire quæſtiones, prius finiat vitam iſtam, quam tranſeat de morte ad vitam.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Ad quid ſe extendat, & quibus limitibus contineatur, authoritas tam Eccleſiæ proponentis, quam iudicium ouium, eidem obedientium, & in quo vtrumque differat ſub infallibili Spiritus Sancti aſſiſtentia.

§. I. DVo affirmamus nos catholici, de ſymbolo, alijſque myſterijs, nempe ſymbolum fidei verum eſt, ſymbolum fidei eſt à Deo reuelatum; credimus Deo quod ſymbolum fidei ſit verum, credimus autem Eccleſiæ, quod illud ipſum ſymbolum, cum reliquis myſterijs, ſit à Deo reuelatum: in quæſtione, an propoſita doctrina ſit vera vel falſa, conſulitur Dei authoritas: in quæſtione autem, vtrum propoſita doctrina ſit à Deo reuelata, conſulitur Eccleſiæ proponentis authoritas: hoc autem præmiſſo; dicimus hanc Eccleſiæ proponentis authoritatem, non habere ius definiendi quæſtiones, de veritate articulorum fidei ortas, cum nefas ſit de hac dubitare, nec liceat veracitatem diuinam in dubium reuocare, ſed habere duntaxat ius decidendi, vtrum doctrina aliqua ſit, vel non ſit reuelata ipſi Eccleſiæ per Chriſtum, vel per eius Apoſtolos: quare ſuis limitibus, ſuo ſyſtemate circumſcribi-

ſcribitur Eccleſiæ authoritas, vt non liceat ei quamuis vtatur iſta verborum forma, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, obtrudere fidelibus nouum articulum v. g. octauum ſacramentum, velut ſibi à Deo reuelatum, cum iam omnia credenda ſint de facto reuelata. Non licet item eiuſdem Eccleſiæ authoritati, vllum fidei articulum, abolere, negare, vel in dubium reuocare, vti nec damnare, aut in quæſtionem trahere definitiones fidei, à concilijs Oecumenicis iam editas, & promulgatas, eaſue reaſſumere in altercationem, vel controuerſiam, multo minus vel abolere, vel negare, cum omnes Eccleſiæ paſtores, ijſdem illis definitionibus, rite iam editis, approbatis, & publicatis ligentur in conſcientia: huiuſmodi autem definitiones v.g. Synodi Nicœnæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ, Calcedonenſis &c. non ſunt noui fidei articuli, ſed antiquorum articulorum, noua & magis expreſſa, ac explicita declaratio, facta in controuerſia de legitimo, & genuino ſenſu alicuius myſterij, vel textus. Rurſus quod vltro concedimus reformatis, non licet Eccleſiæ ſtabilire quidquam, contra verbum Dei ſcriptum, nec vllam vnquam ipſi inuenient, Eccleſiæ Romanæ definitionem, huic verbo contrariam, aut oppoſitam, quantumuis blaterent, vaneque iactent, ſe hanc oppoſitionem oſtenſuros, quod nunquam hactenus præſtiterunt, eſto multos textus male imo & peſſime citatos conglomerent, vt ſequenti diſt. oſtendam.

§. II. Eo vſque tamen extenditur præfata Eccleſiæ authoritas, vt iudicet, quis ſit ſenſus alicuius doctrinæ, vel libri de rebus fidei tractantis, & ferat ſententiam de mente authoris; quod vt percipias melius, nota hanc propoſitionem, aliqua ſententia damnatur etiam ſenſu ab authore intento, dupliciter intelligi poſſe: primo ſic, vt ſenſus authoris, ſit ille ipſe, quem verba important, in mente audientium, vel legentium, vt ſi quis diceret, vel ſcriberet hanc propoſitionem, *Credo Ieſum Chriſtum, eſſe Redemptorem mundi*, quam propoſitionem, audiens intelligit, Ieſum Chriſtum, iuxta communem chriſtianorum loquendi modũ, & iudicat, quod proferens iſta verba, ea intelligat, prout Chriſtiani communiter intelligunt, vt ſcilicet per Ieſum Chriſtum, non intelligatur prima vel tertia, ſed potius ſecunda Trinitatis perſona, humanitati vnita; adeoque authorem vel proferentem, velle eandem illam propoſitionem, à ſe prolatam vel ſcriptam, intelligi in eo communi ſenſu, quem Chriſtiani iam à tot ſæculis intelligunt, & conſequenter eum ſic loquentem, vel ſcribentem,

nolle

nolle mentiri, ſed potius velle, vt ille ipſe ſenſus generetur in animo audientis, vel legentis, quem verba nunc communiter à chriſtianis accepta ſignificant: idem eſt de illo, qui diceret, vel ſcriberet erroneam iſtam propoſitionem, nego dari liberum arbitrium in homine, ad vtramque partem indifferens, quod ſcilicet, velit in mente audientis, vel legentis, illum ipſum ſenſum producere, quem iſta negatiua propoſitio importat, vt ſcilicet per *nego* non intelligat, *affirmo*, ſed potius illud ipſum, quod verbum *nego*, importat, & hoc modo loquendi ſubinde, vel approbatur, vel reprobatur aliqua ſententia, vel liber, in ſenſu ab authore intento, nempe illo, quem verba communiter accepta, important, quemque ſupponitur author, velle generare, in animo audientis, vel legentis, cum præſumatur nolle mentiri, dum per eiuſmodi verba, à ſe ſcripta, vel prolata, ſe exprimit. alio modo poteſt intelligi ſenſus ab authore intentus; vt v. g. proferens hanc propoſitionem, *Credo in Ieſum Chriſtum* reuera tamen potius diſcrederet, *Illum articulum*, quem ore profert, & ille eſt ſenſus occultus in animo ſcribentis, vel loquentis latens, qui hominibus citra reuelationem, non eſt notus, & in hoc ſenſu, nunquam Eccleſia, vel approbauit, vel reprobauit vllius ſententiam, vel librum, ſed bene in primo ſenſu, quatenus Eccleſia intelligit illum hominem, qui ſcriberet, vel proferret hanc propoſitionem hæreticam, *Verbum diuinum eſt pura creatura*, velle, vt talis propoſitio intelligatur iuxta eam ſignificationem, quam verba important, & hic eſt ſenſus ab authore intentus.

§. III. In hoc igitur ſenſu, Eccleſiam poſſe probare & reprobare, ac ſæpius probaſſe, & reprobaſſe, libros, ſententias, authores, patet breuiter ex praxi primitiuæ Eccleſiæ; ſic Concilium Nicænum primum, anathema dixit doctrinæ Arianæ & ipſi Ario vbi aliqui detractabant, Anathema dicere ipſi Ario, eo quod minime crederent eum qui erat accuſatus, eiuſmodi hominem fuiſſe; ſed pro hæreticis ſunt condamnati, donec ſe retractantes, reſtituti ſunt. Epheſina ſynodus Neſtorium, eiuſque doctrinam damnauit, aſſerens actione prima, *præ manibus haberi Neſtorij blaſphemiarum commentarios*. Et in eadem ſynodo, duodecim Anathematiſmi quos Cyrillus Alexandrinus, priuato ſuo ſtudio, contra Neſtorij perfidiam ſtruxit, & vibrauit, tanquam Canones Orthodoxi, ſunt approbati. Calcedonenſe ſimiliter concilium, damnauit Eutychetem, & recuſante, ac tergiuerſante Theodoreto Epiſcopo Anathema dicere ipſi Neſtorio, tandiu vrſerunt patres

ſynodi, donec tandem protulerit illa verba; *Anathema Neſtorio*, & ſubiunxerunt patres, *dignus eſt* (ſcilicet Theodoretus) *Sede Eccleſiæ*. Nec eſt quod aliqui hic nugentur, de quæſtionibus facti, ſiue enim iuris ſit quæſtio, ſiue facti, ſiue mixtum ex vtraque quæſtione, planum eſt Eccleſiam in hac materia probaſſe, & reprobaſſe ſenſus, librorum & authorum; quid quæſo agit Eccleſia, in ſuis Concilijs Oecumenicis, dum res fidei agitantur, niſi ferre iudicium an hic vel ille ſenſus, ſit legitimus ſenſus, huius vel illius textus controuerſi, ſeu an hic ſenſus ſit à Deo reuelatus, an hic vel ille liber ſit ſimiliter à Deo dictatus? an bene translatus? quæ ſunt quæſtiones facti. cæterum vocent eam quæſtionem, vt volunt, qui cenſuras Eccleſiæ declinare ſtudent, certum eſt ex prædictis exemplis & alijs plurimis, Eccleſiam, ſæpius vt dixi, probaſſe & reprobaſſe ſenſus librorum & authorum, & cur quæſo præfata Eccleſia, per quotidianam praxim, non ſolum damnat multas ſententias, ſed prohibet ne doceantur, niſi poſſet reſpicere ad ſenſus, quos illæ ſententiæ, in mente audientium poſſent gignere, ac dicere, quod ille ſit ſenſus, ab authore intentus? non curat autem Eccleſia, an proferens habet contrarium verborum ſenſum, in animo ſuo, ſed bene curat de ſenſu, quem verba communiter accepta important, & dicitur ſenſus ab authore intentus, ſeu quem vult in animo audientium vel legentium generare.

§. V. Nec ſuum etiam iudicium ouibus auferimus; quin illud etiam ſuo modo ſe extendat, non vt volunt reformati, nempe, vt quilibet, & quælibet habeat ius animaduertendi, in definitiones & decreta paſtorum cenſura finali, adhibito ſcilicet priuato ſcripturarum ſcrutinio; ſed vt de doctrina communiter accepta, & credita iudicet pro modulo ſuo, quatenus quilibet fidelis iudicat Religionem Chriſtianam, eſſe dictatam à Deo, & proinde eſſe præferendam cuilibet alteri ſectæ, ijs argumentis inductus, quorum principale ſit vera Eccleſia, illis dotata ſignis, quæ diſtinguant à damnatis chriſtianorum ſectis, qualia ſunt, vt miracula omittam, vnitas fidei & Religionis, vniformem profeſſionem eorumdem articulorum, ſacramentorum, & præceptorum, exterius in oculis humani generis oſtendens, ſanctitas doctrinæ, & operum, non interius modo, ſed exterius exhibita, diffuſio per omnia tempora, & loca Eccleſiæ, Apoſtolica doctrinæ, & paſtorum ſucceſſio. Habent igitur in hoc ſenſu, ſinguli & ſingulæ fideles, ius ſecernendi magiſtram Eccleſiam, ab omnibus falſis religionibus, non ex ſacro textu, ſed ex luce ipſius Eccleſiæ, mi-

cante

cante in prædictis ſignis. poſſunt item oues iudicare de doctrinis quorumcumque hominum, ex articulis fidei publice notis,& creditis, vt Deum exiſtere, animam eſſe immortalem, dari ſeptem ſacramenta, & cætera eiuſmodi, vnde poſſunt fideles apud ſe infidelitatis damnare, eos omnes qui negent, vel in dubium reuocent, aliquid horum vel ſimilium articulorum publice in Eccleſia creditorum, non tamen vt dixi priuato ſcripturæ ſcrutinio, ſed ex publica Eccleſiæ authoritate, eos dirigente, & regulante; non habent tamen oues, per hoc ius ſuffragij in Concilijs generalibus chriſtianorum, cum id ſpectet ad paſtores; nec licet similiter ouibus præſcribere alijs credenda, quæ ſeorſim cenſuerint vera.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quomodo perueniri poſſit ad Eccleſiam & fidei reſolutionem.

§. I. ECcleſia, ex dictis dupliciter conſiderari poteſt: primo vt eſt congregatio hominum conſtans viris ſapientibus ſanctitate, prudentia, charitate, aliarumque virtutum chriſtianarum ornamento claris, dotata externis, ſed illuſtribus quibuſdam ſignis. Secundo conſiderari poteſt, vt eſt congregatio habens, continuam Spiritus Sancti aſſiſtentiam. primo modo conſiderata poteſt dirigere iudicium infidelium volentium ad agnitionem veritatis venire,cum per argumenta ex Eccleſiæ notis petita manifeſte illis appareat,& probari poſſit.ſecundo modo conſiderata dirigit iudicium fidelium duntaxat, cum eius authoritas ſic conſiderata, non niſi ex reuelatione diuina conſtet. Hinc iudicium quod aſſenſum fidei præcedit, eſt certum, quia innititur illis notis, & rationibus, quas non quidem ſecundum ſe ſumptas, ſed prout ſubſunt diuinæ prouidentiæ, magis implicat fallere, quam repugnet fallere, vllam aliam cognitionem naturalem: hoc autem iudicium eſt,quo quis iudicat res ſibi propoſitas eſſe firmiſſime credendas, quod iudicium non eſt actus fidei diuinæ, ſed moraliter euidens, ac certa cognitio, concepta vt dixi, ex euidentia notarum fidei, quæ morali ſimiliter euidentia demonſtrant Eccleſiam.

§. II. Hinc quia humana natura pro hoc ſtatu, non niſi me-

diante ſenſu, & phantaſmate, cognitiones ſuas acquirere, & haurire poteſt, planum eſt eam, per voces & ſigna ſenſibilia, inſtruendam eſſe, adeoque primo omnium incipiendum eſſe, à cætu viſibili verorum fidelium, quærendo quis, & vbi ſit, vt ex illo ediſcatur vera religio, quod recte notauit Diuus Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 7. *fac nos primum nunc quærere, cuinam Religioni animas noſtras purgandas inſtaurandaſque tradamus, procul dubio à catholica Eccleſia, ſumendum eſt exordium:* & ſane nemo inficiari poteſt, quin diuinæ prouidentiæ, & humani generis imbecillitati valde conſentaneum ſit, dari in hoc mundo prædictum cætum fidelium, qui ex Dei inſtitutione, & aſſiſtentia habeat infallibilem authoritatem proponendi, & explicandi doctrinam reuelatam, cum enim fides ſit ex auditu, & auditus ſupponat loquentem, cui credat, & certo credat, ſane fideles & credituri, ab aliquo, cui credendum ſit, docendi erunt, cum hoc per ſe ipſos præſtare non poſſint, niſi difficillime, & plerique ſint Rudes & Ignari; quem modum proponendi ac docendi inſinuat Apoſtolus ad Rom. 10. *quomodo credent* &c. vbi probat, quod in acquirenda notitia veritatis, & aſcendendo à nobis verſus Deum, neceſſe ſit, vt incipiatur nobiſcum à vocibus, & ſignis ſenſibilibus, quibus noſtræ potentiæ immutentur, & concipiant agnitionem doctrinæ reuelatæ: hæ voces ſunt ſermones, & loquelæ eorum, qui annunciant dogmata ſalutis, hæc ſigna ſunt illæ notæ, quibus manifeſtatur nobis vera Eccleſia, à qua mittuntur illi prædicatores veritatis, qui prædicta dogmata prædicant.

§. III. Vnde à nobis verſus Deum aſcendendo, ſic poſſet formari gradatio v.g. lumine naturæ notum eſt exſtare verum Deum, qui loqui poteſt, & mentiri non poteſt, cum ſit ſumme verax: poſito quod loqui poſſit, opus eſt, poſſe palam loqui, per ſigna quædam externa loquelam, tanquam veram, teſtantia, eamque mentibus audientium inſinuantia, vt certo innoteſcat, Deum loqui, ne ſi non poſſet loqui palam, loqui deberet ſingulis; vel ſi non poſſet certo loqui, firma ei non haberetur fides: modus igitur palam loquendi melior, aptiorque eſſe non poteſt, quam ſi idem Deus, locutionem ſuo nomine exhibitam, dotari faciat ſignis quibuſdam externis, miris & illuſtribus: atqui hæc Dei loquela, de facto aliter ad nos non peruenit, quam quod Dei nomine nobis loquatur Eccleſia, & hanc Eccleſiam, eiuſque locutionem, Deus ornet miris & manifeſtis ſignis, quæ nos ad Eccleſiæ ipſius notitiam perducunt, atque adeo dum Eccleſia loquitur,

tur, Deus ipſe, illa locutione, loquitur, ſicut quando prophetæ, & Apoſtoli olim loquebantur Dei nomine, Deus ipſe illa locutione loquebatur, vnde frequens illud dictum, *hæc dicit Dominus*, in ſcriptura paſſim; hinc cum Eccleſia teſtatur Deum eſſe Trinum & vnum, hoc ipſum atteſtatur Deus; ſicut quando Eccleſia ligat vel ſoluit hoc ipſum ligat, & ſoluit Deus Matth. 16. *quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* & Matth. 18. *quæcumque alligaueritis ſuper terram erunt alligata & in cælo*, &c. & rurſus, *non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* hanc igitur Eccleſiæ loquelam, tanquam ſuam Deus confirmat, ſequentibus notis, & ſignis, quibus Eccleſia, eiuſque authoritas oſtenditur, ſicut oſtendenda prius venit authoritas prophetæ, vel Apoſtoli, quam eius dictis fides habeatur; quo facto cuncta mox creduntur, quæ tradit Sancta Mater Eccleſia, per quam Deus loquitur. Vnde docti, indocti, Rudes, ignari, ſimplices, tuto & ſine erroris periculo, dicunt, *credo quidquid credit Sancta Mater Eccleſia*, cum Eccleſiæ, & Dei ſit vna eademque loquela, quandoquidem Deus non petat à nobis alia credere, quam quæ reuelauit Eccleſiæ, & per Eccleſiam credenda propoſuit; neque Eccleſia poteſt alia proponere, quam illa eadem, quæ Deus ipſi reuelauit. Neque ad hanc ipſam Eccleſiam inueniendam, opus eſt ſemper recurrere ad miracula, cum in illa maneat, manſurumq; ſit in æternum, aliquid miraculo æquiualens nempe eminens ipſius authoritas, quatuor illis vulgaribus notis communita, terrarum orbi manifeſtis, hanc autem Eccleſiam, non fide diuina, ſed ratione & diſcurſu, facile vnuſquiſque agnoſcit, & ſicut paganus aliquis viſo miraculo & nondum fide diuina credito, ad credendum inducitur, & mox credit, nec vllum committit circulum, nec petit principium, ita cuilibet credenti continget, ſi loco Miraculi ponatur Eccleſia, oculis humani Generis conſpicua.

Quomodo ex his fieri poſſit reſolutio fidei.

§. IV. Ex dictis facile poteſt fieri fidei reſolutio, hoc in primis obſeruato, vnumquemque fidelem, debere ſcire & credere. Credere quidem omnes fidei articulos, ſcire etiam, cui illa credat, an hominibus, an Satanæ, an Deo? ſcire equidem debet, ſe Deo credere, & non alteri, quare cum in ſingulis fidelibus,

libus, hæc duo interueniant, nempe *credere, & ſcire, & credere* ad fidem, *ſcire* ad fidei præambula pertineat. De vtroque illo rogari poteſt, crediturus. Itaque quoad fidem incipiendo à veracitate diuina, & inde ad nos deſcendendo, rogatus fidelis aliquis, cur credat, Deum eſſe Trinum & vnum, & ſic de alijs myſterijs? reſpondet, quia Deus illa omnia reuelauit; neque de hac ſua fide quærendus eſt amplius, cum ſic credens, fidei ſuæ cauſam reddat, quæ nulli eſt obnoxia deceptioni: quærere enim cur Deo reuelanti credatur, ſtultum eſt, & inſanum, cum Dei authoritas, omnem fidem, aſſenſum, & obedientiam mereatur; ſi autem fidem ſuam, & eiuſdem fidei cauſam, ſollicitetur fidelis ille, ad vlteriorem cauſam reducere, ignoranter, & irrationabiliter ſollicitatur: cum non debeat, aut timere, aut dubitare, Deo ſummo veraci credere: nunc ſi de hoc ſcire, quod dixi pertinere ad fidei præambula, rogetur, vnde & ex quo ſciat ſe Deo credere? hic ad teſtimonium Eccleſiæ, ſibi per credibilitatis argumenta, manifeſtatæ, recurrere debet, & cum D. Auguſt. lib. de vtilitate credendi cap. 14. reſpondere poterit, *Etenim nullis me video de Chriſto credidiſſe, niſi populorum, atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ, hos autem populos, Eccleſiæ catholicæ, myſteria occupaſſe*. recurret igitur quilibet, ad ea credibilitatis motiua, quibus inductus acceſſit ad Eccleſiam, per cuius os, vt ſupra dixi, loquitur Deus; reddet itaque quilibet, cauſam, cur Eccleſiæ proponentis authoritatem audierit, ruſticus quidem ruſtice, puer, pueriliter, doctus, docte, vnuſquiſque pro modulo ſuo, cum habeat Eccleſia Chriſti, eas notas, & ſigna, quibus mortales facile inducantur, ad eius authoritatem agnoſcendam, an autem, quando, & quomodo fideles ipſi ſemper, pro ſua fide, ad hæc motiua, & iudicium præuium, ex eis productum recurrere debeant, dixi ſupra diſt. 2. ſect. 2. art. 1. & 2. agens de hoc ipſo iudicio præuio, & modo quo concipiatur fides.

§. V. Vbi facile vitatur circulus, & mutua prioritas authoritatis Eccleſiæ, & Verbi Dei, vt vna ſit cauſa, altera conditio, nam fides vnica, ac ſimplici reſponſione, abſque omni eiuſmodi mutua prioritate, reuocatur ex integro ad Dei reuelantis verbum. Illud vero ſcire, ſeu iudicium præuium, quod ipſam fidem diuinam, ſeu credere natura præcedit, non reuocatur ad aliquid fide diuina creditum, ſed ad alia principia, orbi nota, illa ſcilicet, quæ facile oſtendunt Eccleſiam, per quam Deus loquitur; varia autem ſunt iſta principia, quibus demonſtratur Eccleſia, alia ſunt,

quæ

quæ illam oſtendunt oculis humani generis; alia quæ probent apud quos, ex tot chriſtianis ſectis, hæc vera Chriſti exſtet Eccleſia: & inter poſtrema iſta principia, aſſignari poteſt, ipſum Dei verbum, quod rurſus in caſu dupliciter conſiderari poteſt (quod valde notari debet) vel vt fide diuina creditum, vel vt humano duntaxat modo conſultum. Per hoc Dei verbum primo modo ſumptum, non pugnatur cum hæreticis, & Iudæis, cum illud contra eos, non poſſit accipi fide diuina creditum, donec eis conſtet, apud quoſnam ſit veritas: cum non niſi, ſecundum veræ Eccleſiæ teſtimonium, illudque prius cognitum, liceat quidquam fide diuina accipere: verbum ergo Dei in ſecundo ſenſu, ſeu humano modo (qualiter eo vtuntur Hæretici, Schiſmatici, Iudæi, extra Eccleſiæ gremium conſtituti) ſincere, ingenue, ac magno veritatis ſtudio conſultum, examinatum, intellectum, erit vnum principium, inter alia, dignoſcendi, apud quos Chriſtianos vera doctrina, & vera Eccleſia exſtat, & in hoc ſecundo modo, & ſenſu, pugnat & pugnauit Eccleſia per ſcripturas, contra Hæreticos, & Iudæos, qui nondum diuinum ſcripturæ ſenſum, diuina fide credendum, diuinitus percipiunt: donec prius, veræ Eccleſiæ fiant membra; in hoc etiam ſecundo ſenſu, dixere nonnulli doctores, ſcripturam eſſe inter alia principia, medium efficax ad conuincendos Hæreticos, & Iudæos, contra quos, eo vſi ſunt Apoſtoli probando, *quod hic eſt Chriſtus*. Scriptura itaque in hoc caſu, non accipitur fide diuina à prædictis, ſed tantum fide humana: vnde non fit progreſſus à ſcripturis fide diuina creditis, ad eaſdem iterum, fide diuina creditas, vel credendas, ſed ex eiſdem fide humana acceptis, & creditis, probatur Eccleſia, cuius authoritas infallibilis ſemel admiſſa, probat, & proponit eaſdem ſcripturas, fide diuina credendas.

§. VI. Similiter authoritas Eccleſiæ, eiuſque definitiones, & decreta, quæ ad credendum inducunt, & obligant, non fide diuina præaccipiuntur, ſed validis boniſque rationibus prius comprobantur, & eiuſmodi etiam argumentis probatur Eccleſia, eiuſque authoritas; ex quibus patet, quam facile poſſit reſponderi in quod vltimatè reſoluatur fides. interrogatus enim aliquis, quomodo venerit ad fidem? Reſpondebit, per docentem Eccleſiam. iterum interrogatus, quomodo nouit Eccleſiam iſtam docentem eſſe credendam? Reſpondebit ex ſignis, & notis veræ Eccleſiæ. poſtea interrogatus, quid crediderit? Reſpondebit verbum Dei ab Eccleſia propoſitum. tandem interrogatus cui crediderit?

Reſ-

Reſpondebit, Deo reuelanti: hinc ex parte obiecti, veracitas Dei reuelantis, eſt ratio formalis in quam vltimate reſoluitur fides, teſtimonium autem Eccleſiæ proponit, & manifeſta credibilitate, docet obiectum formale fidei. Ratio rei creditæ, eſt reuelatio diuina: ratio cognitionis noſtræ, proxime mouens, eſt propoſitio Eccleſiæ, reuelatio autem eſt prior natura, propoſitio Eccleſiæ, eſt prior quo ad nos, quia prius mouet, & immutat potentias noſtras cognoſcitiuas, reuelatio eſt poſterior quo ad nos, quia ab Eccleſiæ propoſitione aſcendimus ad reuelationem, & inde, ad Dei veracitatem, & in ea vltimate in credendo quieſcimus.

SECTIO VLTIMA.

Quænam ſit tandem illa vera, & viſibilis Eccleſia, cuius authoritas ſit Regula, & norma credendi.

Quæſtio inter nos verſatur, inquit Diuus Auguſt. libro de vnitate Eccleſiæ cap. 2. *vbi ſit Eccleſia, vtrum apud nos, an apud Donatiſtas*, vel eorum ſequaces reformatos, *quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent quia per totum eſt*. videndum, an vllam partem habeant, in hac domini ſorte reformati: vnde hanc ſectionem in ſubſectiones diuido, has in articulos.

SVBSECTIO PRIMA.

Excluduntur aliæ omnes ſectæ à ratione veræ Eccleſiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Percurrendo breuiter cæteras religiones, oſtenditur eas, non pertinere ad Chriſti Eccleſiam.

§. I. INcipio à Mahometana ſecta, quæ manifeſta eſt tyrannis, ante annos vix mille, cum Mahometo nata, vix vſquam apparuit, nec reſumpſit doctrinam totam religionis, quæ ante ipſum fuerat, non enim Chriſtianam, non Moſaicam, non Pa-

gani-

ganicam, vt patet diſcurrenti per ſingula. Cœpit ergo poſt aliquot ſæcula à morte Chriſti, adeoque falſa eſt: poteſt quidem Deus variato rerum ſtatu, variare leges, poteſt præter alia olim reuelata, alia inſuper reuelare, ſed ſemel reuelata, non poteſt negare; vel ergo Deus ante Mahometum, prouidit hominibus media ſalutis, vel non? hoc ſecundum dici non poteſt; cum Deus voluerit homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quod ſane non vellet, niſi media prouideret; quod ſi prouiderat, ergo ſufficientem doctrinam reuelauerat: vel ergo illa doctrina, erat Hæbræorum, vel Chriſtianorum, & nunc Turcæ tenentur, alterutram credere, neutram profitentur, cum vtramque abrogauerint, & doctrinam induxerint figmentis, contradictionibus, impoſturis, & ſpurcitijs, ac libidinibus refertam; vt ex fœdo eorum inſtituto patet: neque hæc doctrina, quæ à Chriſti morte ad Mahometum vſque colebatur à Chriſtianis, fuit profeſſio Hebræorum, quia quamuis iactent ſe colere Religionem cum ipſo terrarum orbe exortam, & omnium antiquiſſimam, vt tamen à Turcis tranſeam ad Iudæos, iis nunc eo deuoluitur, quinam? an ipſi? an nos Chriſtiani ſimus veri ſucceſſores illius doctrinæ, quam Deus olim per os ſuorum prophetarum reuelauit? & licet iactare poſſent ſucceſſionem carnalem, fidei tamen veræ ſucceſſionem nunc aſſerere non poſſunt, primo, quia Meſſiam à Deo in lege promiſſum, nec recipiunt, nec agnoſcunt: ſecundo quia eorum profeſſio caret partibus veræ Religionis, ſacrificio, ſacerdotio, templo, quorum nihil extra Hieroſolymam, ex lege permittitur. Tertio, quia modus eorum regendi, omnino eſt à Deo mutatus, nam Regibus, iudicibus, prophetis, miraculis, quibus nec in ipſis eorum captiuitatibus, Deus illos deſtituerat, iam per ſexdecim ſæcula carent: Quarto quia Chriſtus manifeſtis prodigijs, & virtutibus, oſtendit ſe miſſum à Deo, nec tamen eum parere voluerunt: veri autem fideles, non autem Iudæi fuiſſe ſucceſſores illius veræ fidei, in veteri teſtamento reuelatæ, & propoſitæ. Et Iudæi aliam prorſus diuerſam profitentur Religionem; veri fideles vetuſtiſſimam illam prophetarum fidem colunt, ſuccedunt que veris illis ſynagogæ fidelibus, in Chriſto Ieſu, qui tanquam lapis angularis, vtrumque iunxit angulum, veteris & noui teſtamenti.

§. II. Potiſſima nunc cum reformatis ſupereſt lis, quæ tamen ex eorum principijs, prima parte relatis, eſt plane deciſa; & ne ſolus in hac parte ego audiar; cum iſta prætenſa reformatio in plures ſit diſſecta ac diuiſa ſectas; quarum qualibet cæteris refor-

matis, eſt ex diametro oppoſita, & nomen, nihilominus, titulumque veræ Eccleſiæ ſibi vendicat; audiatur igitur etiam Hieronymus Kromayerus proteſtans, & primarius apud reformatos Lipſienſes profeſſor, in ſuo ſcrutinio Religionum, typis mandato anno 1673. huius ego, quod ad rem meam in præſenti attinet, laudo ſtudium, quod numeret præcipuas religionis reformatæ ſectas, probetque omnes, non poſſe eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ vna eſt, ſed vnam aliquam ex omnibus, quam tamen Kromayerus adhuc non deſignauit: Approbo & Ego elogium eidem authori datum, in præfatione ſui operis, quod noluerit, vt plerique, ſub ſpecioſo pacis, & concordiæ nomine, diuerſas iſtas ſectas in vnam conciliare, & qui aggreſſi ſunt, *laterem lauiſſe, & magno conatu magnas nugas egiſſe, qui orthodoxam religionem, cum hæterodoxis, iuſtitiam cum iniquitate, lucem cum tenebris, Chriſtum cum Belizale, templum Dei cum Idolis, adhuc conciliare ſunt anniſi*: proinde maiori laudis adorea dignos eſſe, *qui in diſcriminandis, quam qui in conciliandis religionibus operam collocant.* Recenſet Kromayerus ſequentes religiones, nempe Catabaptiſmum, Quakeriſmum, VVeiglianiſmum, Roſæcrucianiſmum, Paracelſiſmum, Prothinianiſmum, Arminianiſmum, Soncinianiſmum, Caluiniſmum, Abyſſiniſmum, Anatoliciſmum, quas omnes ſectas, à caula Dominici Gregis abigit, ſtringit tandem linguam arroganti temeritate, in Papiſmum, & apud ſe concludit ſolum Lutheraniſmum, ſeu Auguſtanæ confeſſionis ſequaces pertinere ad ſortem Domini: quod quomodo reliquus reformatorum Grex audiat, neſcio? Kromayeri certe calculo, cui etiam nos libenter ſubſcribimus, ruunt in Barathrum infelicitatis æternæ, & ſolus Papiſmus eſt illa Eccleſia, aduerſus quam, portæ inferi nunquam præualuerunt, nec præualebunt, vt ex ipſis reformatorum principijs clare patet, & infra iterum patebit.

§. III. Auguſtanam vero confeſſionem, quæ Kromayero ſola orthodoxa, mihi vero multis ex capitibus heterodoxa eſt, ſeipſam ſæpe reprobaſſe ex prima parte huius operis, ſatis conſtat, & iterum breuiter recolligendo, quæ ibi dixi, prædictam confeſſionem, cum cæteris reformatis ſectis, in eundem cumulum inijcio, & ſic de tota reformatæ religionis maſſa diſcurro: conſtat ex hactenus dictis, veram & viſibilem Chriſti Eccleſiam, nunquam defeciſſe, & perpetuo eſſe vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam: nihil horum reformatæ religioni conuenit: religio defectibilis & erronea non eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ nunquam

defecit,

defecit, aut deficere poteſt in doctrina fidei; atque adeo neque reformari, vnde Religio reformata, hoc ipſo amittit omnem veræ & infallibilis Chriſti Eccleſiæ titulum; quod vocetur, & dicatur reformatio, quare ea omnia argumenta, quæ reformati pro fallibilitate Eccleſiæ conglomerant, apertiſſime deſtruunt ipſam reformationem, oſtenduntque, eam eſſe diabolicam impoſturam vt prima parte vidimus: vnde quoties reformati blaterant, & vociferantur pro iſta fallibilitate, vt ſuum ſacrilegum ſchiſma excuſent, ſeipſos ſuo gladio iugulant. ſed propius ad rem: vera Chriſti Eccleſia eſt perpetuo viſibilis, vt ex ipſis reformatis confeſſionibus oſtendi, reformati autem, vt vidimus, agnoſcunt reformationem ſuam, nullo certo & externo ſigno affici, quo conſtaret, eam eſſe verã Chriſti Eccleſiam. Item vera Chriſti Eccleſia habet authoritatem, & iuriſdictionem docendi, & proponendi doctrinã ſalutis, reformatio ex proprijs principijs, nullam eiuſmodi iuriſdictionem, vel authoritatem habet, nullus enim in reformatione præeſt legitime, nullus iure reformatis doctoribus vel miniſtris ſubeſſe debet; tota tandem reformatio in ludicram hiſtrionũ fabulam deſinit. Item vera Chriſti Eccleſia, eſt perpetuo infallibilis in proponenda, & exponenda doctrina fidei: prætenti reformati, ex prædictis ſuis principijs, nullam vel ipſi habent, vel alijs dare poſſunt certitudinem, de ſcripturæ Canone, integritate, verſione, ſenſu, expoſitione, nullam certam cognitionem poſſident de ſua doctrina reformata, incerti ex præfatis ſuis principijs, an eadem reformatio ſit à Deo verace, an à diabolo mendace. præterea ipſe reformatorum ad nuda biblia recurſus, relinquit eos incertos, an reuera habeant vllam canonicam ſcripturam, an vllam verſionem genuinam, præcipitat eoſdem in deſperationem vnquam veniendi ad agnitionem veritatis, fouet omnes hæreſes, ſchiſmata, & controuerſias ſine ſpe vnquam conciliandi diſſidentes, in vnum; rurſus ex dictis ſuis principijs, conuincuntur, fateri ſe reuera neſcire, quid de Religione chriſtiana credendum, aut quare, imo dubitare merito, an quidquam de tota ſua doctrina reformata, ſit vllo modo credendum, & tandem reformationem ſternere latam perditionis viam in gehennam; quę omnia luculenter oſtendunt prætentam reformationem, omni colore iuſtoque titulo veræ Chriſti Eccleſiæ carere. Denique Eccleſia Chriſti eſt vna, ſed certum, & manifeſta experientia compertum eſt, reformatos non colere vnam religionem, cum implacabiliter in præcipuis Chriſtianæ Religionis capitibus diſſideant, & conſequen-

ſequenter reformatio non eſt reuelata à Deo, qui contradictoria nec reuelat, nec reuelare poteſt. Inter reformatos autem, omnes confeſſiones ſunt diuerſæ, nec in ſenſu, numero, vel doctrina conueniunt. Nulla item ex ipſis, in punctis controuerſis, inuenitur in regula à reformatis præſcripta, nempe ſcriptura, in qua ne vnus quidem articulus controuerſus totius reformationis legitur, aut inuenitur. Eccleſia item Chriſti eſt ſancta; reformatio ex proprio ore non eſt ſancta, cum ex ſuis principijs, vt prima parte vidimus, ſit impoſturis & diabolicis illuſionibus obnoxia, non eſt item catholica, iſta eadem reformatio, vti debet eſſe vera Chriſti Eccleſia, cum nec ſemper extiterit, nec vbique per orbis partes diffundatur, per vniformem ſui vnionem, & profeſſionem, atque adeo neque eſt Apoſtolica, quæ Apoſtolicam doctrinæ vel paſtorum ſucceſſionem, ſine intermiſſione non habet, non eſt igitur vera Chriſti Eccleſia, vt ex proprijs ipſius reformationis principijs conſtat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex alijs capitibus oſtenditur, prætentam reformationem, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

§. I. Illa non eſt vera Eccleſia, quæ in multis cum prædamnatis hæreſibus conuenit: ſic facit reformatio, igitur non eſt vera Chriſti Eccleſia. maior patet, quæ enim conuentio Chriſti, & Belial, aut luci cum tenebris? minor probatur, nam reformati præmortuas hæreſes reproducunt, vt notat Georgius Rhetus, ex reformatione ad catholiciſmum, ſeu Romanam Eccleſiam conuerſus, in ſua face rat. 8. apud Rhedingum differt. 2. ſect. 1. cap. 1. primo reformati reijciunt Romanam Cathedram, tanquam peſtilentem, idem olim fecere Donatiſtæ Teſte D. Auguſtino libro 2. contra Epiſtolas Peſiliani. Secundo aiunt, ſuam Eccleſiam fuiſſe inuiſibilem, vltra mille ducentos annos, idem docuere Donatiſtæ, apud D. Auguſt. cap. 12. de vnitate Eccleſiæ. Tertio refutant verbum Dei, non ſcriptum, quod fecere Ariani, & Pelagiani, Teſte Auguſtino lib. 1. cap. 1. contra Maximum, & cap. 39. de natura, & gratia, quarto reijciunt diſtinctionem præsbiterij & Epiſcopatus, quod fecit olim Aerius hæreticus, Teſte Auguſtino hæreſi 53. quinto reijciunt ieiunium quadrageſimale, pre-

ces & oblationes pro defunctis, quod feciſſe Aerium teſtatur Auguſt. hæreſi 53. ſexto aliqui reformati negant, Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, quod fuit dogma Pelagianorum, apud Auguſt. hæreſi 88. & Epiſtola 28. & ſerm. 14. de verbis Apoſtoli. Septimo aliqui eorum negant Baptiſmo expiari aliquod paruulorum peccatum, quæ fuit hæreſis Pelagianorum Teſte Auguſtino hæreſi 88. & libro primo de nuptijs, & concupiſcentia cap. 20. octauo inuehuntur contra miſſæ ſacrificium, quod fecere olim Manichæi hæretici, quos refutat D. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. Nono tenent ſola fide iuſtificari homines, quod docuit Eunomius hæreticus, teſte Auguſtino hæreſi 54. Decimo aliqui reformati, negant liberum arbitrium, quod negarunt Manichæi, Teſte Auguſtino lib. 2. cap. 5. de actibus cum Felice. Vndecimo reformati eliminant vitam monaſticam, quem Manichæiſmum aduerſus Iouinianum, reprobat D. Auguſtinus lib. 1. cap. 31. de moribus Catholicæ Eccleſiæ. Duodecimo reformati abolent cultum ſanctorum, eorum inuocationem, reliquias, imagines, quas aduerſus Vigilantium defendunt Sanctus Hieronymus epiſt. ad Riparium; & Auguſtinus cap. 83. de Eccleſiæ dogmatibus; denique negant plerique reformatorum, realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, quã olim impugnauit Iudas Iſcariotes Ioann. 6.

§. II. Addo alia ſigna hæreſis, & primum ſit illud 1. Ioan. 2. *ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum*: ex quo loco ſic diſcurro: ex tota Chriſtianorum congregatione illi ſunt Apoſtatæ, & hæretici, qui ex aliquo Chriſtianorum cætu, vel vnione diſceſſerunt, & exierunt, non autem illi, qui in ea fidelium vnitate perſiſtunt, vt ibi teſtatur Euangeliſta, & act. 15. *quidam à nobis exeuntes, Turbauerunt vos, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus* 2. ad Tim. 4. *in nouiſſimis temporibus, quidam diſcedent à fide* dari igitur debet cætus fidelium, in quo ſit vera illa fides, à qua quidam diſcedunt: ſed in toto Chriſtianorum aggregato, & corpore, non Romani Catholici, ex Lutheranis, Caluiniſtis, vel alijs eiuſmodi reformatis; ſed è contra reformati exierunt ex Catholicis Romanis, Catholicis interim in ſua fide, & profeſſione perſiſtentibus; nam Lutherus, Caluinus, Beza, Zuinglius, Carolſtadius &c. fuere primo Catholici Romani; ergo in tota chriſtianorum congregatione, reformati ſunt Apoſtatæ & hæretici: Romani Catholici qui in primæua fide perſiſtunt, ſunt veri fideles, minor

&

& conſequentia, quoad primam partem, conſtat ex prima parte huius operis. Nec eſt quod reformati opponant, ex ipſis aliquos exire ad catholicos, hi enim non tam exeunt, quam redeunt ad priſtinam, & veram Religionem, cum tota reformatio primitus ex catholicis exierit. patet item hoc, ab enumeratione partium; nam illi fuerunt perpetuo hæretici, qui exierunt, Cerinthus, Cerdon, Valentinus, Hebion, Arius, Neſtorius, Eutyches, Pelagius, non illi, qui permanſerunt, nempe Irenæus, Athanaſius, Cyrillus, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus &c. tenet igitur argumentum, in quacumque manifeſta certa, & deſignata hæreſi; atque adeo, ex certis, ad controuerſa, & litigioſa procedendo valet modo, reformatos, qui exierunt & hæredes ſunt eorum, qui prodierunt, & diſceſſerunt, eſſe hæreticos; eos vero, qui remanſerunt in priſtina communione Eccleſiæ, pro tunc exiſtentis, catholicos eſſe, & veros fideles; ex quibus nemo ſane ad reformatos deficit, niſi inanes paleæ, illi inquam, qui vxores, ſeu ſcorta potius, vel ſecum ſeducunt, vel in reformatione accipiunt, votique Deo facti repagula, impio, & ſacrilego auſu perfringunt, vt carnis libidini, & illecebris indulgeant. nec eſt quod ad tritum illum ſuum, & ſtultum defectus, & fallibilitatis Eccleſiæ refugium, accurrant, cum hoc ipſum male torqueat, & peſſundet totam reformationis machinam, & ſuis ipſa telis per iſtam miſeram, & cæcam euaſionem, ſe perimat. tandem reformati ab illa, & ex illa Eccleſia exierunt, a qua, & ex qua ſemper exierunt hæretici, & cui nulla vnquam hæreſis communicauit, quæ eſt nempe Romana Eccleſia; quænam quæſo eſt iſta Eccleſia, vel vbi gentium fuit, vel exſtitit illa vera, & viſibilis perpetuo Chriſti Eccleſia, à qua defecit Romana? hanc in æternum reformati non oſtendent, nec deſignabunt, niſi recurrendo ad latebras, & tenebras, in apertam reformationis ipſius perniciem, vt videre licet, in prima parte, quæ luculenter oſtendit eandem reformationem reſolui in ſuos cineres, & irreparabile excidium, per illa eadem capita, quibus ſuum ſchiſma palliare contendit.

SVB-

SVBSECTIO SECVNDA.

Ex hactenus dictis, & aperta reformatorum, ac omnium pæne Chriſtianorum confeſſione, ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex notis veræ Eccleſiæ, vltro citroque admiſſis oſtenditur ſolam Romanam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

§. I. NOn eſt opus hic prolixo diſcurſu, ſed ſola mentis, & oculorum aduertentia. ſeponant quæſo reformati paſſiones ſuas, & veluti indifferentes arbitri circumſpiciant, vbi & quænam ex tot chriſtianorum ſectis, mutuo ſibi oppoſitis, ſit vera Chriſti Eccleſia, quam vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam eſſe, ac perpetuo fuiſſe, fatentur vnanimi conſenſu reformati: ſane conſtat aperte has notas, non reperiri in cœtu ipſorum reformatorum, vt parte prima vidimus, & eam ſolam etiam fatentur eſſe veram Eccleſiam, quæ has notas habet. conuertant igitur obtutus in catholicos Romanos, eorum ſane congregatio eſt vna, vt orbi terrarum manifeſte apparet, nam eamdem fidem, idem ſymbolum, eadem ſacramenta, vnum idemque viſibile caput vniformiter, vbique ſequuntur, & profitentur. Vnde quod Romæ creditur, & tenetur, de fidei capitibus, hoc ipſum, in vno eodemque ſenſu, & conſenſu, tenent, & credunt catholici in Hibernia, Anglia, Scotia, Gallia, Germania, Hiſpania, Indijs, in Aſia, Ægypto, & reliquis mundi plagis, quicumque ſe Romano catholicos fatentur, quod apertiſſima aurium, oculorumque experientia demonſtrat.

§.II. Sanctam ſimiliter eſſe Romanam Eccleſiam patet ex Regula à Chriſto data dicente, *non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec mala bonos fructus, ex operibus eorum cognoſcetis eos.* Sanctitas enim, vt alias ſupra notaui, non ſolum ſanam doctrinam, ſanoſque mores præſcribit, ſed etiam, ea doctrinæ principia à ſe excludit, ex quibus radix vitiorum pullulare poſſet, vnde hæc ſan-

ctitas

ctitas ſtudium adhibet, non ſolum ad ſanctimoniam doctrinæ & morum fouendam, & procurandam, ſed etiam ad reſecandam prauam doctrinam, & morum corruptelam; quod vt melius percipiatur, & orbis Chriſtianus videat, quam bene vtrumque hoc ſtudium vigeat, in ſola Eccleſia Romana, certum eſt vitiorum prauitatem, ex iſta triplici radice prouenire 1. Ioan. 2. nempe, *ex concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, ſiue ex luxuria, auaritia, ſuperbia, contra hoc monſtrum triceps, triplici Deus animaduertit flagello, ſcilicet peſte, contra luxuriam, fame contra auaritiam, bello contra ſuperbiam; contra idem monſtrum, in ſcriptura etiam, triplex præſcripſit Deus remedium, nempe ieiunium contra carnis concupiſcentiam, eleemoſynam, contra concupiſcentiam oculorum, orationem, contra ſuperbiam vitæ: triplex etiam Chriſtus in ſuo Euangelio ſub conſilio deſignauit pharmacum, votum ſcilicet caſtitatis, contra luxuriam, votum paupertatis, contra auaritiam, votum obedientiæ ſeu abnegationis propriæ voluntatis contra ſuperbiam: ex præfato triplici monſtro, omnia vitiorum monſtra; omnes prauæ voluptatum illecebræ, omnia ſcelera promanant: ſunt fateor huiuſmodi vitia in Eccleſia Romana, ſunt ſimiliter apud dominos reformatos, bona ſua venia.

§. III. Nunc an Romana Eccleſia, an potius prætenta reformatio hæc vitia, hæc ſcelerum ſcaturigines, & radices foueat ex reformatorum principijs patet; e contra ſi Romana Eccleſia his malis, materna charitate, ſedulitate, & omnibus modis viam obſtruere ſatagit, iure ſane merito, titulum ſanctitatis ſibi etiam ex hoc capite, vendicat: pergamus autem per ſingula, nam contra carnis concupiſcentiam, vigere in illa ieiunij remedium, teſtantur ieiuniorum inſtituti dies, quadrageſimales feriæ, quatuor anni tempora, ſanctorum vigiliæ: contra concupiſcentiam oculorum, pugnare eleemoſinam, ipſi eleemoſinarum fructus, & effectus, loquuntur, nempe tot templa, aræ, Xenodochia, conuentus, aſceteria, tot pauperum, viduarum, pupillorum, puellarum ædes, tot ſeminaria, Collegia, tot Eccleſiaſtici prouentus miniſtris diuini cultus alendis fundati: ſuperbiæ remedia teſtantur tot modi orandi inſtituti; tot peregrinationes, frequentationes pœnitentiæ, & euchariſtiæ, tot ſatisfactiones. Tria item illa remedia à Chriſto commendata, ſcilicet obedientiam, paupertatem, caſtitatem teſtatur terrarum orbis, teſtentur tot monachorum, monialium, aliorumque Religioſorum domicilia, in oppidis, villis, Ciuitatibus

tibus, locis deſertis, vallibus, montibus; demùs vltro reformatis, Romanæ Eccleſiæ membra, ſubinde fragilitatis laborare defectibus, ſed & iam contra hanc infirmitatem, ſuas medicinas tam ſolerter, quam efficaciter adhibet. teſtentur id iterum & ſæpius tot ſummorum pontificum conſtitutiones, tot decreta, tot canones conciliorum, tam generalium, quam prouincialium, pro reſecandis vitijs, pro extirpandis abuſibus, pro reformandis moribus, illæſa ſemper fidei integritate: nullum horum remediorum apud reformatos exſtat: horrent ieiunia, eleemoſinas, ſupplicationes, peregrinationes, longum vale omnibus bonis operibus, dixerunt eorum principia, deſæuiunt in caſtitatis, obedientiæ, paupertatis cultores, demoliuntur monaſteria, Clauſtra, & templa; præbent ampliſſimum campum, & aditum omnibus Apoſtolis, monachis, religioſis, presbiteris, vt vota Deo facta, perfringant, ita vt non ſolum triplici illi concupiſcentiæ, nolint obſtacula ponere, ſed etiam omnia remedia in ſcriptura commendata, auferant, & aboleant; his adde Eccleſiam Romanam, nunquam communicaſſe cum vlla hæreſi olim damnata, non Arij, nō Macedonij, non Neſtorij, non Eutychetis, vel ſimilium, nec reformati, vel ex ſcripturis claris, vt ad labium ipſorum loquar, neque ex patribus, aut concilijs, vnquam oſtendent, vllum errorem ineſſe doctrinæ eiuſdem Eccleſiæ.

§. IV. Catholicam ſeu diffuſam, per omnia tempora, & loca, eſſe Eccleſiam Romanam, patet, tum ex hiſtorijs, tum ex concilijs, tum denique, ex totius orbis Chriſtiani ad Romanam ſedem appellationibus, vt art. ſequenti videbimus. patet ex eiuſdem, per orbem diffuſione vniformi: neque hic eſt neceſſe in particulari perpetuam Eccleſiæ Romanæ exiſtentiam, & infallibilem authoritatem oſtendere, nam hæc iam ex ipſius religionis reformatæ principijs probaui, vnde modo reſtat declarare eam eſſe veram, & infallibilem Chriſti Eccleſiam, quæ veræ Eccleſiæ notas habet, ſuppono enim ex dictis, veram Eccleſiam perpetuo duraſſe, & durare, ac eſſe perpetuo infallibilem, ita vt hic diſcurſus recte procedat, ex hoc principio, iam in præcedentibus luculenter comprobato; vera Eccleſia eſt perpetua viſibiliter exiſtens, & infallibilis; ſed hæc eadem Eccleſia eſt & ſemper fuit vna ſancta, catholica, & Apoſtolica rurſus. quæcunque eſt & ſemper fuit vna, ſancta, Catholica, & Apoſtolica, illa eſt vera, & infallibilis Chriſti Eccleſia, qui diſcurſus admittitur ab ipſis reformatis in ſuis confeſſionibus, ſubſumo, ſed ſola Romana eſt

& ſemper fuit vna, ſancta, catholica, & Apoſtolica Eccleſia: ergo ſola Romana eſt vera & infallibilis Chriſti Eccleſia; maior vltroque citroque admittitur. Minor conſtat experientia ex vnitate, & communi catholicorum in doctrina Religionis conſenſu, & concordia, ex ſanctitate tam doctrinæ, quam morum, operibus exhibita, vt ſupra oſtendi, ex diffuſione eius per orbem, & continua ſucceſſione paſtorum, vt etiam annales & ſynodi teſtantur: rurſus hæ notæ, nulli alteri cætui conueniunt, non reformatis, vt vidimus, non Schiſmaticis Græcis, vt articulo ſequenti videbimus, & tamen aliqua ex chriſtianis congregationibus, debet dotari his notis, non alia, quam Romana Eccleſia. quid dicam de dono Miraculorum, quod in Eccleſia Romana continuo reſplendet, quodque reformati, non niſi per impugnationem agnitæ veritatis, negare poſſunt, teſtetur id Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, Belgium quibus locis frequentia patrantur miracula.

§. V. Vt autem credatur de fide, Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, non requiritur noua reuelatio, quaſi exigeretur vt hæc fidelium congregatio, hodie exiſtens, oſtendatur nobis in ſcriptura, nam in præcedentibus oſtendi, nullum opus eſſe eiuſmodi noua reuelatione, ſed ſufficere antiquam reuelationem, in qua Deus hunc cætum, ſingulis ſucceſſiue ſæculis exiſtentem, reuelauit, quæque nobis applicatur per ea ipſa ſigna, quæ ſoli huic Eccleſiæ, apta nata ſunt competere, quemadmodum, vt diſt. 3. dixi, verus propheta, qui ſufficienter proponit res ſibi à Deo reuelatas, conſequenter proponit ſufficienter, ſe eſſe verum prophetam, & ſicut Iudæi tenebantur credere, futurum eſſe Meſſiam eum, in quo implerentur, quæ de Meſſia erant prædicta à Prophetis, & poſtea videntes aperte ea omnia, eſſe impleta in Chriſto, tenebantur credere, hunc ipſum, eſſe illum Meſſiam, in lege & prophetis promiſſum; & illa reuelatio ſufficienter eis applicabatur, per ſigna de Meſſia prædicta, ſic Eccleſia olim reuelata, oſtenditur quotidie, per propria ſua ſigna, ei ſoli conuenientia, & per has ipſas proprietates, illa reuelatio nobis applicatur, hæc enim ſigna Eccleſiæ, quibus eam percipimus, vt ſubſunt diuinæ prouidentiæ, nos decipere non poſſunt, vt ſuperius alias notaui, videntes enim prædicta ſigna, formant iudicium credibilitatis præuium, ad fidem diuinam, quę poſtea elicita tendit in reuelationem de Eccleſia factam, adeoque veriſſimum eſt hanc Eccleſiam, in terris hodie exiſten-

tem, eſſe in ſcripturis reuelatam, ſicut ibidem reuelatum eſt, baptiſmum hodie rite collatum, delere originale. plura de hac re omitto cum fuſe id egerim, in mea ſecuri Euangelica parte 2. diſtinctione 8.

ARTICVLVS SECVNDVS:

Ex appellationibus Eccleſiarum totius orbis Chriſtiani ad Romanam ſedem, oſtenditur Romanam ipſam eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

§. I. Appellatio ſecundum iuriſconſultos *l. §. ſi quis in appellatione ff. dè appellatione, eſt prouocatio à minori ad maiorem iudicem*, vnde quoties conſtat, aliquem, ab vno tribunali, ad aliud appellaſſe, certum eſt poſterius tribunal, eſſe principem appellantis, alias proferenda, & accipienda ſententia nunquam litem dirimeret, & quod eiuſmodi appellatio facta à minori ad maiorem iudicem, arguat ſubordinationem vnius ad alium, fatentur ipſi reformati, qui licet omni careant iuriſdictione in rebus fidei, tamen veluti ſimiæ catholicorum, hunc ipſum appellandi modum decreuere in Synodo Midelburgica num. 26. *vt aggrauatus poſſit appellare à minori conuentu, ad maiorem*. Id ipſum decernit num. 30. idem habet ſynodus nationalis Gallica, Belgica, Germanica, num. 18. ita ſimiliter habent concilia Eccleſiarum reformatarum Franciæ. tit. de miniſtris verbi, item diſciplina eccleſiaſtica reformationis Gallicæ num. 6. diſciplina Palatinatus tit. de ſynodis generalibus; fatentur igitur reformati admittendas appellationes, eaſque arguere authoritatem in eo, ad quem fiunt; quod ſi eiuſmodi authoritatem in ſuſcipiente appellationes negarent, ſane omnes reſpublicas illico confunderent, & euerterent. nec valet dicere, quod quandoque ex conſenſu partium litigantium poſſit fieri appellatio, ad conſimilem in iuriſdictione, imo & ad amicum, non valet inquam, nam in tali caſu, non eſſet appellatio, ſecundum iura, ſed tantum conuentio, ſeu voluntarius contractus.

§. II. Nunc pergo ad omnium nationum Eccleſias, quæ ad Romanam ſedem appellarunt, adeoque cum ea communionem obſeruarunt. Incipio ab orientali Eccleſia, & Concilio Sardicenſi

anno 347. celebrato eo ſcilicet tempore, quo reformati fatentur, veram & viſibilem Chriſti Eccleſiam viguiſſe, ait ergo hoc concilium cap. 3. *placuit vt ſi quis Epiſcopus delatus fuerit, & congregati huius regionis Epiſcopi, eum gradu mouerint, & veluti appellans confugerit ad Beatiſſimum Romanorum Epiſcopum, & velit ipſum audire*, & infra, *Si quis poſtulet ſuum negotium rurſus audiri, & ad ſuam ſupplicationem Romanorum Epiſcopum, iudicare viſum fuerit &c. reſponderunt Epiſcopi, quæ dicta ſunt, placuerunt*, & in fine concilij, ſubiungitur *vniuerſa, quæ conſtituta ſunt catholica Eccleſia, in vniuerſo orbe conſtituta, cuſtodiat.* quod autem nouum ius Romanæ Eccleſiæ, ibi non conferatur, ſed antiquum declaretur, patet ex verbis actionis 16. Concilij Calcedonenſis, *Eccleſia Romana ſemper habuit principatum*, his adde Nicænam, Epheſinam, Calcedonenſem, & reliquas deinceps generales ſynodos, authoritate Romanę ſedis fuiſſe congregatas, vt patet ex litteris præambulis cuiuſlibet concilij, & ſingulæ ſimiliter ſynodi petunt, ab eadem ſede confirmationem, & in ſingulis pariter præſederunt Legati Romani pontificis, vel ipſemet in perſona: ſi quam autem in ea re exercuerunt Imperatores authoritatem, fuit mere, vel exhortatoria, vel executoria, & notatu dignum eſt, quod Imperatores, quamuis ſubinde fuerint præſentes ſynodis generalibus, nunquam tamen ſubſcripſerint, nec ſententiam pro vllo decreto, vel canone condendo tulerint, vt ex ipſarum ſynodorum contextu patet, nec obſtat nouella 131. Iuſtiniani Imperatoris dicentis, *ſtatuimus ſenioris Romæ Epiſcopum, eſſe primum omnium ſacerdotum*: Nam non ſtatutum, ſed diuinæ inſtitutionis declarationem importat, quæ inſtitutio habetur Ioan. 21. *paſce oues meas*.

§. III. Pergo ad appellationes in particulari, & ordior ab Alexandrina Eccleſia, cuius prima appellatio ad Romanam ſedem, facta eſt ab Epiſcopis Ægypti anno 112. vt conſtat ex litteris Euariſti papæ ad eoſdem Epiſcopos, tom. 1. conciliorum. Secunda facta eſt, anno 194. vt teſtantur litteræ victoris Papæ, ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum; tertia anno 203. ex litteris Zepherini Papæ ad Ægypti prouinciæ Epiſcopos. quarta anno 309. conſtat ex Epiſtola Euſebij Papæ, ſcripta Epiſcopis per Alexandriam & Ægyptum militantibus, in cauſa Epiſcoporum, à proprijs ſedibus pulſorum. Quinta anno 335. in cauſa D. Athanaſij, & contra conciliabulum Tyrium, vt docent litteræ Iulij Papæ, *Venerabilibus*, inquit, *fratribus vniuerſis orientalibus Epiſcopis Iulius &c.* ſexta appellatio anno 352. habetur ex Epiſtola Liberij

berij, ad Sanctum Athanaſium, & alios Ægyptiorum Epiſcopos. Septima anno 402. ex litteris Sancti Innocentij Primi ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, in cauſa Sancti Ioannis Chryſoſtomi: octaua ex Epiſtola Cæleſtini Papæ ad Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum: ſequitur nona, decima, vndecima, duodecima, ſub Sancto Leone, & Gregorio Magno.

§. IV. Sequuntur appellationes Eccleſiæ Antiochenæ, prima anno 304. ex litteris Sancti Marcelli Papæ, ad Antiochenam Eccleſiam; ſecunda ex litteris Sancti Damaſi Papæ ad Paulinum Antiochenum patriarcham. Tertia ex litteris eiuſdem Damaſi ad Epiſcopos orientis, appellantes, contra Timotheum Apollinariſtam: quarta ex litteris Sancti Innocentij Primi ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, appellantem. Quinta ex alijs eiuſdem Innocentij litteris, ad præfatum Alexandrum iterum appellantem. Sexta ex eiuſdem litteris reſponſorijs, ad eundem Alexandrum. Septima ex litteris Sixti tertij ad Ioannem Antiochenum Epiſcopum. Octaua ex Epiſtolis Sancti Leonis primi, ad Maximum Antiochiæ Epiſcopum appellantem: ex litteris Simplicij Papæ ad Zenonem Auguſtum, pro Eccleſia Antiochena. Nona ex litteris Archimandritarum, & cæterorum monachorum, ſecundæ Syriæ appellantium, ad Hormiſdam Papam, anno 514. electum. decima ex litteris Sancti Gregorij Magni ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum, appellantem. Vndecima ex litteris Sergij Cyprienſis Inſulæ Epiſcopi, ad Theodorum Romanum pontificem, de duabus Chriſti voluntatibus contra Monothelitas.

§. V. Succedunt Conſtantinopolitanæ Sedis appellationes, Prima Sancti Ioannis Chryſoſtomi, ad Sanctum InnocentiumPrimum, vt patet ex mutuis ad inuicem vtriuſque litteris; & Innocentij ad Arcadium Auguſtum. Secunda Neſtorij patriarchæ ad Cæleſtinum Papam ex litteris Cæleſtini, ad Cyrillum Alexandrinum, in cauſa eiuſdem Neſtorij. Tertia appellatio in cauſa Sancti Flauiani Patriarchæ Conſtantinopolitani, appellantis ad S. Leonem Primum Pontificem, vt habetur ex mutuis eorum epiſtolis. Quarta habetur ex litteris Theodoreti Cyri Epiſcopi, à conciliabolo Epheſino, ad eundem Leonem appellantis, & ab eodem ſuo Epiſcopatui reſtituti, & litteris Leonis ad eundem. Quinta ex litteris eiuſdem Leonis, ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, contra quem Epiſcopi veteris Epiri, appellarunt ad eundem pontificem, conquerentes de grauaminibus ab Anaſtaſio illatis. Sexta ex litteris Fælicis Papæ ad Acacium Con-

ſtan-

ſtantinopolitanum Patriarcham, quem idem Pontifex, ob ſuos errores depoſuit, quam depoſitionem confirmauit Gelaſius Papa, & in hac ſua ſententia, idem pontifex ait: *ad Sedem Romanam, de qualibet mundi parte appellari ſolitum, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus*. Septima ex litteris Iuſtiniani Auguſti, ad Hormiſdam Papam, pro parte multorum Epiſcoporum. Octaua appellatio, ex relatione Synodi Conſtantinopolitanæ, ad eundem Hormiſdam, de ordinatione Epiphanij. ſequitur nona, decima, vndecima, duodecima, ſub Pelagio, Gregorio, Nicolao primo.

§. VI. Accedunt Eccleſiæ Hieroſolymitanæ appellationes. Prima ex litteris S. Innocentij Primi, ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, accuſatum de erroribus Origenis, & malis illatis, Euſtochio & Paulæ. Secunda ex litteris Sancti Leonis Primi, ad Iuuenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, ob res prætéritas, perperam geſtas, obiurgatum. tertia ex eiuſdem Leonis litteris ad monachos prouinciæ Paleſtinæ accuſatos, de hæreſi: quarta contra Petrum Epiſcopum Hieroſolymitanum, ex litteris Agapeti Papæ, ad ipſum. Quinta ex litteris Gregorij Papæ ad Iſicium Epiſcopum Hieroſolymitanum, & Martini Primi ad Hieroſolymitanam & Antiochenam Eccleſiam contra Monothelitarum hæreſim; hæc ex Eccleſia Orientali adſciuimus teſtimonia pro Romanæ Sedis prærogatiua, & veritate data primitiuis etiam temporibus.

§. VII. Claudant agmen cæterarum Eccleſiarum appellationes, & in primis Africanæ Eccleſiæ appellationes audiamus; prima ſit ad Euariſtam Papam anno 194. Secunda ad Cornelium Papam, tertia ad eundem, quarta ad Damaſum, à tribus Concilijs Africanæ prouinciæ. Quinta ad eundem Damaſum, ex eiuſdem litteris ad Epiſcopos Numidiæ. Sexta ex litteris Sergij Papæ, ad Epiſcopos Africæ. Septima à Concilio Carthaginenſi, ad S. Innocentium Primum. Octaua ex Concilio Mileuitano ad eundem. Nona ex litteris Zoſimi Papæ. Decima ex eadem Africa, ex litteris eiuſdem Zoſimi, in cauſa Cæleſtij. Vndecima ad Sanctum Leonem Primum, ex eiuſdem litteris, ad Africanos Epiſcopos: duodecima ad Ioannem Papam anno 590. decima tertia, decima quarta, decima quinta, ſub Sancto Gregorio, & decima ſexta ſimul cum profeſſione fidei, ex Africa ad Theodorum Papam anno 649. item Hiſpaniarum Eccleſiæ, vndecim vicibus, appellarunt ad Sedem Romanam ab anno 237. ad annum 590. Galliarum Eccleſiæ, ad eandem ſedem inſtituerunt recurſus, ſeu

appel-

appellationes, ab anno centeſimo, ſexageſimo ſeptimo, ad annum 858. Eccleſia Germanica, ad eandem ſexies appellauit ab anno 398. ad annum 863. Eccleſia Anglicana, appellauit ad Leonem Quartum, & Ioannem Octauum, Eccleſia Hiberniæ ad Gregorium Magnum, Eccleſiæ Scotiæ ad Ioannem Papam. Eccleſiæ particulares Italiæ, ad præfatam ſedem appellarunt duodecies ab anno 104. ad annum 872.

§. VIII. Ex his elicitur iſta irrefragabilis ratio, oſtendens totius orbis Chriſtiani Eccleſias communicaſſe, cum Sede Romana, & ex hoc capite Romanam ſolum eſſe Catholicam, ſeu vniuerſalem Chriſti Eccleſiam; adeoque Romanæ ſedi, cæteras omnes Eccleſias eſſe ſubiectas, & incipio ab hoc vltimo: ad quam ab alijs omnibus Eccleſijs, data occaſione fieri ſolent, & debent recurſus, ad vltimam controuerſiarum obtinendam deciſionem, eidem ſimiliter tanquam ſupremo Iudici, ſunt ſubiectæ; ſed totius orbis Chriſtiani Eccleſiæ, data occaſione fecerunt recurſus, ad Sedem Romanam, ſeu Romanum Pontificem, pro eiuſmodi deciſione obtinenda, ergo illi vt ſupremo Iudici, ſunt ſubiectæ: maior patet ex inſtituto, & praxi appellationis; minor conſtat ex dictis. patet denique prior pars aſſumpti, ſolam ſcilicet Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, alia enim in terris aſſignari non poteſt. Non enim Alexandria, quæ duodecies ad Romanam Sedem appellauit: item ſæpius in fidę aberrauit, ſeu errarunt eius Epiſcopi Dioſcorus, Georgius, Lucius, alijque. Non Antiochena, quæ ſimiliter crebro ad Romanum Pontificem appellauit, pluresque ſederunt in ea hæretici patriarchæ. Non Hieroſolymitana, quæ toties item Romam prouocauit, & nonnullis hæreticis patriarchis ſedem præbuit; non Conſtantinopolitana, quam toties infecit hæreſis, Macedonij, Neſtorij, Sergij, Photij, quæque ſupremam Eccleſiæ Romanæ authoritatem, per recurſus, & appellationes, ad eam toties agnouit, non Africana ob eaſdem rationes, non prætenta reformatio, vt patet luculenter ex prima parte; igitur ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ perpetuo viſibiliter, & infallibiliter durauit, cum qua omnes aliæ particulares Eccleſiæ communicarunt: nec aliam vnquam aduerſarij deſignabunt, quæ perpetuo, & indefectibiliter durauit præter ſolam Romanam, & ne vlla refugij vmbra, reformatis relinquatur, iterum negandi, veritatem eiuſdem vnius, ſanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ. fit.

DISTINCTIO QVARTA ET VLTIMA.

Ex principijs vltro citroque admiſſis, oſtenditur eandem eſſe fidem Romanæ Eccleſiæ, in articulis controuerſis, hodie ſub Innocentio vndecimo, quæ fuit olim ſub D. Petro, & inde ſub Innocentio Primo.

APOLOGIA IPSORVM REFORMATORVM.

Pro authoritate, & doctrinæ integritate patrum primitiuæ Eccleſiæ, qui Sancto Innocentio Primo coexſtiterant, & de medio probandi res fidei inde deſumendo.

§. I. PRo hac patrum authoritate, & integritate prodeunt ex reformato grege Caluinus lib. 1. inſtit. cap. 11. ſect. 3. Breitingerus opuſculo de ſectis pagina 27. Danzius pag. 5. epiſt. reſponſ. item Chronicor. lib. 3. in vita Theodoſij. Bullingerus cap. 7. 1. part. aduerſus Brentium, & parte ſecunda contra eundem cap. de ipſa cauſa contr. decad. 5. ſerm. 4. §. docendi. Paucerus lib. 4. Chronic. de rebus Eccleſiæ. Kechermannus lib. 3. cap. 14. ſyſtem logic. hi omnes docent, per quinque, & ſex priora ſæcula, quibus floruerunt Diſcipuli Apoſtolorum, eorumque auditores Polycarpus, Ignatius, Irenæus, Iuſtinus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, Cæſarienſis, Auguſtinus, Hieronymus, Proſper Aquitanicus, & Maximus, magis in Eccleſia Religionem, & ſinceram doctrinam floruiſſe; quam doctrinam, & Religionem, ſi adhuc foret in Eccleſia Romana, fore ſe illam vltro, ac illico amplexuros, eo quod tunc, ex verbo Dei verus de Deo ſenſus, ac pius in Deum cultus traditus fuerit: Imo Chriſtianam Religionem tunc tempeſtatis, nihil aliud fuiſſe, quam verum ex verbo Dei, de Deo ſenſum, & pium eius cultum fuiſſe. Hæc iſti pro patrum primitiuæ Eccleſia ſincera doctrina, quibus coexſtitit S. Innocentius Primus, vt patet ex litteris D. Ioannis Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Concilij Affricani, & Mileuitani ad

præ-

præfatum Innocentium, cuius temporibus, vt ex confeſſione prædictorum reformatorum conſtat, viguit vera fides, & Religio: quod ſi hanc ipſam fidem, hodie etiam in Eccleſia Romana florere oſtendero, certe ex lege & conditione, à præfatis authoribus admiſſa, reformati tenentur ad eandem Eccleſiam redire.

§. II. Addo rurſus pro illa eadem, dictorum patrum authoritate, ſententiam Hieronymi Kramoyeri reformati, & profeſſoris Lipſienſis, de ſtatu Eccleſiæ ſub centuria quarta pag. 152. *ſi quod ſæculum, à temporibus Apoſtolorum, vſque ad reformationis tempus, patribus eruditis, græcis & latinis, claruit, fuit hoc præſens quartum: inuenias in illo Arnobium presbyterum Alexandrinum, Lactantium, Euſebium Cæſarienſem, hiſtoriæ Eccleſiæ conditorem, Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, Athanaſium, Methodium, Paphnutium, Antonium, Hilarium Pictauorum Epiſcopum, S. Martinum ab Hilario Baptizatum, S. Nicolaum, Theodorum, Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, Nyſſenum, Epiphanium, Cyrillum Ieroſolymitanum, Dydimum Alexandrinum, Damaſum, Ambroſium, Prudentium, & in primis circa decurſum, Hieronymum, & Auguſtinum*: hactenus ille, & ibidem pag. 151. in margine additur, *Chemnitius dixit ſæculum hoc fuiſſe pulcherrimum, & poſtea vix vmbram talium virorum fuiſſe in Eccleſia.* Rurſus omnes pene confeſſiones reformatæ admittunt, quatuor prima œcumenica concilia, adeoque fatentur per hoc ipſum, authoritatem, & integritatem patrum, qui iſtis concilijs interfuerunt: quod autem cauſentur reformati, dum hac patrum authoritate premuntur, doctrinæ eorumdem infuiſſe, neſcio quos næuos, ſibi ipſis in hac calumnia, aduerſantur, nam præfatus Kromayerus, vti & Centuriatores Macdeburgenſes, nec non confeſſiones reformatæ, præſertim Auguſtana, VVittenbergica, Gallica, Belgica, Saxonica, Argentinenſis, Scotica &c. recenſent, reijciuntque multas hæreſes, ortas tempore primitiuæ Eccleſiæ, imo prædicti authores referunt nominatim Donatiſtas, Nouatianos, Manichæos, Pelagianos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Apollinariſtas, alioſque ſimiles hæreticos, quibus ſe oppoſuerunt patres illius ſæculi, quo exſtiterunt iſtæ peſtes.

§. III. Ponamus nunc, hinc ſtare patrum monumenta, illinc hæreticorum, qui eis coexſtiterant, ſcripta, tum ſic: vel maior fides habenda patribus, quam hæreticis, vel non? ſi non, paris ergo ſunt authoritatis patres, & hæretici, igitur tam horum, quam illorum expoſitio, in textibus & articulis controuerſis, ſequenda, audiendi igitur non minus Manichæi, Donatiſtæ, Pelagiani, Neſtoriani,

ſtoriani, Eutichyani, Nouatiani, Iouiniani, quam Baſilius, Nazianzenus, Athanaſius, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Hilarius, Proſper, Optatus, nec autem hoc admittatur, adeoque cum maior ſit fides adhibenda patribus, quam præfatis hæreticis: rurſus ſic, vel næui, quos dicunt reformati, ineſſe prædictorum patrum ſcriptis, ſunt errores, & hæreſes verbo Dei contrariæ, vel non ſunt? ſi non, male, & mendaciter fingunt hos Næuos, vbi non ſunt, nam Næui iſti, ſi qui eſſent, deberent eſſe maculæ, impoſturæ, & vitia, quibus doctrina conſpurcatur, & cum quibus ſanitas doctrinæ non ſubſiſtit: ſi ſunt errores & hæreſes, iam doctrina patrum iſtorum, non eſt ſana, nec vnquam in teſtimonium adhiberi poteſt: nam Arij ſcripta ob hunc præciſum errorem, quem tenuit, contra diuinitatem verbi, & Spiritus Sancti, fuerunt condemnata, ſic alij deinceps hæretici, eorumque libri, ob vnum duntaxat principalem errorem, ſæpe fuere anathematizati. nec valet dicere, quod licet patrum ſcripta, continuerint nonnullas hæreſes, & errores, verbo Dei contrarios, adhuc tamen multa bona continuiſſe; nam contra eſt, quod cum bonum ſit ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu, illa doctrina non poſſit dici bona, vel ſana, quæ vllam apertam hæreſim, vel errorem reuelationi diuinæ contrarium continet, cum veritas & mendacium, lux & tenebræ, diuina reuelatio, diabolica illuſio, Deus & Belial componi ſimul non poſſint: vel igitur illi patres in ſcribendo, & ſentiendo erant Orthodoxi vel non? ſi non, certe non maior fides eis adhibenda, quam hæreticis, quos impugnarunt: ſi fuerunt Orthodoxi, certe non ſcripſerunt, nec ſenſerunt hæretice, & erronee, implicat enim quod quis in ſcribendo, & ſentiendo, ſit Orthodoxus, & tamen ſimul etiam hæreſes teneat, & ſcribat, niſi velimus dicere, quod quis ſit ſimul, & ſemel verus fidelis, & tamen apertus hæreticus, vel infidelis, Filius Dei, & filius diaboli, membrum Eccleſiæ, & membrum Synagogæ Satanæ; ne igitur tam abſurda de patribus ſentiamus, cumque eos ipſi reformati opponant Nouatoribus ſui æuii, tanquam Orthodoxos præcones, & ſcriptores hæreticis, & infidelibus, ſane pro Orthodoxis in ſcribendo, & ſentiendo ex integro ſunt habendi, alias iterum Orthodoxam fidem, Deum & Belial, in eodem animo componeremus, quod omnem excedit Chimæram.

§. IV. Subſiſtat ergo, ipſis etiam reformatis vltro fatentibus, authoritas & Orthodoxa doctrina patrum qui ſæculo quarto, &

ſub initium quinti ſæculi; Innocentio primo coexſtiterant: ſubſiſtat item medium proportionatum, ad probandum articulum controuerſum, non eſſe nudam ſcripturam, nudoſque ſcripturæ textus, ſed ipſas potius ſcripturæ expoſitiones ab Eccleſia, per ſuos patres, & concilia editas: patet id primo luculenter ex duabus præcedentibus diſtinctionibus, vbi oſtendi, ex principijs vltro citroque admiſſis, neceſſariam eſſe authoritatem, quæ verbum Dei legitime proponat, & exponat: ſecundo patet, ex manifeſta praxi ipſorum reformatorum, qui quamuis prouocent nos catholicos, ad nuda ſcripturæ verba, pro noſtris articulis probandis, ipſi tamen, vt prima parte diſt. 5. vidimus, ne vnum quidem articulum controuerſum ſuæ reformationis, in ſcriptura oſtendunt, adeoque ad ſcripturæ expoſitiones, ſpurie quidem ab ipſis factas, recurrunt. Tertio idem patet ex continuis Chriſtianorum diſſidijs, non de nudis textibus, niſi rariſſime, ſed potius de legitima, & genuina textuum expoſitione contendentium; nec enim altercabantur olim cum primitiua Eccleſia Ariani, an hic textus Ioan. 10. *Ego & pater vnum ſumus*, legeretur in ſcriptura, cum eum ibi proprijs oculis videbant, ſed quis eſſet legitimus eius ſenſus; vnde non per textum nude ſumptum, ſed per eius legitimum ſenſum, rite ſemper traditum, & factum, probabant primitiui patres, conſubſtantialitatem filij cum patre, quæ tamen vox nullibi in ſcriptura reperitur, vti nec vox *eſſentia*, *Hypoſtaſis*, *Trinitas*, *Incarnatio &c.* quare ne quidem ipſi reformati poſſunt exigere à quoquam, vt articulum credendum, totidem ſyllabis, litteris, & vocibus in ſcriptura demonſtret: cum ipſimet huic iniquæ legi, vt vidimus, ad quam olim prouocarunt catholicos, ſtare non poſſint: cum præfata lex, improbam & malam eorum reformationem, in omnibus ſuis articulis controuerſis, male torqueat, quinimo audiant reformati ſuum coryphæum Caluinum nolentem verborum cortici aſtringi lib. 1. inſt. cap. 13. §. 3. vbi inſurgit contra nouorum vocabulorum reprehenſores, quibus aliqua ſubinde exponuntur arcana, *ſi verbum*, inquit, *exoticum appellant, quod totidem ſyllabis compoſitum in ſcriptura oſtendi non poſſit, iniquam ſane legem nobis imponunt, qua damnatur omnis interpretatio, quæ ſcripturæ contextu conſarcinatur*, & paulo poſt: *ſed quid vetat quominus, quæ captui noſtro perplexa in ſcripturis, impeditaque ſunt, ea verbis planioribus explicemus &c.* hæc ille, & multa alia in hanc rem ibidem ſubiungit. Quare fruſtra reformati, ſuum Schiſma excuſant, ob voces totidem ſyllabis & litteris in ſcriptura non

repertas, niſi velint imitari in hoc ipſo Arianos, horrentes vocem ***homouſion***; indeque excuſantes ſuum ſchiſma: hac igitur Apologia pro patribus, & medio proportionato ad articulos controuerſos probandos, ex ipſorum reformatorum confeſſione, & principijs contexta, ac præmiſſa, ſit.

SECTIO PRIMA.

Fides Romanæ Eccleſiæ, hodie ſub Innocentio Vndecimo, de Reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, eſt illa ipſa, quæ fuit ſub Diuo Petro & inde ſub Innocentio Primo.

Incipio ab Auguſtiſſimo hoc Sacramento corporis, & Sanguinis Chriſti, vere, realiter, & ſubſtantialiter, vna cum eius anima, & diuinitate ſub ſpeciebus ritè conſecratis, exiſtentis & præſentis: vbi præmitto, quod ſicut ille omnis, & ſolus eſt articulus fidei diuinæ, qui fundatur, & reuelatur in verbo Dei, & tanquam talis ab Eccleſia credendus proponitur; ita e contra illa omnis, & ſola, erit formalis hæreſis, quæ ex diametro opponitur cuicumque articulo reuelato, & ab Eccleſia propoſito; nec reformati aliter, quam per huiuſmodi oppoſitionem, poſſunt prætendere, vllum articulum eſſe erroneum, vel hæreticum: vnde ſiue velint articulos credendos inueniri debere totidem litteris & ſyllabis in ſcriptura, ſiue ſufficere, vt inueniantur in verbo Dei legitime expoſito, & propoſito, certe non poterunt vnquam prætendere, vllum articulum eſſe erroneum, vel hæreticum, niſi eum oſtendant ex diametro oppoſitum, alicui articulo totidem ſyllabis & litteris (vt more ipſorum loquar) in ſcriptura reperto, vel ſaltem in verbo Dei legitime expoſito, & propoſito, fundato, quam oppoſitionem, in articulis controuerſis Romanæ Eccleſiæ, nunquam oſtenderunt; neque in æternum oſtendent, vt in ſequentibus patebit, & quia prolixius excurſura eſt iſta ſectio, eam in ſubſectiones diuido, & ſit.

SVB-

SVBSECTIO PRIMA.

Scriptura legitime per patres primitiuæ Eccleſiæ expoſita, oſtendit realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus rite conſecratis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Probatur realis præſentia, ex verbis inſtitutionis, refutando modos loquendi Lutheranorum, eandem præſentiam ſimul cum pane aſſerentium.

§. I. PRæmitto hic cauillationem reformatorum in hac materia, eſſe futilem, dum aiunt tranſubſtantiationis vocem eſſe exoticam, eo ſcilicet, quod totidem litteris, & ſyllabis non inueniatur in ſcriptura, cum Eccleſia ſæpius vtatur alijs verbis, & vocibus, ad exprimendos myſteriorum ſenſus, & quæſo quid tam noua, tam exotica, quam ipſorum reformatorum particularia dogmata, nullibi in ſcriptura inuenibilia? deinde inueniuntur apud veteres primitiuæ Eccleſiæ patres, multæ voces, tranſſubſtantiationis voci in ſignificatione correſpondentes, vt paſſim ex eorum verbis licet colligere, vt v.g. voces *mutationis, transmutationis, transformationis, tranſitus, migrationis, tranſelementationis*, & aliæ ſimiles, quarum nonnullæ, vel etiam forte germanius, hoc myſterium exprimunt, quam tranſubſtantiationis appellatio, germanius inquam, ob tranſelementationis nomen, & verbum, quibus vtuntur Gregorius Nyſſenus, in oratione ſua magna catechetica cap. 37. Theophilactus in cap. 14. Marci, apte enim ſignificat totalem ſubſtantiæ mutationem. præmitto ſecũdo, quod impugnatores realis præſentiæ, genealogiam ducant à Iuda Iſcariote, qui Ioannis 6. poſt Chriſti verba promittentis, realem eſum ſui corporis, & ſanguinis, creditur dixiſſe illa verba, *durus eſt hic ſermo*, nam Chriſtus ibidem ſubdit, *nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt* (ſcilicet imitatione) *dicebat enim* (inquit Euangeliſta) *Iudam Simonis Iſcariotem*; vnde patet non tam à Iuda, quam à diabolo, ortam eſſe hanc ſacramentariam realis præſentiæ oppugnationem.

§. II. Nunc ad Lutheranos, & ad rem propoſitam pergo, hi ergo, vt infra videbimus, admittunt realem præſentiam; circa modum huius præſentiæ, in diuerſas trahuntur opiniones, quas breuiter refero, & refellendo veram ſententiam demonſtro: aliqui ergo Lutheranæ reformationis aiunt, Chriſtum eſſe præſentem in Euchariſtia per vbiquitatem, alij per vnionem hypoſtaticam, alij per ſimplicem coniunctionem cum pane, ſeu per impanationem: & incipio ab hoc vltimo ex ipſis inſtitutionis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, quæ ipſi Lutherani tenent nobiſcum, proprie eſſe intelligenda, non autem methaphorice: rurſus cum Caluiniſtis tenent, per pronomen *hoc* deſignari panem, vt ſenſus ſit *hic panis eſt vere, & proprie Corpus Chriſti*. Contra quos ſic procedo, quando duæ res diſtinctæ, & diſparatæ, non aliter inter ſe vniuntur, quam per ſimplicem coniunctionem, tunc vna non poteſt vere & proprie dici de altera, non enim proprie dicimus *mulus eſt equus, vel ſanguis eſt Caro*, licet coniungantur ratione loci: neque proprie dici potuit, *Chriſtus eſt lapis monumenti*, licet fuerint penetratiue in eodem loco, & ſic de reliquis: atqui panis, & corpus Chriſti ſunt duæ res diſtinctæ, & diſparatæ, nec aliter vnirentur, admiſſa adhuc Lutheranorum ſententia, quam per ſimplicem coniunctionem: atque adeo panis, non poteſt vere & proprie dici corpus Chriſti, & conſequenter, ſubſiſtente illorum opinione, de illa ſimplici coniunctione, falſa eſſet Chriſti propoſitio, *panis quem ego dabo, caro mea eſt*: quod eſt impium dicere, patet vlterius cuilibet prudenti & aduertenti, has propoſitiones eſſe falſas, panis eſt proprie caro, vinum eſt proprie ſanguis, ſicut falſæ ſunt iſte, ſanguis eſt proprie caro, os eſt proprie neruus, caro eſt proprie os, etiamſi vniantur ad inuicem per ſimplicem coniunctionem.

§. III. Vt igitur ſaluetur verborum Chriſti veritas, dicendum eſt, quod Chriſtus ſit præſens in euchariſtia per tranſubſtantionem, ſeu vt ait Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. *per conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem Chriſti, remanentibus ſolis accidentibus*: Et hanc conuerſionem vocari, tranſubſtantiationem, cui voci alias ſimiles inueniri, apud patres oſtendi ſupra: quam doctrinam acceperunt catholici hoc ſæculo viuentes, de manu in manum ex antiquis patribus, Ambroſio in libro inſcripto, de ijs qui myſterijs initiantur cap. 9. vbi hanc conuerſionem, probat à paritate aliorum mirabilium conuerſionum, vt virgæ in ſerpentem, ſerpentis in virgam, aquæ fluminis

minis in ſanguinem, petræ in aquam ex Gregorio Nyſſeno in oratione catechetica cap. 37. ex D. Auguſtino ſerm. 28. de verbis Domini: ex Cypriano ſerm. de Cæna Domini: ex Cyrillo Ieroſolymitano catecheſi 4. myſtagogica: ex S. Ioanne Chryſoſtomo multis locis, ex Damaſceno lib. 4. cap. 14. Theophilacto in cap. 6. Ioan. fundamentum huius ſententiæ deſumitur ex illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, ex quibus arguere licet, contra Lutheranos, ex eorum confeſſionibus, illi enim concedunt Chriſtum accepto pane dixiſſe *Hic panis eſt corpus meum*, vel igitur hoc intelligunt de pane conuerſo in corpus Chriſti, vel de pane vt panis eſt, ſi de pane vt panis eſt, iam falſa eſt eorum propoſitio, non enim panis triticeus propriè eſt caro Chriſti, ſicut nec vinum propriè eſt ſanguis Chriſti: præterea ſic iterum diſcurro, hoc quod continetur ſub his accidentibus, eſt verum Chriſti corpus, ergo non eſt verus panis triticeus: ratio eſt, quia vt ſupra dixi, quando duæ ſubſtantiæ ſunt in eodem loco, quorum vna videtur per propria accidentia, quæ ipſi inhærent, altera eſt inuiſibilis, & latens, tunc qui oſtendit contentum ſub accidentibus, non deſignat ſubſtantiam inuiſibilem, & latentem, ſed eam cui illa accidentia inhærent, præſertim ſi propriè loquatur, & non figuratè, patet in ea v.g. ſententia, quæ in viuentibus præter animam, admittit aliam formam phyſicam corporis organici, vbi anima rationalis eſt inuiſibiliter, & latenter præſens, cum ſubſtantia corporis humani, ſi quis ergo tangeret accidentia externa humani corporis, & diceret, hæc eſt anima rationalis, non rectè loqueretur, quia licet illa anima ſit præſens, non demonſtratur per illa accidentia: aliud exemplum de ſubſtantia diuina, quæ eſt inuiſibiliter præſens cum ſubſtantia panis: cum Deus ſit vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: ſi quis autem haberet panem in manu, & oſtenſis accidentibus illius diceret, hæc eſt ſubſtantia diuina: non benè loqueretur, quia licet ſubſtantia diuina ſit præſens cum illo pane, non tamen deſignatur per illa accidentia, quæ pani inhærent, ſicut eodem modo dixi de Corpore Chriſti, penetratiuè præſente, cum lapide ſepulchri. Ergo hoc ipſo, quo Lutherani admittunt realem præſentiam, & verba Chriſti eſſe propriè intelligenda, (de Caluiniſtis enim infra) & Euchariſtiam non eſſe nudum ſignum, vel vacuum ſymbolum, debent hoc ipſo fateri, Chriſtum ibidem eſſe præſentem per conuerſionem panis, & vini in corpus & ſanguinem Chriſti; & quoties hoc Sacramentum in ſcriptura vocatur panis, intelligitur de pane mutato in ipſum cor-

pus, ſicut os Adam intelligitur de oſſe mutato in carnem Euæ, virga Moyſis, de virga mutata in ſerpentem, vxor Lot, in ſtatuam ſalis.

§.IV. Nunc refutatur alter Lutheranorum modus, de reali præſentia per vbiquitatem, nam falſum eſt humanitatem Chriſti eſſe præſentem vbique, per immenſitatem diuinam; vti nec eſt ſapiens, æternus, omnipotens; per ſapientiam, æternitatem, omnipotentiam increatam. rurſus ſi Chriſtus per humanitatem eſſet vbique præſens, non poſſet ſuſtineri recte Chriſtum fuiſſe cruci affixum, poſitum in ſepulchro, deſcendiſſe ad inferos; aſcendiſſe ad Cælos, venturum ad iudicium, cum antea ſupponeretur extitiſſe, & exſtare in prædictis locis: hæc vbiquitas deſtruit Euchariſtiam, & neceſſitatem eius, ſi enim corpus & ſanguis Chriſti eſſet vbique præſens, fruſtra conſecraretur hoſtia. Fruſtra iretur ad templum pro Euchariſtia, fruſtra Lutherani conquererentur de ſubtracto calice, fruſtra vrgerent vtramque ſpeciem; cum iam ſupponeretur eſſe vbique, nempe in omnibus hoſpitijs, ſcutellis, poculis, cantharis, panibus, carnibus, in omni denique cibo domeſtico: quod ſi Lutherani dicant, eſto ſit vbique, non tamen ſumi niſi in cibo Euchariſtico, in quo fructus ſpirituales confert. Contra, nam hunc fructum tribuere poteſt in cibo domeſtico, & extra Euchariſtiam, ſtante præfata ſententia Lutheranorum, quia credunt Chriſti humanitatem eſſe vbique; ergo credunt illum eſſe in cibo, & potu domeſtico; ergo cum comedunt cibum domeſticum, rapas, herbas, caules, petaſonem, butyrum &c. poſſunt aſſequi hunc fructum ſpiritualem excitando ſe ad fidem iuſtificātem: non eſt igitur opus ad hunc fructum obtinendum, ire ad Eccleſias, vel cibum Euchariſticum ſumere, adeoque per iſtam vbiquitatem tollitur neceſſitas Euchariſtiæ: expediant ſe nunc ex iſto labyrintho ſuæ vbiquitatis Lutherani.

§. V. Refutatur ſimiliter alter loquendi modus, per vnionem hypoſtaticam, quem finxit, ſomniauitque quidam Lutheranus, aſſerens verbum diuinum fieri panem, ſicut eſt homo poſt Incarnationem, quaſi Chriſtus haberet duo corpora, vnum carneum in cælo, alterum panaceum in altari: contra hoc delirium facit, quod pugnet cum illis Chriſti verbis, *panis quem ego dabo, caro mea eſt*, nam ſecundum ſupradictum ſomnium, panis quem dat Chriſtus in Euchariſtia, non eſt caro Chriſti, ſed corpus panaceum: ergo cum verba Chriſti ſint vera, falſum eſt delirium iſtius Lutherani. pugnat cum illis alijs verbis, *hic eſt ſanguis meus*, nam licet

panis,

panis, & vinum eſſent hypoſtatice vnita verbo, ſicut eidem verbo vnita ſunt caro & ſanguis Chriſti; non tamen poſſet dici, hoc vinum eſt ſanguis Chriſti, quamuis vniantur in eadem hypoſtaſi; communicatio enim idiomatum, ſeu attributorum, debet fieri in ſuppoſito, adeoque termini propoſitionis, debent ſignificare ſuppoſitum, & non aliquam partem ſuppoſiti: rurſus vnio hypoſtatica non fit in natura, ſed in perſona, ſeu ſubſiſtentia, in Chriſto autem homine, non eſt vlla perſona, niſi verbi, vt definitum eſt in Concilio Epheſino, contra Neſtorium: Ergo ſi panis hypoſtatice vniretur Chriſto, non vniretur illi in natura humana, quæ propria vtique ſubſiſtentia caret, neque in aliqua illius parte, ſed in ſuppoſito verbi, quare non poſſet vnquam Caro Chriſti prædicari de pane, dicendo panis, *quem ego dabo caro mea eſt*, vti nec de carne hypoſtatice vnita verbo, poteſt prædicari ſanguis dicendo, *caro mea eſt ſanguis*, cum ergo prædicta Chriſti propoſitio ſit vera, *panis quem ego dabo caro mea eſt*, nihil ibi eſt, ſub ſpeciebus, niſi vera Chriſti caro & verus eius ſanguis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quod hodie credit & profitetur Eccleſia Romana, de reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, id ipſum profeſſa eſt primitiua Eccleſia temporibus Innocentij Primi.

§. I. NOtaui ſuprà conſenſum, & traditionem Eccleſiæ admitti ab ipſis reformatis, tanquam quid validum ad probandos fidei articulos; ſic enim fatetur confeſſio Anglica art. 6. de canone, & ſufficientia ſcripturæ. Item præfatio in ſyntagma confeſſionum reformatorum, Heluetica prior & poſterior cap. 1. & 2. Belgica art. 5. Gallica art. 5. Argentinenſis cap. 1 & 2. Auguſtana ſæpius. Saxonica cap. 1. & Scoticana prior, & hoc ipſum Eccleſiæ teſtimonium, eſſe infallibile iam diſtinct. præced. ex ipſis reformatorum principijs euici; cito autem hic eas authoritates, quas in mea ſecuri euangelica omiſi, & vt filum ab Apoſtolo Petro ad Innocentium primum anno 417. vel circiter ad pontificatus dignitatem aſſumptum, ducam, nonnullos patres intermedios allego, & prodeat Sanctus Ignatius Martyr Epiſt. ad Smyrnenſes

nenſes citata à Theodoreto dialogo tertio: *Euchariſtias, & oblationes*, inquit, *non admittunt*, ſcilicet Symoniani,& Saturniani hæretici, *quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Saluatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam pater ſua benignitate ſuſcitauit.* & Epiſt.ad Rom.*non gaudeo nutrimento corruptionis nec voluptatibus vitæ huius, panem Dei volo, panem cæleſtem, panem vitæ, quæ eſt caro Chriſti filij dei, qui factus eſt poſterioribus temporibus, ex ſemine Dauid & Abrahæ*; quid clarius, pro reali præſentia? Sanctus Martialis Epiſt ad Burdegalenſes cap. 3. *quod autem Iudæi, per inuidiam immolauerunt, putantes ſe nomen eius à terra abolere, nos cauſa ſalutis noſtræ, in ara ſanctificata proponimus, ſcientes hoc ſolo remedio, nobis vitam præſtandam, & mortem effugendam*. Nos ergo proponimus, & ſacrificamus illud ipſum corpus, quod crucifixerunt Iudæi. Sanctus Alexander primus Epiſt. 1. ad omnes Orthodoxos *in Sacramentorum oblationibus, quæ inter miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, vt eius, cuius corpus & ſanguis conficitur, paſſio celebretur*. Sanctus Teleſphorus Epiſt. ad vniuerſos, *ipſi qui proprio ore corpus domini conficiunt; ab hominibus ſunt audiendi*. Eandem veritatem teſtatur Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, ſub initium & lib. 4. prope finem. Iulius Africanus in vita Sancti Mathæi.Sanctus Pontianus in Epiſtola ad omnes fideles, & quod ſit inſtar omnium Nicænum primum concilium a reformatis admiſſum can. 14.

§. II. Pergo ad quartum, & initium quinti ſæculi, & inde patres Innocentio Primo coæuos adduco; igitur Sanctus Hilarius Pictauienſis Epiſcopus lib. 8. de Trinitate, *ſi enim*, inquit, *vere Verbum caro factum eſt, & nos vere verbum carnem, Cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ, iam inſeparabilem, ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ, ad naturam æternitatis, ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit?* S. Baſilius Magnus in ſua Liturgia, *te obſecramus, & te poſtulamus, beneplacita tua benignitate, Spiritum Sanctum tuum ſuper nos, & ſuper munera iſta; & oſtendere panem quidem iſtum, ipſum pretioſum corpus domini, & Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: hunc autem calicem, ipſum pretioſum ſanguinem Domini & Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Gregorius Nyſſenus Sancti Baſilij frater, in ſua oratione catechetica cap. 37. *Dei verbo ſanctificatum panem in Dei corpus, credo tranſmutari.* Et poſtea vt magis ad viuum tranſubſtantiationem exprimat: ait. *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud tranſelementata eorum, quæ apparent, na-*

tura, quæ vox eſt ſignificantior quodammodo ipſa voce tranſubſtantiationis. S. Ioannes Chryſoſtomus in cap. primum Epiſt. ad Epheſios homilia 3. poſt medium, *de corpore à nobis agitur, quitumque corporis ſumus participes, quicumque guſtamus ſanguinem, Cogitemus, quod illius ſanguinem guſtemus, qui ſupra ſedet, qui adoratur ab Angelis*, & homilia de proditione Iudæ. *O Chriſti miſericordia: O Iudæ dementia; ille eum triginta denarijs paciſcebatur vt venderet, & Chriſtus ei ſanguinem, quem vendidit, offerebat* & in Liturgia ſua poſt medium, introducit ſacerdotem ſic orantem, *fac panem iſtum quidem, pretioſum corpus Chriſt tui, & quod eſt in calice iſto, pretioſum ſanguinem Chriſti tui tranſmutans Sancto Spiritu tuo*. Deinde introducit ſimiliter ſacerdotem reſpondentem ſuo diacono, *largior tibi pretioſum & Sanctum, & Immaculatum corpus Domini, & Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, in vitam æternam*.

§. III. Succedunt Latini patres, & in primis Sanctus Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, *abſit vt de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt*, & epiſt. 150. quæ eſt ad Hedibiam, *nos autem audiamus, panem, quem fregit dominus, deditque diſcipulis ſuis, eſſe corpus domini Saluatoris*, & poſt, *nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus, ipſe conuiua, & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur, illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus* & in cap. 1. Malachiæ Prophetæ, *polluimus panem, id eſt corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus, & dicimus, menſa domini deſpecta eſt*. & in Epiſt. ad Titum cap. 1. *tantum intereſt, inquit, inter propoſitionis panes, & Corpus Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria ipſa præfigurabantur.* Hæc Hieronymus, quibus luculenter realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia teſtatur, ſequitur D. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *antequam conſecratur, panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerunt, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem, accipite & edite ex eo omnes, hoc eſt enim corpus meum, & ante verba Chriſti, calix eſt vini, & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit*, infra. *Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus, & ſanguinem, nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?* & lib. 6. de Sacramentis cap. 1. *ſicut verus eſt Dei Filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia patris,*

ita vera eius caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus eius ſanguis eſt, quem potamus. Quid expreſſius, quid clarius pro reali præſentia potuit hic magnus Eccleſiæ Doctor pronuntiare? vnde lib. ſeu ſermone de myſterijs ad Neophytos, varia huius miræ conuerſionis exempla ex ſcripturis offert. & lib. 4. de Sacramentis cap. 4. probat ex creatione cæli & terræ, verba Chriſti veri Dei & hominis, habere vim conficiendi hoc myſterium, & conuertendi panem, & vinum, in corpus & ſanguinem Chriſti. accedit Optatus Mileuitanus initio lib. 6. contra Parmenianum Donatiſtam, vbi conquerens de ſacrilega Donatiſtarum irreuerentia, contra altaria, *quid eſt enim*, inquit, *altare, niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti? quid vobis fecerat Deus, qui illuc inuocari conſueuerat? quid vos offenderat Chriſtus, cuius illic per cætera monimenta, corpus & ſanguinis habitat &c.? hoc tamen immane facinus ſeminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices, Chriſti ſanguinis portaturos;* & lib. 2. refert miraculum à Deo patratum, in Donatiſtis, à proprijs canibus ob proiectam Euchariſtiam, dilaniatis.

§. IV. Claudat agmen magnus Auguſtinus, quem vnicum, ex tota antiquitate, teſtem ſufficere ait Caluinus lib. 3. inſt. cap. 3. quem libere in ſcholis etiam reformatis poſſe doceri, & legi in vna ſua declaratione, ait Philippus Melanchton, quem Beza theologorum omnium principem vocat ad caput. 3. ad Rom. Auguſtinus ergo in concione 2. in Pſal. 33. *acceſſerunt Iudæi, ad Chriſtum, vt crucifigerent, nos ad eum accedamus, vt corpus & ſanguinem eius accipiamus, illi de crucifixo tenebrati ſunt; nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur.* & poſt aliqua, *vere magnus Dominus, & magna miſericordia eius, vere qui nobis dedit manducare corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem bibere.* Item concione in pſal. 45. ad Iudæos loquens, *in illius*, inquit, *nomine, quem occidiſtis, Baptizamini, & dimittuntur vobis peccata veſtra, medicum, vel poſtea cognouiſtis, iam ſecuri bibite ſanguinem, quem fudiſtis:* item concione in Pſal. 66. *modo homicidis donatus eſt, & fuſus ſanguis Innocentis, & ipſum ſanguinem, quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberunt.* & homilia 27. quæ eſt de vtilitate pænitentiæ cap. 1. *tunc eis* (Iudæis) *Petrus annunciauit eum colendum, quem crucifixerunt, vt eius iam ſanguinem noſſent bibere, credentes, quem fuderant ſæuientes.* Item lib. 2. contra aduerſarium legis & prophetarum cap. 9. *mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem, dantem, fideli corde, atque ore ſuſcipimus &c.* & lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. *ſicut*

aliud eſt carnis circunciſio Iudaorum, aliud quod octauo die baptizatorum nos celebramus, & aliud eſt Paſcha, quod adhuc illi de oue celebrant, aliud autem, quod nos in corpore, & ſanguine domini accipimus, ſic fuit Baptiſmus Ioannis &c. alius eſt Christi, &c. Item ſerm. 28. *dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur ſed corpus appellatur.* Rurſus tract. 27. in Ioan. cap. 6. *verba vita aterna habes, vitam enim aternam habes in miniſtratione corporis, & ſanguinis tui, & nos credidimus, & cognouimus. quid credidimus, & cognouimus? quia tu es Chriſtus filius Dei viui, id eſt, quia ipſa vita aterna tu es, & non das in carne, & ſanguine tuo, niſi quod es.* Tandem concione 1. in Pſal. 33. exponens illud, quod legimus 1. Reg. 21. verſ. 13. ſecundum verſionem ſeptuaginta interpretum. *Et ferebatur in manibus ſuis, hoc vero fratres quomodo poſſit fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur, in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur: quomodo intelligatur, in ipſo Dauid, ſecundum litteram non inuenimus; in Chriſto autem inuenimus, ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait,* hoc eſt corpus meum, *ferebat enim illud corpus, in manibus ſuis.* Vnde idem Auguſtinus, quaſi præſcius cauillationum Caluiniſtarum, obgannientium contra hoc myſterium, ex illo textu Ioan. 6. *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quidquam,* reponit tract. 27. in eadem verba, *O domine, magiſter bone, quomodo caro non prodeſt quidquam? nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis. quid eſt ergo, non prodeſt quidquam? ſed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur, ſicut illi intellexerunt, non ſic ego do ad manducandam carnem meam.* Sed modo ſcilicet glorioſo, quo penetratiue, totus in toto, & totus in qualibet parte, per modum quemdam ſpiritualem, ſicut anima eſt in corpore, eſt ſub ſpeciebus, & ibi ſumitur. Ex verbis igitur D. Auguſtini luculenter apparet, quam aperte realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus conſecratis profeſſus fuerit, profitentur cum ipſo reliqui patres ſuperius citati, qui ſane omnes, vt alios plures eis coæuos, & ſubſequentes, etiam ad noſtra vſque tempora, doctores eandem realem præſentiam profitentes, omittam in quocumque foro chriſtianorum, tantumdem ſaltem, ſi non maius pondus authoritatis habebunt, quantum, ſi ita loqui fas eſt, poſſent vnquam, pro ſe prætendere reformati in hac præſenti materia, facient nobis ſufficientiſſimum primitiuæ

Eccle-

Eccleſiæ teſtimonium, *cui ſane Eccleſiæ, nolle primas dare*, vt cum Auguſtino lib. de vtilitate credendi cap. 17. loquar, *vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*. Luculenter denique apparet nos hodie ſub Innocentio Vndecimo, idem de reali præſentia credere quod credidit primitiua Eccleſia ſub Innocentio Primo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Perpetua Eccleſiæ Græcæ à primitiuis temporibus ad hodiernum vſque diem de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia conſenſio.

§. I. ANſam huic articulo dedit noua reformatorum euaſio, quibus, quia ſpiritus vertiginis eſt familiaris, ſimiliter familiare eſt, quod affirmant, hoc ipſum rurſus negare, & quod calamo typiſque aſſerunt, ore & factis inficiari; in eorum confeſſionibus infra videbimus, verbis quidem illos, realem præſentiam admittere, ſed iterum recalcitrante ſpiritu contradictionis, hanc ſententiam profiteri renuunt. Edidit proinde contra eos Antonius Arnaldus, opus eruditum, de perpetua Eccleſiæ etiam orientalis traditione, circa realem præſentiam. reformatorum nomine prodijt claudicans ille in via Dei, Claudius inquam miniſter Charentonienſis, & aduerſus Arnaldum, opus compoſuit, quo commentus eſt, orientales cum reformatis, in hoc eodem negotio ſentire: adſciſcunt præterea reformati in auxilium, confeſſionem Cyrilli Lucaris, ex Caluiniſticæ doctrinæ ſentina hauſtam: ſed non diſſimulauere tantam impoſturam Chriſtiani orientales, quin celebrauerint ſynodum, in prouincia Ieroſolyſmorum anno 1672. ſub iſto titulo, *duce Chriſto, Clypeus orthodoxæ fidei, ſiue Apologia, ab ſynodo Ieroſolymitana, ſub Ieroſolymorum patriarcha Doſitheo compoſita, aduerſus Caluiniſtas hæreticos, Orientalem Eccleſiam, de Deo rebuſque diuinis hæretice cum ipſis ſentire, mentientes*. Præmittuntur ſex capita, ante vltimatam definitionem. primum confutat dogmata confeſſionis Caluinianæ, cui Cyrillus Lucaris Conſtantinopolitanus Patriarcha ſubſcriptus eſt, ex alijs eiuſdem Cyrilli ſcriptis, oſtenditque eum aperte profeſſum fuiſſe, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, Sermone in

Euan-

Euangelium de quinque panibus; & ſimiliter alios eiuſdem confeſſionis errores, ex præfati Cyrilli operibus reijcit; ſecundum probat; confeſſionem iſtam, non eſſe authenticam. Tertium oſtendit, non poſſe eſſe, confeſſionem orientalis Eccleſiæ. Quartum probat, iuxta confeſſionem iſtam, nunquam credidiſſe orientales. Quintum quærit, an fuerit Cyrillus ab vllo damnatus, imo authores ſynodi colligunt, dictam confeſſionem non eſſe Cyrilli, ſed alicuius alterius ementiti nominis: ſextum continet confeſſionem orientalis Eccleſiæ, vocatur iſta ſynodus Bethleemitica, quia vel ibi fuit habita, vel ſaltem incepta.

§. II. Procedit Synodus ad ſuam ſententiam declarandam, & citat decretum ſynodi Conſtantinopolitanæ, contra Cyrilli Lucaris, ſiue authoris iſtius confeſſionis hæretica capitula, & inter cæteras cenſuras, habetur iſta, *Anathema Cyrillo dogmatizanti, & credenti panem, qui in altari proponitur, ac vinum, nequaquam per Sacerdotis Benedictionem, & ſancti ſpiritus aduentum, in verum Chriſti corpus, & ſanguinem conuerti.* Habita eſt iſta ſynodus anno 1638. die 24. Septembris, indictione ſeptima, & ſimul cum Cyrillo Berrhæenſi Patriarcha Conſtantinopolitano, ſubſcripſere Alexandriæ, & Ieroſolymorum Patriarchæ: Viginti quinque Epiſcopi, & 30. & vnus diuerſarum Eccleſiarum dignitarij: Synodus autem Bethleemitica, ante allatum ſupradictum decretum, proteſtationem præmittit ſe ad hanc ſuam ſententiam proferendam, nec metu, nec minis, nec lucro impelli, *nec*, inquiunt, *aſſignari poteſt quis eas, ad hoc moueret vel induceret, non Imperator Otomanus, non alius ſimilis, qui licèt iugum eis grauiſſimum imponat, adhuc à ſua Religione eos non abducit, ſicut Caluiniſtæ Hungari,* inquiunt, *tentant omnibus modis Cultores Eccleſiæ Græcæ, ad ſuas partes trahere. Cum itaque,* inquit ſynodus, *liberrime, id quod colunt Orientales, & credant & confiteantur, impoſſibile atque à veritate prorſus alienum eſt, eos alia quidem verbis, & ſignis fuiſſe confeſſos, alia vero in corde credidiſſe.* Volunt igitur palam facere, ſe in hac materia ſincere loqui.

§. III. Profert nunc ſynodus ſuam ſententiam quare cap. 15. *credimus*, inquit, *eſſe in Eccleſia legis nouæ Sacramenta, eaque ſeptem, nec minorem maioremue in Eccleſia Sacramentorum numerum admittimus.* Et ibidem, recenſet ſingula Sacramenta mox cap. 17. pergit ita. *Credimus Sanctiſſimum diuinæ Euchariſtiæ Sacramentum, quod ordine quartum ſupra recenſuimus, illud ipſum eſſe, quod ea nocte, qua ſemetipſum, pro mundi vita tradidit Dominus nobis traditione reliquit, panem quippe accipiens, ac benedicens, dedit ſingulis diſcipulis ſuis, &*

Apo-

Apoſtolis dicens, accipite, manducate hoc eſt corpus meum, *&* *accipiens Calicem, gratias agens dixit*, bibite ex eo omnes, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. *In huius itaque celebratione Sacramenti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eſſe præſentem, non quidem ſecundum figuram, aut imaginem, neque etiam ſecundum quandam vti cæteris in Sacramentis gratiæ excellentiam, neque ſecundum ſimplicem, quam & in baptiſmo patres nonnulli commemorauere præſentiam, neque penes coniunctionem, qua propoſito Eucharistiæ pani, verbi diuinitas ſubſtantialiter vniatur, quemadmodum inſcite, iuxta ac miſere Lutherani arbitrantur; ſed vere, realiterque, quatenus panis & vini facta conſecratione, tranſmutetur, tranſſubſtantietur, conuertatur, tranſeat panis quidem in ipſum corpus Domini verum, quod natum eſt in Bethleem, ex ſemper Virgine, Baptizatum in Iordane, paſſum, ſepultum, quod reſurrexit, aſcendit, ſedet à dextris Dei patris, in Cæli denique nubibus aduenturum: vinum vero, in ipſum domini ſanguinem verum, conuerti, ac tranſubſtantiari, qui ex illo in Cruce pendente, pro mundi vita defluxit. Item facta panis, & vini conſecratione, nec panis nec vini manere amplius ſubſtantiam credimus, ſed ipſum corpus, & ſanguinem Domini ſub panis & vini ſpeciebus, id eſt, ſub panis accidentibus.*

§. IV. Pergit vlterius declaratio, *item*, inquit, *& ipſum diſtribui Domini corpus, & ſanguinem puriſſimum, & in communicantium ſiue piorum, ſiue impiorum os, ac ſtomachum introduci: niſi quod remiſſionem peccatorum, vitamque pijs, ac dignis impertitur æternam, impijs vero ac indignis damnationem, pœnamque accerſit ſempiternam.* Et infra; *Item nequaquam ſub diuiſione qualibet, ac minima panis, & vini conſecrati particula, eſſe partem Corporis & ſanguinis domini (quippe hoc ſine blaſphemia, & impietate nemo dixerit) ſed totum ac integrum Dominum Chriſtum, ſecundum ſubſtantiam, animam videlicet ſuam, & diuinitatem, ideſt Deum perfectum, & perfectum hominem. Vnde & multæ, cum per orbem, vna & eadem hora celebrantur miſſæ, haudquaquam Chriſti plures, pluraue Chriſti ſunt corpora: ſed vnus in omnibus, ac ſingulis fidelium Eccleſijs, vere ac realiter præſens ipſe Chriſtus, vnum & corpus eſt, & ſanguis vnus*; & infra. *ac vel hinc, maxime mirabile eſt, diciturque huiuſmodi Sacramentum, & ſola fide comprehenſibile, non autem humanæ ratiunculis ſapientiæ, cuius quidem vanam, & circa res diuinas cæcam inquiſitionem, pia atque diuinitus tradita profeſſio noſtra contemnit. Item & ſupremo colendum honore, cultuque latriæ, idem Domini Corpus, & ſanguinem eſſe adorandum, item & verum, ac propitiatorium eſſe ſacrificium, quod pro fidelibus omnibus tum viuis, tum*

defun-

defunctis, necnon, & pro vtilitate omnium offertur. Item ante vſum ſtatim à conſecratione, ac poſt vſum, id quod ſacris in pyxidibus, co mmunioni moribundorum aſſeruatur, corpus eſſe domini verum, & à ſeipſo, ne vel leuiſſime quidem diuerſum, quatenus ante vſum, poſt conſecrationem, in vſu, ac poſt vſum, verum omnino ſit corpus domini. & infra *hæc eſt compendiaria Orientalis Eccleſiæ, de hoc Sacramento, doctrina, veraque confeſſio, & perantiqua traditio*, & infra: *huic adhærere qui contempſerit, Sancta Chriſti reijcit, & anathematizat Eccleſia &c.*

§. V. Et finit ſynodus per iſtam clauſulam, *catholicam vero Eccleſiam, qui cunctis ab contrarijs, eam huc vſque protexit, Dominus, non derelinquet, cui Gloria, & Imperium, in ſæcula ſæculorum amen. Anno ſalutis milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, die decima ſexta Martij, apud Sanctam Ciuitatem Ieroſolymam.* & ſequitur, *Doſithæus miſeratione diuina patriarcha, Sanctæ Ieruſalem, & totius Paleſtinæ, aſſero & confiteor, hanc eſſe fidem Orientalis Eccleſiæ.* Et cum ipſo ſubſcripſere ſeptem Archiepiſcopi, & ſexaginta in varijs dignitatibus Eccleſiaſticis conſtituti: ſubiungitur eidem ſynodo, reſponſio Dyoniſij Patriarchæ Conſtantinopolitanæ, ſuper Caluiniſtorum erroribus: in qua reſponſione ſic ait, *circa tremendum vero Euchariſtiæ Sacramentum, firmiter credimus, & confitemur corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti viuum, reali præſentia, inuiſibiliter præſens eſſe in hoc Sacramento.* & infra, *panis quidem realiter, vere ac proprie in ipſummet Chriſti Saluatoris corpus; vinum vero in ſanguinem eius animatum tranſmutatur*, & finit ſic, *ſcriptum in Palatio Patriarchali Conſtantinopolitano anno 1672. menſe Ianuario indictione 20.* & cum ipſo ſubſcripſere 44. Epiſcopi Græci. hæc ex orientali Eccleſia, Romanæ alias infenſiſſima, pro reali præſentia, contra eius impugnatores produximus, vt pro ea, pugnet iam orbis terrarum, contra inſenſatos; audiamus nunc ipſos reformatos, ſecum ipſis de hoc myſterio pugnantes, vt ex eorum pugnis etiam hæc veritas eniteat, & ſit.

SVBSECTIO SECVNDA.

Ex Religionis Reformatæ principijs, ſecum ipſis pugnantibus, conuincitur realis præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus conſecratis.

Ex dogmatum reformatorum contradictionibus, concordaui prætēſos reformatos, cum catholicis in illa principali controuerſia.

ſia, de perpetua viſibilis Chriſti Eccleſiæ duratione, & infallibilitate, à reformatis, vt vidimus, admiſſa. hunc ſimiliter offenſionis lapidem, de reali præſentia etiam ex via tollere aggredior, vt excuſationem ſeceſſionis ab Eccleſia, quoad hunc punctum excludam: & incipio à Lutheranis. Vnde ſit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Realem præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis, admittunt confeſſio Auguſtana, VVittembergica, Saxonica, Argentinenſis.

§. I. PRæluſit ſuis ſequacibus Lutherus ipſe, in defenſione verborum cænæ, paulo poſt initium, *Diabolus nos hodie, inquit, per phanaticos homines oppugnat, blaſphematione cænæ Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui ſomniant, in ea ſolum panem, & vinum dari in ſignum, aut ſymbolum Chriſtianæ profeſſionis, nec volunt concedere, ibi corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, cum tamen expreſſa, & clara ſint verba*, comedite, hoc eſt corpus meum, *quæ quidem verba, adhuc firmiter ſubſiſtunt, nec poſſunt ab ijs labefactari*. Hactenus ille, *& ſi fas ſit abhoſte doceri*, vt inquat Staſilus, fas eſt Lutherum, contra eos reformatos allegare, qui realem præſentiam negant, quam tamen eorum protoparens, ita acriter tuetur, vt aduerſarios tanti myſterij, diaboli diſcipulos indigitet. Si igitur hunc ſuum parentem agnoſcunt reformati, hoc illius dogma, neceſſario debent admittere, ne iuxta illius cēſuram, diabolum pro pędagogo ſuſcipiant. prodit poſt Lutherum ſuum, Auguſtana confeſſio art. 10. ex prototypo. *de cæna docent* (ſcilicet huius confeſſionis ſequaces) *quod corpus, & Sanguis Chriſti, vere adſint, & vere diſtribuantur veſcentibus in cæna, & improbant ſecus docentes*, ſi vere ibi adſint, non imaginarie, non figuraliter, ſed in rei veritate ibi ſunt. Sicut Matth. 27. centurio, & qui cum eo erant, dixerunt, *vere filius Dei erat iſte*. Vt ergo reuera eſt filius Dei, ita ſub ſpeciebus conſecratis, reuera exiſtit, quia vere ibi adſunt corpus, & ſanguis Chriſti, ſi fides adhibenda huic confeſſioni, & quia in eodem articulo variato ſit mutatio, & additio quædam, hinc Philippus Mælanchton conqueritur, quod Catholici Principes, & eorum doctores, non ad Germanicum exemplar, ſed ad latinum incommodius expreſ-

expreſſum, reſpiciunt, quare memoratum prototypum, ſic latine exprimit Andræas Fabritius, de verbo ad verbum. *De Cæna Domini ſic docetur, quod verum corpus, & ſanguis Chriſti veraciter ſub ſpeciebus panis & vini, in cæna præſens ſit, & ibi diſtribuatur, ac ſumatur, idcirco, & reijcitur doctrina contraria.* Si igitur ſub ſolis ſpeciebus ibi exiſtit, non ſub ipſo, vel cum ipſo pane exiſtit, quod eſt illud ipſum, quod nos catholici profitemur, & declaratur in Concilio Tridentino; concordant igitur cum catholicis, Auguſtanæ confeſſionis ſequaces, in puncto de reali præſentia, neque quoad hunc punctum, habent vllum prætextum recedendi ab Eccleſia Romana, aut periſtendi in ſchiſmate; modos autem dicendi Lutheranorum, ſupra refutaui, & tam illorum, quam Caluiniſtarum euaſionem, de fide ponente ibi Chriſtum infra refutabo.

§. II. Profert ſuam ſententiam de ea re, VVittembergica confeſſio, tit. de Euchariſtia, *credimus*, inquit, *& confitemur, Euchariſtiam, ſic enim libuit maioribus noſtris, cænam dominicam vocare, eſſe ſacramentum, à Chriſto ipſo inſtitutum, & vſum eius. vſque ad nouiſſimum huius ſæculi diem, Eccleſiæ commendatum eſſe, ſed quia aliud eſt ſubſtantia, aliud vſus eius, idcirco de his ordine dicemus: de ſubſtantia Euchariſtiæ ſentimus, & docemus, quod verum Chriſti Corpus, & verus ſanguis eius in Euchariſtia diſtribuatur, & refutamus eos, qui dicunt panem, & vinum Euchariſtiæ eſſe tantum abſentis corporis, & ſanguinis Chriſti ſigna.* Hæc VVittembergica confeſſio. cum igitur verum corpus, & verus ſanguis Chriſti, in Euchariſtia diſtribuantur, illud corpus, & ſanguis, olim in Cruce, hodie in cælo exiſtens, etiam in eadem Euchariſtia exiſtit, atque adeo ex hac confeſſione habemus, realem præſentiam eiuſdem corporis, & ſanguinis, ſub ſpeciebus conſecratis contineri, diſtribui, ac ſumi: ſubiungit ibidem: *credimus etiam omnipotentiam Dei tantam eſſe vt poſſit in Euchariſtia, ſubſtantiam panis, & vini annihilare, vel in corpus, & ſanguinem Chriſti mutare*: poteſt ergo Deus id per tranſubſtantiationem facere; ſed inquit mox, *quod Deus hanc ſuam abſolutam potentiam, in Euchariſtia exerceat, non videtur eſſe certo Dei verbo traditum, & non apparet veteri Eccleſiæ notum*; ſed oppoſitum conſtat ex præcedenti ſubſectione, & miror vbi fuerint oculi Brentij, dum hæc verba compoſuit, quod non legerit Irenæum, Iuſtinum, Baſilium, Chryſoſtomum, Cyrillum Ieroſolymitanum, Ambroſium, Auguſtinum, Optatum, Theophilactum, & innumeros alios veteris Eccleſiæ patres. miror, quod non perpenderit

vim verborum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum,* quod ſi ibi ſimul eſſet panis, non eſſet cathegorica aut vera, ſed falſa propoſitio, diſtracta in ſenſus æquiuocos, de qua re ſubiect. præced.

§. III. Accedit Saxonica confeſſio cap. de cæna domini, *docentur etiam homines eſſe actiones diuinitus inſtitutas,* & infra, *& in hac communione vere, & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum, & vere exhiberi ſumentibus, corpus & ſanguinem Chriſti*. Si vere, & ſubſtantialiter adeſt ibi Chriſtus, vera igitur eius diuinitas, vera ſimiliter humanitas, verum & phyſicum eius corpus, verus etiam, & realis eius ſanguis continetur, & ſumitur in Euchariſtia: atque adeo admittimus id, quod ibi ait ſcilicet, quod res ipſæ, ex quibus conficiuntur Sacramenta v. g. aqua & verba adhiberi ſolita in Baptiſmo; panis, & vinum requiſita ad Euchariſtiam, extra eadem illa ſeorſim, & extra inſtitutionem, & vſum à Chriſto inſtitutum ſumpta, non ſint Sacramenta: hanc confeſſionis Saxonicæ ſententiam, amplectitur conſenſus in religionis reformatæ capitibus, inter Eccleſias reformatas maioris, & minoris Poloniæ, Lithuaniæ, & Samogitiæ factus in ſynodo Sendomirienſi 14. Aprilis anni 1570. ait ergo ille conſenſus, *quantum ad infælix illud diſſidium de cæna attinet, conuenimus in ſententia verborum, vt illa Orthodoxè intellecta eſt, à patribus, & in primis ab Irenæo, qui duabus rebus, ſcilicet terrena, & cæleſti, hoc myſterium conſtare dixit, neque elementa, ſignaue illa nuda, & vacua eſſe aſſerimus, ſed ſimul reipſa credentibus exhibere, præſtare fide, quod ſignificant, denique, vt expreſſius, clariuſque loquamur, conuenimus, vt credamus, & confitcamur ſubſtantialem præſentiam Chriſti, non ſignificari duntaxat, ſed vere in cæna veſcentibus repræſentari, diſtribui, exhiberi, ſymbolis adiectis ipſi rei minime nudis, ſecundum Sacramentorum naturam*. & poſt, inquit, *placuit præter articulum, qui inſertus eſt confeſſioni noſtræ, mutuo conſenſu adſcribere articulum confeſſionis Saxonicarum Eccleſiarum.* Reformati igitur Poloni admittunt realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, ſicut admittunt eam patres, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus & alij ſubſect. præceden. citati.

§. IV. Eandem veritatem profitetur Argentinenſis confeſſio cap. 18. de Euchariſtia. *De hoc venerando corporis, & Sanguinis Chriſti Sacramento*, inquit, *omnia quæ de illo Euangeliſtæ, Paulus, & Sancti patres ſcripta reliquerunt, noſtri fide optima docent, commendant, inculcant, indeque ſingulari ſtudio, hanc Chriſti in ſuos bonitatem, ſemper deprædicant, qua is non minus hodie, quam in nouiſſima illa cæna, omnibus, qui inter illius diſcipulos ex animo nomen dederunt, cum hanc*

cænam,

cænam, vt ipſe inſtituit, repetunt, verum ſuum corpus, verum ſuum ſanguinem edendum, & bibendum in cibum, potumque animarum, quo illæ in æternam vitam aluntur, dare per ſacramenta dignatur, vt iam ipſe in illis, & illi in ipſo viuant & permaneant in die nouiſſimo reſuſcitandi, iuxta illa ſua verba, accipite & manducate, hoc corpus meum, mox infra, *quo factum vt Sacroſancta Chriſti cæna, quam religioſiſſime reuerentiaque ſingulari apud nos adminiſtretur*; ne autem quis putet, profeſſores huius confeſſionis ficte loqui, aut nuda tantum ſigna hic intelligere, ſubijciunt, *ex his, quæ vere ad hunc modum ſe habent, cognoſcit ſacra tua maieſtas, clementiſſime Cæſar, quam falſo ab aduerſarijs noſtris iactetur, noſtros verba Chriſti immutare, & humanis gloſſis concerpere, nec niſi merum panem, merumque vinum in noſtris cænis adminiſtrari, ipſamque adeo cænam contemptam, & reiectam eſſe; nam ſummo ſtudio noſtri docent, vt ſimplici fide, quiſque hæc Domini verba, reiectis commentis, falſiſque gloſſis amplectatur.* Hæc eſt confeſſio quatuor ciuitatum, nempe Argentorati, Conſtantiæ, Memingæ, Lindauiæ: quotquot igitur profitentur, confeſſionem Auguſtanam, VVittembergicam, Argentinenſem, Saxonicam, conſenſum ſynodi Sendomirienſis, profitentur etiam, & admittunt, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, atque adeo in hac ipſa veritate conſentiunt, cum Romana Eccleſia, quidquid ſit de eorum praxi, prædictis confeſſionibus in hoc puncto contraria.

ARTICVLVS SECVNDVS:

Eandem realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, admittunt cæteræ confeſſiones reformationis Germaniæ.

§. I. CONſpirant cum præcedentibus, alij Germaniæ reformati, quamuis nonnihil differant quoad modum loquendi, & velint fide ſolum ſumi, de qua re infra: ait igitur confeſſio Heluerica, in ſe ipſam velut anguis torta, & retorta cap. 21. de cæna, *retinere vult Dominus ritu hoc ſacro in recenti memoria, maximum generi mortalium præſtitum beneficium*, & infra, *iam paſcit nos ſua carne, & potat ſub ſanguine, quæ vera fide ſpiritualiter percepta, alunt nos ad vitam æternam*. Si paſcit nos ſua carne, & ſuo ſanguine, vere ergo ſunt in Euchariſtia, alias nemo paſceretur per illud, quod nullo modo accipit, & ſi vera fide percipiuntur, vere etiam & realiter ſunt ibi, vbi ſic percipiuntur, alias non vera, ſed falſa fide

ſa fide perciperentur; *Spiritualiter*, Inquit, tranſeat eo modo intelligendi, quo res omnes cæleſtes dicuntur ſpiritualiter percipi, & cognoſci, & prout ſpiritualiter opponitur extenſioni, & diuiſioni locali. pergit confeſſio, *ergo accipiunt fideles, quod datur à miniſtro Domini, & edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini, intus interim per opera Chriſti, per Spiritum Sanctum, percipiunt etiam carnem, & ſanguinem Domini, & paſcuntur in vitam æternam*. Mox infra, *& ſicut oportet cibum in noſmetipſos edendo recipere, vt operetur in nobis, ſuamque in nobis efficaciam exerat, cum extra nos poſitus, nihil nobis proſit: ita neceſſe eſt, nos fide*, (ergo & realiter, vt vera ſit iſta fides) *Chriſtum recipere, vt noſter fiat, viuatque in nobis, & in ipſo, dicit enim, ego ſum panis vitæ*. Bona paritas, nam ſicut, qui vere, & realiter cibum non ſumit, ita nec vere, nec realiter nutriri poteſt; ſic qui vere & realiter, Chriſtum non ſumit, non poteſt ali in vitam æternam, aut vere recipere effectum à Chriſto promiſſum in Euchariſtia. fatetur hoc iſta confeſſio ſubiungens, *ex quibus omnibus claret, nos per ſpiritualem cibum, minime intelligare imaginarium, neſcio quem cibum, ſed ipſum Domini corpus, pro nobis traditum, ſed ſpiritualiter per fidem*. Ita ſcilicet, vt illud *ſpiritualiter per fidem* cadat ſupra veram, realem, & ſubſtantialem corporis, & ſanguinis Chriſti præſentiam in Euchariſtia, alias eſſet imaginarius neſcio quis cibus, quod tamen infra negat iſta confeſſio. §. 1. pergit ibidem, *in qua re ſequimur per omnia, doctrinam ipſius Saluatoris Chriſti Domini* Ioan. 6. & infra, *hic eſus carnis, & potus ſanguinis Domini, ita eſt neceſſarius ad ſalutem vt ſine ipſo, nullus ſeruari poſſit*; ſi profeſſores huius confeſſionis ſequuntur per omnia doctrinam Chriſti Ioan. 6. ille dicit *panis, quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberititis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ergo vere & realiter ſumitur in Euchariſtia, Caro & Sanguis Chriſti, non imaginarie, non phantaſtice, cum vt ait hæc confeſſio *per eius eſum acquiratur ſalus*, non ficta ſed vera, ergo eſus ipſe debet eſſe verus, non fictus. Omitto capitis vertiginem, qua laborat iſta confeſſio, in hoc capite, dum in mille gyros ſe voluit, vt quod ſuperius, de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia dixit, iterum in ſequentibus videatur velle negare, abſtruſas formando locutiones, quibus vel de manifeſta contradictione, & ſplendidiſſimo mendacio conuincitur, vt ſic animas miſerorum illaqueet; nobis ſufficiat, quod vis veritatis, priorem confeſſionem, de reali præſentia, ab eius authoribus extorſerit, quamuis poſtea per mille ambages

conen-

conentur euadere, vt ſe ipſos & alios ſeducant. Eandem ſententiam tenetHeluetica poſterior num.22. *admittimus cænam myſticam, in qua*, inquit, *Dominus Corpus & ſanguinem ſuum, id eſt, ſeipſum ſuis vere adhoc offert, vt magis magiſque in illis viuat, & illi in ipſo*. Si vere, certe etiam realiter ſe offert. & infra ait, *hæc eſſe ſymbola quibus ab ipſo domino, per Eccleſiæ miniſterium, vera Corporis, & ſanguinis communicatio exhibeatur*. Vera hæc communicatio infert veram & Realem ſuſceptionem, & præſentiam eiuſdem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, alias non eſſet vera, ſed phantaſtica & ficta communicatio.

§. III. Baſileenſis vero confeſſio partim concordat, partim diſcordat à vera ſententia, concordat in hoc vt admittat realem præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, diſcordat vero in hoc, quod dictat remanere ſubſtantiam panis, & vini, quod ſupra ſubſect. præced. refutaui. ait ergo art. 7. *in Cæna Domini, in qua nobis cum pane, & vino Domini, verum corpus, & verus Sanguis Chriſti per Miniſtrum Eccleſiæ præfiguratur, & offertur, panis, & vinum manet, credimus autem firmiter ipſummet Chriſtum cibum eſſe credentium animarum, ad vitam æternam, & noſtras animas, per veram fidem in Crucifixum Chriſtũ, carne, & ſanguine Chriſti cibari & potari*. Hactenus Baſilienſis: ſi verum corpus & verus ſanguis Chriſti in cæna offertur per miniſtrum Eccleſiæ, vere vtique realiter, & ſubſtantialiter ibi eſt: panem autem & vinum ſimul eſſe, cum corpore & ſanguine, pugnat cum veritate practica verborum Chriſti: fatemur libenter, vt quis cum fructu cibetur, & potetur, hoc cibo & potu in ordine ad vitam æternam, requiri fidem, hoc autem nobis modo ſufficiat, quod Baſilienſis confeſſio admittat, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, licet de modo diſſideamus. eandem ſententiam ſequitur confeſſio miniſtrorum Ozengerina, in Polonia tit. de Sacramentis. *reijcimus*, inquit, *eorum delirium, qui cænam Domini vacuum ſignum, vel Chriſti abſentis tantum memoriam, his ſignis recoli docent; nam ſicut Chriſtus eſt Amen, Teſtis fidelis, verax, veritas, & vita, ita Cæna Domini eſt præſentis, & infiniti, æternique filij Dei, vnigeniti à patre, memoria, qua ſe, & ſua bona, carnem ſuam, & ſanguinem ſuum id eſt panem viuum, & potum cæleſtem Spiritus Sancti ope, verbum promiſſionis gratiæ offert, & exhibet electis fide vera* &c. ſi cæna non eſt vacuum ſignum, ergo vere continet Chriſtum.

§. IV. Confeſſio Bohemica art. 13. *corde credendum & ore confitendum docent* (ſcilicet reformati Bohemi) *panem cænæ domini*,

verum

verum corpus Chriſti eſſe, quod pro nobis traditum eſt, Calicemque verum ſanguinem eius, qui pro nobis in remiſſionem peccatorum fuſus eſt, vt Chriſtus Dominus apperte dicit: hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus. Mox infra, *nemo de ſua quidquam affingat his verbis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinando.* Subſumo ex dictis, ſed verum Chriſti corpus, vere & realiter pro nobis traditum eſt, & verus eius ſanguis, vere pro nobis eſt effuſus: ergo ſi hoc ipſum corpus, & hic ſanguis continetur in Euchariſtia, ſicut vere fuit traditum illud corpus, & vere fuit fuſus ſanguis, ita ſimiliter vere, realiter, ac ſubſtantialiter exiſtunt ſub ſpeciebus conſecratis, atque adeo non eſt declinandum, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, tropos, figuras, metonymias fingendo, & excogitando, vt veritas eludatur: Lutheranis accenſere licet, Fredericum Principem Palatinum Rheni, ſupra quem tamen voluit ſapere David Paræus, vt contrarium doceret; princeps ergo qui & ipſe ad reformationem defecit, in ſua confeſſione, inquit, *quoad Sacroſanctam Domini noſtri Ieſu Chriſti Cænam attinet, credo, & confiteor in ſacra Chriſti Domini noſtri cæna, quotieſcunque illa ſecundum ipſius inſtitutionem celebratur, credentibus, quibus ſolis* (ſcilicet fidelibus) *cæna hæc inſtituta eſt, non minus quam diſcipulis in prima cæna, verum, traditumque, & crucifixum Chriſti corpus, vna cum omnibus eius cæleſtibus theſauris, & donis, quæ ſua morte acquiſiuit, vt ſit famelicæ ipſorum animæ cibus; & ſuum ſanguinem, quem in remiſſionem peccatorum effudit, vt ſit potus, à Chriſto ipſo porrigi, & diſtribui.* Hæc ille. vere igitur ibi eſt Chriſtus, per realem præſentiam: fatetur hoc infra ſubiungens, *quod quemadmodum diſtantia temporis non impediebat, quo minus diſcipuli iuxta Chriſti mandatum, verum illius, naturale, humanum corpus, quod ex Maria ſemper Virgine natum eſt, quod pro illis tradendum, & verum illius ſanguinem, qui pro illis effundendus, non effuſus erat, ederent, ac biberent; ita quoque me, & omnes credentes nihil impedit diſtantia loci, quominus vna cum Apoſtolis, iuxta domini inſtitutionem corpus illud Chriſti edamus, & ſanguinem eius bibamus.* Si comedunt verum Chriſti corpus, & bibunt verum eius ſanguinem, vtique comedunt corpus, quod vere & realiter eſt præſens, & bibunt ſanguinem realiter præſentem, ſicut comederunt, & biberunt Apoſtoli. Quærit nihilominus Princeps anfractus, neſcio quos, ad deſtruendum, quod conſtruxit, more reformatorum, qui ſecum ipſis ſemper pugnant: cæterum verba Lutheranorum hactenus recenſita ſatis oſtendunt, eos in ſuis tenebris, realem præſentiam admittere, quamuis per obliqua, per deuia, præci-

pites vagentur, vt ſubinde cum Caluiniſtis Caluinizent circa fidem manducantem, quam nunc aggredior & ſit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Tam Caluiniſtarum de manducatione Euchariſtiæ per fidem, ſententia, quam ſecum ipſa pugnans Caluini confeſſio, probant realem Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus conſecratis.

§. I. PVtarunt Caluiniſtæ, textum ſacrum, & omnia catholicorum argumenta, tum ex eodem textu, tum ex primitiuæ Eccleſiæ patribus petita, euertere, modo poſſent fidem ſuam ſolam facere baiulam, fictricemque realis præſentiæ, per neſcio quam phantaſticam, & imaginariam capitis ſui cogitationem, qua imaginantur eſſe quidem ſub ſpeciebus conſecratis, aliquid diuinum, quod tamen credunt à parte rei, nihil eſſe; hic ſurſum, deorſum agitantur, vt ſuadeant, ſe quidem deferre textibus ſacris, tam expreſſe Chriſti præſentiam in Euchariſtia aſſerentibus. Retrocedunt rurſus ne eandem præſentiam agnoſcant. Ego ex pugnantibus eorum principijs oſtendam, vel fatendum eis, dari hanc realem præſentiam, vel ſe eſſe fallaciſſimos impoſtores: vbi video eoſdem Caluiniſtas, inter malleum, & incudem conſtitutos, inter catholicos, inquam, & Lutheranos, quoad præſens punctum: nollent cum illis ſentire, vellent cum his vnitatem ſaltem aliquam ſimulare; ex Lutheranæ autem reformationis principijs, iam realem præſentiam euicit; vt ergo, in hac ipſa materia, concordiam cum eis inirent Caluiniſtæ, in Synodo nationali Charentonienſi, anno Domini 1631. ſequens edidere decretum, quod ſcilicet, *controuerſia inter Lutheranos, & Caluinianos circa cænam ſit exigui momenti, nec eorum inter ſe vnitati, & vnioni officere debeat: deinde quod Lutherana fides, quantumuis directe oppoſita Caluinianæ opinioni, nihil habeat veneni.* Hoc ſtratagemate Lutheranos Gallijs nunc ingruentes, ſperarunt Caluiniſtæ, in ſuas partes allicere.

§. II. Nunc ſic, vel ſerio loquuntur hic Caluiniſtæ, in hac ſua ſynodo, in qua iactant ſe regi verbo Dei, vel ficte? ſi ſerio

loquuntur, ergo ipſorum iudicio; doctrina tenens dari realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, eſt ſana, & nullam dans occaſionem ſchiſmatis, multo minus inferens, vllum crimen Idololatriæ, vt olim blaterabant reformati, ergo vt caret ea doctrina omni veneno, ita etiam caret omni errore, hæreſi, impoſtura, & illuſione; ergo eſt Orthodoxa, catholica, & Chriſtiana doctrina. Si autem ficte hic loquuntur Caluiniſtæ, ergo ſunt ſacrilegi impoſtores, imo & periuri, ac fœdifragi ſeductores, quod doctrinam, quam in animis ſuis iudicant falſam, oretenus pronuntient veram. Rurſus hærent in biuio Caluiniſtæ, nam dum inſiſtunt ſuis principijs, tenent non dari, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, & dum cupiunt habere vnionem, cum Lutheranis, tenent Lutheranorum doctrinam carere omni veneno, adeoque dari eandem illam realem præſentiam; vnde iterum ſic, vel tenent Caluiniſtæ vtrãque ſententiam eſſe à Deo reuelatam, vel vnam tantum? ſi vtramque, hoc eſt impoſſibile, cum implicet duo contradictoria, qualia ſunt dari realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, & non dari, eſſe ſimul vera, adeoque ſi vna pars eſt vera, altera neceſſario eſt falſa; ſi ergo Deus vtramque partem reuelauit, vtique duo contradictoria, quorum altera pars eſt ſplendidiſſimum mendacium, dictauit, adeoque ſic Deus mendacia reuelaret, quod eſt blaſphemum dicere; ſupereſt ergo, quod vna pars tantum ex duabus illis ſententijs, ſit reuelata; nunc peto quænam? ſi Caluiniſtæ putant ſuam eſſe reuelatam, ſunt hæretici, & periuri, quod contra ſuam ſententiam, quam opinantur reuelatam, aprobent ſententiam Lutheranorum contrariam, & iudicio Caluiniſtarum, minime reuelatam; ſi autem tenent Lutheranorum ſententiam eſſe reuelatam, ſunt adhuc hæretici, quod ſuã opinionem, contrariam reuelatæ ſententiæ profitentur, ſed vt honorificentius, cum Dominis Caluiniſtis agamus, hanc legem pro ſeligendis ſententijs ſtatuamus, vt ſcilicet illa ſit eligibilior, quæ plura habet pro ſe fundamenta, pluresque patronos, ſic eſt ſententia oppoſita opinioni Caluiniſtarum, in præſenti materia, nam præter catholicos, etiam Lutherani tenent dari realem præſentiam, & Caluiniſtæ fatentur eos recte ſentire, vtpote quorum doctrina in præſenti puncto, omni caret veneno: habet ergo prædicta ſententia fautores, & patronos, præter Catholicos, & Lutheranos, ipſos etiam dominos Caluiniſtas, in ſynodo nationali congregatos, ac definientes, vt iactant, ex verbo Dei. Ergo iuxta regulas conſcientiæ rectæ tenendas, in re tanti momenti

tenentur Caluiniſtæ, cum ſupradictis fateri, realem præſentiam Chriſti; in Euchariſtia, vel certe habendi erunt fraudulenti impoſtores, quod vnum dicant, & aliud ſentiant, in re in qua agitur de æterna ſalute.

§. III. Sed abſtruſas Caluiniſtarum latebras, in quas de ſua ſola fide, ſe recipiunt, vt difficultates circa realem præſentiam euadant, penitius inſpiciamus, & videbimus, quod ſola iſta fides, neceſſario debeat habere pro obiecto, prædictam realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia. Vbi aduerte primo nullum actum intellectus, aut voluntatis creatæ, habere vllam vim producendi quidquam extra potentias, à quibus eliciuntur, mea enim intellectio, qua Petrum v.g. intelligo, aut volitio, qua ipſum amo, nihil reale producit in Petro, vti nec in pariete, lapide, vel ligno, quæ ſimiliter intelligo, vel volo, hoc equidem Theologis, Logicis, imo lippis & tonſoribus notum eſt, potentias rationales, earumue operationes, nihil extra ſe ipſas, poſſe producere. Aduerte ſecundo, fidem ſeu actum illum credendi, quo intellectus tendit in myſterium credibile, reſpicere duo obiecta, aliud eſt formale, nempe veritas diuina reuelans, nobis per Eccleſiam applicata; aliud eſt obiectum materiale, ſeu illud, quod ab eadem veracitate reuelatur, & ab Eccleſia proponitur: vnde adhoc, vt fides ſit diuina & vera, neceſſario exigit illa duo obiecta realia; & hoc obiectũ materiale poteſt eſſe triplex, nempe vel præteritũ, vel præſens, vel futurũ; aduerte rurſus naturaliter notũ eſſe, quod omnis cauſa debeat præcedere ſuũ effectũ, ſi enim cauſa non exiſtit, non poteſt cauſare, neque effectus produci poteſt, nulla cauſa exiſtente; ſimiliter etiam notum eſt, quod ſicut actus pendet à ſuis cauſis, nempe ab obiecto, & potentia; actus præſertim ſpeculatiuus, qualis eſt actus fidei aprehendentis Chriſtum in Euchariſtia, ſecundum Caluiniſtas, & ibi eum ſpeculantis, ita pariter præſupponit ſuum obiectum in ea linea, in qua obiectum habet eſſe, ſiue quoad ſtatum præteriti, ſiue præſentis, vt eſt Chriſtus ſub ſpeciebus conſecratis, ſiue futuri; præſupponit item potentiam: ex eo autem quod res eſt, propoſitio eſt vera vel falſa; hinc vt actus iſte ſit verus, *paries eſt albus*, debet, proculdubio, albedo in eſſe parieti, antecedenter ad ipſum actum, alias actus eſſet falſus, diceret enim aliquid eſſe, in pariete, quod non eſt, non enim ideo paries eſt albus, quia ego ſic iudicio, ſed potius è contra, ego ſic vere iudico, ſeu habeo iudicium verum de pariete albo, quia albedo in eſt parieti.

§. IV. Ex quibus nunc ita contra Caluiniſtas procedo, dum enim dicunt Chriſtum ſumi in Euchariſtia per ſolam fidem; qua ibi apprehenditur, & creditur eſſe, vel Chriſtus ſic per fidem creditus exiſtere in Euchariſtia, vere & realiter, ac à parte rei ibi exiſtit, vel non? ſi non, iſta fides eſt falſiſſima, ſicut falſiſſimus eſſet actus dicens, parietem eſſe album, qui tamen reuera albus non eſſet: ſi autem vere ibi eſt, certe ibi eſt, ante fidem, quandoquidem fides tendat in illum, tanquam in ſuam obiectum: atqui obiectum vti & potentia, debent præcedere fidem, tanquam cauſæ, à quibus procedit, ſicut quilibet actus verus præſupponit ſuum obiectum, & potentiam. Rurſus vel vera fide, putant Caluiniſtæ ſe apprehendere Chriſtum in Euchariſtia, vel tantum imaginaria, vel ficta? ſi hoc ſecundum, eſt fides chimærica, ſicut ille actus intellectus, qui apprehendit ens rationis v. g. Montem aureum, vel hircoceruum, aut ſimilia; quia apprehendit obiectum, quod nullibi eſt, ſed tantum fabricatur, & fingitur ab ipſo intellectu ſic apprehendente; ſi autem vera fide dicant Caluiniſtæ, ſe apprehendere & credere Chriſtum, in Euchariſtia eſſe, ergo vere & realiter ibi eſt. Sicut enim ego vere, non poſſem credere, Petrum eſſe in foro, niſi reuera Petrus realiter eſſet ibi, ſic vere non poſſem credere, Chriſtum eſſe in Euchariſtia, niſi vere & realiter ibi eſſet. Item nec vera, nec certa fide poſſem credere myſterium Trinitatis, vel Incarnationis, niſi vere, & realiter daretur Trinitas, & Incarnatio, ergo ſicut vera & certa fides præſupponit vere, & certo exiſtentiam Trinitatis, & Incarnationis, ita vera, & certa fides credens Chriſtum eſſe in Euchariſtia, debet vere & certo præſupponere Chriſtum ibi eſſe. Rurſus ſicut non ideo datur Trinitas, vel Incarnatio, eo quod iudicemus ſic nos vere credere, ſed potius è contra; ideo vere ſic credimus, quia reuera ante noſtram fidem vere, & realiter exiſtit Trinitas, & Incarnatio, alias ceſſante noſtro actu, ceſſarent prædicta obiecta à nobis fabricata; ita non ideo Chriſtus eſt hic vel ibi, hoc vel illo modo, quia iudicamus ſic nos reuera credere, ſed e contra ideo reuera credimus ſic eſſe, qui vere & à parte rei ibi eſt, hoc vel illo modo. Si ergo vere credunt Caluiniſtæ per ſuam fidem, Chriſtum eſſe in Euchariſtia, vt iſta fides ſit vera, non mendax, falſa vel ficta, Chriſtus vere & realiter ibi eſt.

§. V. Vidit vim huius difficultatis Caluinus, vel ſi non vidit ſaltem viderat energiam, & robur verborum Chriſti apud Euangeliſtas, Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem cap. 6. & ſequentem

tem id circo confeſſionem edit, proinde, lib. 4. inſt. cap. 17. varijs in locis diſerte aſſerit, veram, & realem manducationem Corporis Chriſti in Euchariſtia, eoſque arguit; *qui manducare Chriſti Carnem, & ſanguinem bibere, vno verbo definiunt, nihil eſſe aliud, quam in Chriſtum ipſum credere.* Et merito arguendi ſunt, nam aliquis ambulans in campo, poteſt in Chriſtum credere, eſto ſpecies panis, & vini non videat, nec ſumat, ideoque ſic quoties quis in Chriſtum crederet, ſiue in lecto, ſiue in menſa, ſumeret Euchariſtiam, adeoque non eſſet opus vnquam, ad Eccleſiam venire, vel huic ritui ſacro intereſſe: ſequitur Caluinus & dicit, *ſe libenter recipere, quidquid ad exprimendam veram, ſubſtantialemque corporis, & ſanguinis Domini communicationem, quæ ſacris cænæ ſymbolis, fidelibus exhibetur, facere poteſt*, atque ita, inquit, *vt non imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentia percipere, ſed vt reipſa frui, in alimentum vitæ æternæ, intelligantur*. Non ergo imaginarie, ſed vere, ſecundum Caluinum, corpus Chriſti ſumitur in Euchariſtia. Rurſus ait, *non aliter animas noſtras carne, & ſanguine Chriſti paſci, quam panis & vinum, corporalem vitam tuentur, & ſuſtinent; neque aliter*, inquit, *quadraret Analogia ſigni, niſi alimentum ſuum animæ in Chriſto perciperent, quod fieri non poteſt, niſi nobiſcum Chriſtus vere in vnum coaleſcat, noſque reficiat carnis ſuæ eſu, & ſanguinis ſui potu*. Si hoc eſu, & potu reficit nos Chriſtus in Euchariſtia, iudice Caluino, vere & realiter ibi eſt caro, & ſanguis Chriſti, & in cap. 11. primæ ad Corinth. *Chriſtus*, inquit, *viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo, vna dat etiam nobis ſuum corpus, neque enim fallax eſt, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi eſt extra controuerſam, veritatem hic, cum ſuo ſigno eſſe coniunctam*. Ergo vere Corpus Chriſti eſt ſub ſymbolo panis. item libello de cæna domini, *neceſſe eſt* inquit, *nos in cæna vere corpus, & ſanguinem Chriſti recipere.* & infra *intelligamus Chriſtum nobis in cæna veram, propriamque corporis, & ſanguinis ſui ſubſtantiam donare*; & in cap. 11. primæ ad Corinth. *concludo realiter, vt vulgo loquuntur, nobis in cæna dari corpus Chriſti.* & lib. 4. inſtitut. cap. 17. §. 32. *in ſacra cæna iubet me ſub ſymbolis panis, & vini corpus & ſanguinem ſuum ſumere, manducare, ac bibere, nihil dubito, quin & ipſe vere porrigat, & ego recipiam*. Habemus ergo ex mente Caluini, dari realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia; nunc ſaluet ſe ab impoſturis, & contradictione, dum alibi in ſuis operibus, paſſim, vt inuidiam in Romanam Eccleſiam conciret, eandem realem præſentiam perfricta fronte negat. vrgeo enim vt ſupra contra eum, vel enim ſerio loquitur, vel ficte.

ſi ſerio in locis iam citatis loquitur, non eſt adhibenda fides ijs, quæ contra realem præſentiam alibi blaterat: ſi ficte loquitur, ergo eſt nefarius impoſtor, quod ſibi contradicat, & verba tam aperte realem præſentiam exprimentia, ſuo ſenſu diſtorqueat. Rurſus vel prætendit vera loqui, dum hic aſſerit realem præſentiam, & alibi negat, vel non prætendit vtrobique vera loqui; ſi primum, iam vult contradictoria eſſe ſimul vera contra lumen rationis: ſi ſecundum, vult ergo in vno loco, tantummodo vera loqui, ergo ſi hic vere loquitur, alibi mentitur; vel ſi alibi prætendit tantum vere loqui, hic mentitur, nullam igitur fidem meretur, vel ſi mereatur, hic merebitur, vbi magis ſe conformat textui ſacro, & primitiuæ Eccleſiæ, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia aſſerenti.

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex Caluiniſticæ reformationis principijs oſtenditur, Caluiniſtas debere aperte fateri realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia.

§. I. PRodit confeſſio Gallica art. 34. *confitemur Sacram Cœnam, quæ ſecundum eſt ſacramentum, nobis teſtimonium eſſe veritatis, cum Chriſto, in quantum non tantum ſemel pro nobis mortuus eſt, reſurrexit, ſed etiam vere nos paſcit, & nutrit carne & ſanguine ſuo;* ſi vere nos paſcit, & nutrit illa ſua carne, & ſuo ſanguine in cæna, vtique caro, & ſanguis eius, ibi vere exiſtunt, atque adeo magis vere, & realiter eſt in eſu Euchariſtiæ, quam in eſu panis vel alterius cibi domeſtici, in quo vtique nemo dicit, Chriſtum vere nos paſcere, carne & ſanguine ſuo, atqui niſi eſſet vere & realiter præſens in cæna, non magis nos nutriret in eſu cænæ, quam cuiusuis alterius cibi domeſtici, in quo vere non eſt, in cæna autem nos paſcit vere, carne & ſanguine ſuo, inquit confeſſio; ergo vere ibi eſt caro, & ſanguis Chriſti. fatetur hoc infra inquiens, *licet ſit in cælo, donec veniat ad vniuerſum mundum iudicandum; tamen credimus, quod ſecreta, & incomprehenſibili virtute Spiritus ſui, nos nutrit, & viuificat ſubſtantia corporis ſui:* ſi nos nutrit, & viuificat ſubſtantia corporis ſui, ergo in Euchariſtia eſt corpus Chriſti ſubſtantialiter, hoc eſt phyſice, & realiter, non phanta-

ſtico

ſtico vel imaginario modo, alias quid opus eſſet recurrere ad ſecretam & incomprehenſibilem virtutem; fatetur hoc ibidem, *non vt loco effectus, & veritatis, conſtituatur imaginatio, vel cogitatio*: ergo eſt ibi veritas, & effectus realis, ſeu verum & reale Chriſti corpus, non aliquid ab imaginatione noſtra fictum: quare fatemur nos etiam, illud quod ibidem ſubiungitur, quod ſcilicet, *hoc myſterium altitudine ſua, ſuperet menſuram ſenſus, & omnem ordinem naturæ*: quod ſane verum non eſſet, ſi ibi nihil, præter nudum panem & vinum eſſet, quod ait, *non apprehendi niſi ſola fide*, ſi per hoc intelligit, non cognoſci niſi fide, concedimus, ſi aliter, iam diſcuſſa eſt fides iſta, articulo præcedenti.

§. II. Succinit Gallicanæ Belgica confeſſio art. 35. poſt initium; *Vt autem panem hunc ſpiritualem, & cæleſtem* (ſcilicet Euchariſtiam) *Chriſtus nobis repræſentaret, panem terreſtrem, & viſibilem, in Sacramentum corporis ſui, vinumque in ſanguinis ſui Sacramentum inſtituit, vt ijs ipſis teſtificetur, nos quam vere hoc Sacramentum manibus noſtris accipimus, & tenemus, illudque comedimus, & bibimus, vnde poſtea vita noſtra ſuſtentatur, tam vere etiam nos fide (quæ animæ noſtræ & manus & os eſt) in animis noſtris recipere verum corpus, & verum ſanguinem Chriſti vnici ſaluatoris noſtri, ad vitam noſtram ſpiritualem*: hactenus illa: ſi itaque tam vere eſt ibi corpus, & ſanguis Chriſti, quam vere tangimus, comedimus, & bibimus ſpecies ſacramentales, vtique vere, realiter, & phyſice ſumimus corpus, & ſanguinem Chriſti. Fatetur hoc ibidem iſta confeſſio; *interea vero nequaquam errauerimus dicentes id, quod comeditur, eſſe proprium, & naturale corpus Chriſti, idque quod bibitur, eſſe proprium eius ſanguinem*. ſi proprium, & naturale Chriſti corpus comeditur, ſi proprius eius ſangis bibitur in Euchariſtia, clarum eſt hoc corpus, & hunc ſanguinem, ibi vere, realiter, & ſubſtantialiter exiſtere; quid igitur ſperat effugij, ex verbis ſequentibus, iſta confeſſio inquiens, *manducandi modus talis eſt, vt non fiat ore corporis, ſed ſpiritu per fidem*: Si enim prætendit corpus illud, & ſanguinem, non ſumi per os corporeum, falſum eſt quod ſupra dixit, id quod comeditur eſſe proprium, & naturale corpus Chriſti; ſi enim hoc proprium, & naturale corpus comeditur, reuera ſumitur ore corporis vero, & reali, alias non ſumeretur proprium, & naturale corpus Chriſti: fatemur quidem in hoc ſenſu, non ſumi ore corporis, ſcilicet maſticante, vel terente illud, ſed ſpiritu, ſeu ſpirituali, penetrabili, & inextenſo modo, & vt fructuoſe ſumatur, requiri fidem apprehendentem, quæ in illud, vere ſub

ſpe-

ſpeciebus exiſtens, tanquam in obiectum tendat. Et ſic verum eſt, quod infra ſubiungit, *quod conuiuium hoc ſit menſa ſpiritualis, in qua Chriſtus ſeipſum nobis, cum omnibus ſuis bonis communicat, miſeram noſtram animam carnis ſuæ eſu nutriens, corroborans, & conſolans, ſanguiniſque ſui potu reficiens, & recreans*. Fatemur quod ſupra dicit, *quod modus ipſe, quo Chriſtus hic vtique exiſtit, & ſumitur, mentis noſtræ captum ſuperet, nobiſque ſit incomprehenſibilis*, naturaliter vtique loquendo, proinde opus eſſe fide percipiente, & credente, vt cantat Eccleſia Romana, *quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides*.

§.III. Sequitur Scoticana confeſſio art.21.poſt multa ſibi inuicem repugnantia, tandem quæ ſequuntur, pronunciat, *quamuis magna ſit loci diſtantia, inter corpus ipſius* (ſcilicet Chriſti) *nunc in cælis glorificatum, & nos nunc hic in terris mortales, nihilominus tamen firmiter credimus, panem, quem frangimus, eſſe communionem corporis, & poculum cui benedicimus, eſſe communionem ſanguinis eius; ſic quod fideles in recto vſu cænæ Dominicæ ita edere corpus, & bibere ſanguinem Ieſu Chriſti confitemur, & certo credimus, quod ipſe in illis & illi in ipſo manent*. Si igitur firma fide credunt Reformati Scoti, panem & calicem Euchariſticum eſſe communionem corporis & ſanguinis Chriſti, ſi item certa fide profitentur, & credunt, quod fideles ita edant corpus, & bibant ſanguinem Ieſu Chriſti, vt ipſe in illis, & illi in ipſo maneant, ſane eiuſmodi firma, & certa fides, circa hoc myſterium, firmum, ac verum obiectum habere debet, alias non firma, ſed infirma, non certa, ſed dubia, non vera ſed falſa fides eſſet; adeoque hoc firmum, & certum obiectum debet eſſe Chriſtus in Euchariſtia, vere & realiter exiſtens, alias firma, & certa fide credi non poſſet, ibi eſſe, vel ſumi. Fatetur hoc iſta confeſſio addens, *imo ita fiunt caro de carne* (ſcilicet fideles) *& os de oſſibus eius, quod ſicut æterna deitas, carni Ieſu Chriſti, vitam & immortalitatem tribuit, ita etiam caro, & ſanguis eius dum à nobis editur, & bibitur, eaſdem nobis prærogatiuas confert*. Sed certum eſt, quod æterna deitas tribuat veram immortalitatem carni Chriſti, ergo à paritate, ſi Chriſtus, ſimiliter in Euchariſtia, veram vitam tribuit ſumentibus, ibi vere & realiter eſt, ne ſpecies Euchariſtiæ eſſent vacua ſigna, quod negat ibi ſtatim dicens, *quicumque nobis detrahunt, quaſi non affirmaremus vel crederemus, Sacramenta nihil aliud eſſe, quam nuda & vacua ſigna, iniuriam nobis faciunt, & contra manifeſtam veritatem loquuntur*, ſi non ſunt nuda, & vacua ſigna, habent ſub ſe aliud quid ab eis diſtin-

ſtinctum, cuius ſunt ſigna; hoc autem eſt Chriſtus ipſe ibi realiter exiſtens.

§. IV. Pergamus ad Anglicanam reformationem, & illa contra refractarios reformatos, realem præſentiam negantes, ſit nobis Triariorum inſtar, agmenque claudat: Igitur primus huius reformationis author Henricus Octauus, in ſtatutis parlamentaribus die 28. Aprilis anni 1539. factis, edidit decretum tenoris ſequentis, idque poſtquam, aliquot annis antea receſſit à Romana Eccleſia, *ſi vllus, verbo,* inquit, *ſcripto, cyfra, vel alio modo prædicet, doceat, diſputet, vel teneat opinionem, quod in venerabili altaris Sacramento, ſub ſpeciebus panis & vini, poſt conſecrationem, non ſit præſens realiter naturale corpus, & naturalis ſanguis, Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, concepti de Virgine Maria, vel quod poſt prædictam conſecrationem, remaneat vlla ſubſtantia panis, vel vini, vel alia vlla ſubſtantia, præter ſubſtantiam Chriſti Dei & hominis, vel quod in carne ſub ſpecie panis, non ſit verus ſanguis Chriſti, vel quod cum ſanguine, ſub ſpecie vini, non ſit vera caro Chriſti, vel affirmat, idem Sacramentum eſſe aliam ſubſtantiam, præter prædictam, vel deprauat dictum venerabile Sacramentum, talis habebitur tanquam hæreticus, & ſubibit mortem, per combuſtionem; confiſcabuntur regi omnes eius fundi, poſſeſſiones, hæreditates, bona, armenta, ſicut fit in crimine læſæ maieſtatis.* declarat ibidem, *vnam ſpeciem ad ſalutem ſufficere; miſſas, eaſque priuatas eſſe celebrandas.* Prohibet ne quis irreuerenter de eodem Sacramento loquatur. Hoc ipſum de reali Chriſti præſentia, in Euchariſtia, & reuerentia ei exhibenda, renouatum & confirmatum fuit ab Eduardo Sexto, in actis parlamenti die 4. Nouembris anni 1547. à Regina Elizabetha die 23. Ianuarij anni 1558. præfatum ſtatutum, non eget declaratione, vbi Henricus Anglicanæ reformationis caput, declarat hæreticos, qui realem præſentiam negant, & læſæ maieſtatis reos, ſi fides igitur adhibenda Henrico, hæretici ſunt negantes prædictam realem præſentiam, ſi putant ſe recte ſentire eam negando, neceſſe eſt vt habeant pro hæretico, Henricum, & ſic hæreticum hominem, pro capite, & authore ſuæ reformationis habent; videant quid eligant, vel hæreticum authorem ſuæ reformationis habere, vel ſe potius in hoc puncto hæreticos agnoſcere, atque adeo debere redire, ad Romanam Eccleſiam: hanc eandem Chriſti præſentiam prior confeſſio Anglicana, edita Ioanne Iuello ſuperintendente Sariſburienſi anno 1562. profitetur, & confeſſio poſterior art. 28. inquiens; *panis quem frangimus, eſt participatio corporis Chriſti &c.* quod

autem ſubiungit, *ſumi per fidem*, art. præced. diſcuſſi. Item catechiſmus Eccleſiæ Anglicanæ cap. 4. tenet dari realem præſentiam, ſimul tamen cum pane, quod ſubſect. 1. iam agitaui. ſicut, inquit catechiſmus, *panis & vinum ſumuntur, & recipiuntur corporaliter, ita Chriſti Corpus, & ſanguis ſumuntur, & recipiuntur à fidelibus in cæna*. nunc ſic concludo, vel ſerio loquuntur præfatæ confeſſiones, & ſententiæ, vel ficte? ſi ſecundum, earum profeſſores ſunt perfidi impoſtores, quod aliud loquantur ore, aliud corde ſentiant, atque adeo nullam merentur fidem, dum in re tanti momenti ludunt: ſi primum: ergo iam fateantur neceſſe eſt realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, atque adeo ſubſiſtere doctrinam Romanæ Eccleſiæ, de hoc myſterio, quæ hodie eadem eſt ſub Innocētio Vndecimo, quę fuit olim ſub Innocentio Primo.

ARTICVLVS QVINTVS.

Soluuntur contrariæ difficultates.

§. I. OPponunt primo reformati hunc textum, *Hoc eſt corpus meum*, non proprie, ſed figurate ſumi debere, vt patet à paritate, quia hæ locutiones figuratæ ſunt, *agnus eſt phaſe*, *petra erat Chriſtus*, *ego ſum vitis*, *ſeptem boues, ſunt ſeptem anni*. ergo etiam hæc locutio erat figurata. Reſp. 1. quod ex principijs, & modo loquendi reformatorum, vt in præcedentibus vidimus, conſtat illa verba debere proprie accipi. Reſp. 2. negando conſequentiam, vel eam potius, cum toto argumento retorqueo, ſi enim ille modus arguendi valeret, nulla ſcripturæ locutio, in qua interuenit copula *eſt*, eſſet propria, ſed tantum impropria, & figurata, hoc autem eſt falſum, nam hæ locutiones ſunt proprijſſimæ, *hic eſt filius meus dilectus, verbum caro factum eſt, Paulus eſt doctor gentium, Petrus eſt Apoſtolus, Iudas eſt proditor*; igitur hæc eſt propria locutio, *hoc eſt corpus meum*, vti conſtat ex communi primitiuæ Eccleſiæ ſenſu, ea verba in ſenſu proprio, & litterali intelligentis.

§. II. Obijciunt rurſus hæc verba, *hoc eſt corpus meum* intelligenda eſſe *ſicut iſta, hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. ſed hæc intelliguntur figurate, ergo & illa. minor patet, nam calix ſumitur pro vino tanquam continens pro contento per metonymiam: ſimiliter teſtamentum ſumitur pro ſigno, vel figura teſtamenti. Reſp. in hoc nomine teſtamenti, nullam interuenire

figu-

figuram, nam teſtamentum, duo proprie ſignificat, primo voluntatem, diſpoſitionem, promiſſionem, ſeu pactum teſtatoris: Secundo authenticum inſtrumentum, quo dicta teſtatoris voluntas, diſpoſitio, ſeu promiſſio continetur, aut quo applicatur nobis ius, ad hæreditatem à teſtatore promiſſam: & ita non ſolum biblia, quibus continetur Dei voluntas teſtantis, & promittentis, vocari poſſunt teſtamenta, ſed etiam Sacramenta omnia, præcipue Euchariſtia dicitur teſtamentum, quo confertur nobis ius ad vitam æternam, iuxta illud Ioan. 6 *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Tum etiam quia continet, apertiſſimam repræſentationem effuſionis Sanguinis Chriſti, quo Sancitum eſt nouum teſtamentum, ex quo patet, hoc nomen teſtamentum ſumi hic proprie ab Euangeliſtis: à Marco, & Matthæo, dicitur *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*; à Luca, & Paulo, *hic calix nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine*. Marcus & Matthæus ſumunt nomen teſtamenti, pro voluntate, & promiſſione Teſtatoris: Lucas & Paulus pro inſtrumento illius promiſſionis. Vnde ſenſus Matthæi, & Marci eſt, *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*, id eſt hic eſt ſanguis, quo ſancitur voluntas, pactum & promiſſio Dei: ſenſus verborum Lucæ & Pauli eſt, *hic calix ſanguinis mei eſt nouum teſtamentum*. Id eſt, hoc Sacramentum Euchariſtiæ, eſt authenticum inſtrumentum, quo applicatur nobis ius, ad vitam ſeu hæreditatem æternam à Deo promiſſam, quare in vtroque ſenſu poteſt dici propria locutio.

§. III. Opponunt rurſus ex illis verbis Matth. 26. *non bibam amodo, de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum, in Regno patris mei*; hæc autem verba dicta ſunt à Chriſto, poſt conſecrationem calicis: ergo poſt eam fuit vinum in calice, atque adeo, non fuit ibi ſanguis, niſi figurate Reſp. in vltima cæna, duos fuiſſe calices, primus fuit in cæna illa Vſuali, & Paſchali veteris teſtamenti, ſecundus fuit calix myſticus; de primo locutus eſt Chriſtus, qui re vera continebat verum & reale vinum tantum, non autem de ſecundo, qui fuit calix ſanguinis Chriſti; vnde quod omiſit declarare Matthæus ibi, expoſuit in ſuo textu Lucas cap. 22. verſ. 15. *ait illis, deſiderio deſideraui, hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar, dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei, & accepto Calice gratias egit, & dixit accipite, & diuidite inter vos; dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat.* Huc vſque ſe protraxit cæna paſchalis veteris teſtamenti, & poſt

illam vtique cænam, non comedit, neque bibit, vſque poſt ſuam Reſurrectionem, in qua impletum eſt Regnum Dei, & tunc comedit, vt patet ex Euangelio, & actibus Apoſtolorum cap. 1. mox autem ſequitur inſtitutio cænæ myſticæ, per iſta verba, *& accepto pane gratias egit &c.* vnde patet alium fuiſſe calicem, de quo dicebat, ſe non amplius bibiturum, & alium fuiſſe ſanguinis, de quo nihil tale dixit.

§. V. Opponunt tandem primæ ad Corinth. 10. *omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt*: ergo Iudæi eandem eſcam ſpiritualem, quam nos manducamus ſumpſerunt; ſed illi manducarunt corpus Chriſti in figura; ergo & nos ſimiliter facimus. Reſp. Apoſtolum ibi non dicere, Iudæos manducaſſe nobiſcum, eandem eſcam, ſed ipſos inter ſe manducaſſe, eandem eſcam, vt patet legenti textum, *patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducarunt*, non confert ergo Apoſtolus, Iudæos nobiſcum, ſed inter ſe.

§. VI. Opponunt vltimo, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam, ſub vtraque ſpecie, & dixiſſe etiam Ioan. 6. *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; fit ergo contra inſtitutionem, & præceptum Chriſti, quando non datur communio ſub vtraque ſpecie Reſp. multipliciter, & primo, quod licet Chriſtus dixerit prædicta verba, vitam tamen promiſit ſub vna ſpecie ibidem, *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita, hic eſt panis de Cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur, ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum, qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Reſp. 2. non eſſe idem, inſtitutionem diuinam, & præceptum diuinum, matrimonium eſt à Deo inſtitutum, non tamen eſt omnibus præceptum, ſic licet Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam, ſub vtraque ſpecie, non tamen vtramque omnibus præcepit, cum ipſe Lucæ 24. celebrauerit hoc myſterium ſub vna ſpecie, idque fecerint Apoſtoli ſæpius vt act. 2. patet, *erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, quo loco agi de Euchariſtia fatentur aduerſarij, Lutherus Serm. de Euchariſtia. Kemnitius ſecunda parte examinis. Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 35. item act. 20. fit mentio de vna ſola ſpecie, vt fatentur Caluinus, Beſa, & Kemnitius. Rurſus ex Iudæis conuerſis, multi erant Nazaræi, qui non bibebant vinum, communicabant

tamen, idque vtique ſub vna ſpecie: de quibus Nazareis fit mentio act. 18. & 21. Reſp.3. ipſos reformatos, hoc etiam debere admittere,nam diſciplina Eccleſiarum reformatorum Franciæ num. 6. ſic ait, *panis cænæ eſt adminiſtrandus ijs, qui vinum bibere nequeunt.* Quod ſi eſſet præceptum de vtraque ſpecie, quomodo reformati poſſent in eo diſpenſare, in hiſtrionica illa ſua cæna? cum autem Chriſtus totus ſit ſub vtraque ſpecie, merito Eccleſia, vnam tantum laicis concedit, cum vtique ſub vna illa ſpecie, vere ſumatur eius caro, & ſanguis.

§. VII. Quare nunc ex dictis ſequitur, Chriſtum in Euchariſtia adorandum eſſe, adoratione latriæ, quandoquidem ſit ibi vere & realiter; ſicut Matth. 2. *procidentes adorauerunt eum Magi*, & Ioan. 9. cæcus viſui reſtitutus *procidens adorauit eum* & ad Heb. 1. Angeli eum adorant, vti & ſeniores Apocalypſis 5. nec obſtat quod in Euchariſtia ſenſibiliter, non percipiatur, quia adoratio nō nititur ſenſu, ſed fide. Quid eſt autē negare, hunc cultum Chriſto vere in Euchariſtia exiſtenti, vt ex ipſis reformatis euici, quam Luciferum imitari, & apertiſſimum atheiſmum profiteri, Deum illum agnoſcere, & tamen cultum Deo debitum negare: habemus igitur ex hactenus allatis, hoc myſterium ex confeſſione generis humani, vt ita loquar, obtinuiſſe ſuam veritatem, & in hac doctrina, nunquam variaſſe Eccleſiam Romanam, & merito hodie etiam orbi Chriſtiano, Tridentinæ Synodi canones, circa hoc myſterium, proponere ex ſeſſ. 14. *ſi quis negauerit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ, ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpecici partibus, ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.*

SECTIO SECVNDA.

Idem profitetur hodie Eccleſia Romana, in omnibus articulis controuerſis, ſub Innocentio Vndecimo, quod olim profitebatur primitiua Eccleſia, ſub Innocentio Primo, atque adeo tenentur reformati ad eandem Romanam Eccleſiam redire.

AR

ARTICVLVS PRIMVS.

Recenſentur ex Tridentina ſynodo articuli controuerſi, & oſtenditur eſſe illos eoſdem, quos primitiua Eccleſia credidit.

§. I. NOn negant eruditiores Reformati, articulos hodie inter eos, & catholicos, controuerſos, fuiſſe aſſertos, & creditos à primitiua Eccleſia, vt videbimus; ſed hoc miſerabili effugio conantur euadere, quod fuerint næui inhærentes doctrinæ patrum, nebulæ offuſcantes Eccleſiam, denique errores, in quos ipſa Chriſti Eccleſia delapſa eſt: tandem, vt vno verbo, ſuū ſchiſma, aliquo coloris fuco obtegant; volunt Eccleſiam eſſe fallibilem: atque adeo deceptionibus eſſe obnoxiam: ſed prima parte, oſtendi, quam male torqueat reformatos ipſos, prætenſa iſta Eccleſiæ fallibilitas, ita vt eos relinquat incertos, an eorum reformatio ſit à Deo verace, an potius à diabolo mendace, adeo vt ad dictam fallibilitatem, ad hoc vt poſſint impingere errores Eccleſiæ, & quærere excuſationes, in ſuis peccatis, nequeant recurrere, ſine irreparabili reformationis excidio: neque rurſus prætenſos huiuſmodi errores oſtendere, quam per manifeſtam oppoſitionem articuli, qui prætenditur eſſe error, cum textu aliquo expreſſo, & in ſcripturæ ſine mutatione, diminutione, gloſſa, conſequentia, reperto, quomodo neque hactenus potuerunt, neque in æternum poterunt articulos Eccleſiæ Romanæ, erroris damnare, vti neque etiam per hunc recurſum, ad nudam ſcripturam potuerunt, vel poterunt, vllum ſpecialem vel proprium reformationis articulum iuſtificare, vti prima parte luculenter oſtendi. Rurſus hic ipſe modus, ſeu damnandi aliena, ſiue ſua propria dogmata probandi, trahit neceſſario reformatos, ad Scrutinium priuatum, quod ſicut eadem prima parte vidimus, relinquit reformatos ſine omni ſpe, vel inueniendæ, vel aſſequendæ doctrinę ſalutis: patet tandem ex Apologia huic diſtinctioni præmiſſa, ſuam patribus remanere authoritatem, & integritatem; patet item ex ipſis reformatorum principijs diſt. 3. allatis, Eccleſiam eſſe perpetuò infallibilem, eius proinde teſtimonium, pro quocumque ſæculo; & ſi fides adhibenda reformatis, pro primitiuis præſertim

tim temporibus, eſſe irrefragabile, & proinde in hac cauſa validam, & firmam præſtare fidem, & teſtari Catholicos Romanos hodie, idem cum dictis patribus ſentire.

§. II. Ordinem igitur Tridentinæ ſynodi in edendis, ex ſenſu veterum patrum, ac primitiuæ Eccleſiæ, ſuis definitionibus, proſequor, & magis præcipuas excerpo: Itaque ſeſſione ſexta, canone quinto, definit dari in homine liberum arbitrium, anathemate prohibens oppoſitum errorem, qui canon fundatur in pluribus ſcripturæ locis, vt Gen. 4. verſ. 6. numerorum 30. verſ. 14. deuter. 26. verſ. 17. & cap. 30. verſ. 19. Ioſue 24. verſ. 15. ſecundi Reg. 24. verſ. 12. Iſaiæ 1. verſ. 19. Matthæi. 16. verſ. 24. & cap. 19. à verſ. 17. Lucæ 9. verſ. 23. Ioan. 7. verſ. 17. & cap. 13. verſ. 7. ac alijs innumeris locis: habet item apertum fundamentum, in primitiuis patribus, in Sancto Ignatio martyre in Epiſt. ad Magneſianos; Iuſtino martyre ad quæſt. 103. Gentilium in Apologia prima ad ſenatum ante mediũ; in Apologia ſecunda ad Antonium Pium Imperatorem, poſt medium: in Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum ante medium lib. item ſecundo, ante medium: in Origene homil. 12. in numeros, & homil. 20. item homilia prima in Ezech. in S. Cypriano Epiſt. ad Cornelium. Item lib. de vnitate Eccleſiæ lib. 3. ad Quirinum cap. 25. & tract. de Natiuitate Chriſti prope finem. in Sancto Anathaſio, oratione contra gentes, Sancto Hilario lib. 1. de Trinitate, Sancto Baſilio Magno, homilia *quod Deus non ſit author malorum*; Sancto Cyrillo Ieroſolymitano, Catheche ſi ſecunda illuminatorum, Sancto Ambroſio in Pſal. 118. verſ. 64. Sancto Gregorio Nazianzeno, in prima oratione Apologetica. in Sancto Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum: Sancto Ioanne Chryſoſtomo homilia 19. in Geneſim, & homilia ſexageſima in Matthæum: item ſermone 8. in Epiſtolã ad Philippenſes, & omnium fuſiſſime in Magno Auguſtino tribus libris de libero arbitrio, item libro de gratia & libero arbitrio. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 10. lib. de ſpiritu & littera, tract. 4. in Ioannem libro de vera Religione cap. 14. quare lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. inquit, *peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere, quamquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntas, nec hi libri obſcuri, mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem, neminem vituperatione, ſuplicioue dignum, qui aut id velit, quod iuſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt: nonne iſta cantant, & in montibus paſtores, & in Theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in*

Biblio-

Bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in locis ſacris, & in orbe terrarum, genus humanum. tandem hunc fuiſſe ſenſum patrum primitiuæ, Eccleſiæ fatentur reformati, Centuratores Magdeburgenſes Centuria quinta colum. 500. & 501. & alibi: Humfredus Ieſuitiſmi parte 2. Oſiander. cent. 2. Lutherus in Epiſt. ad Gal. cap. 4. VVitakerus ad rationes Campiani rat. 5. Bullingerus in Apocalip. ſerm. 87. & alij. ex dictis igitur patet, quam ſit conformis ſcripturis ſanctis, quam conſonus primitiuis patribus, ille Concilij Canon. ſeſſ. cit. de libero arbitrio, quem hodie profitetur Romana Eccleſia: *ſi quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum amiſſum, & exſtinctum eſſe dixerit &c. Anathema ſit.*

De iuſtificatione, & merito bonorum operum.

§. III. Eadem ſexta ſeſſione, declarat ſynodus, fidem ſolam ad ſalutem non ſufficere, bonis operibus iuſtorum, vitam æternam eſſe promiſſam, & ad eandem neceſſaria eſſe dicta opera, ac obſeruantiam mandatorum, coniunctam cum charitate, quæ ſententia habet ſimiliter ſua fundamenta in ſacris litteris, ac primitiuis patribus, in ſacris litteris, inquiam, quæ bonorum operum exercitium ſtatuunt etiam in obſeruantia mandatorum, atque adeo hoc ipſo, quo Chriſtus eſt legiſlator, præſcripſit vtique obſeruantiam mandatorum Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Matth. 28. *docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis*. Matth. 25. vbi Chriſtus ait ſe venturum ad iudicium, & bonis ſe daturum vitam, malis Gehennam, enarratis ibi bonis, & malis operibus. Patet ex ſolius fidei defectu Matth. 7. *non omnis, qui dicet mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei &c.* 1. ad Corinth. 13. *ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* & ad Gal. 5. *in Chriſto Ieſu, neque circunciſio aliquid valet, neque preputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* & Iacobi 2. *quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat*. & infra, *fides ſine operibus mortua eſt*; & Magdalenæ Lucæ 7. dicitur, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, non autem dicitur, quia credidit multum. patet rurſus, ex cooperatione noſtra, per ſcripturam, requiſita ad noſtram ſalutem 1. ad Corinth. 5. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, Dei enim adiutores ſumus*. De eadem cooperatione habetur 2. ad Corinth. 7. verſ. 10. 2. Petri 1. verſ. 10. rurſus bo-

na iſta

na iſta opera, conducere ad iuſtificationem, & ſalutem patet ad Rom. 6. *nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem* & cap. 8. *Deus miſit filium &c. vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* & 2. ad Corinth. 7. *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem, in timore Dei*. Idem inſinuat cap 9. eiuſdem epiſt. dictam ſententiam indicant paſſim alia ſcripturæ loca Matth. 11. 1. Ioan. 5. Pſal. 17. verſ. 21. Pſal. 118. Matth. 5. act. 10. idem aſſerunt Sancti patres, Ignatius Martyr, in Epiſt. ad Epheſios. Sanctus Martialis in Epiſt. ad Toloſanos, Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 9. 28. 29. 71. & 72. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. & lib. de reſurrectione carnis cap. 48. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, item lib. 4. Origenes homil. 3. in cantica, Sanctus Cyprianus lib. de opere, & Eleemoſyna: ac lib. de vnitate Eccleſiæ: Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 28. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 4. Sanctus Ambroſius lib. 2. officiorum, & epiſt. 10. Sanctus Hieronymus in cap. 7. Matth. & lib. 2. contra Iouinianum. Sanctus Auguſtinus lib. de fide & operibus diffuſe: & lib. 83. quæſtionum, quæſt. 78. ac lib. de bono Coniugali cap. 7. & homil. 14. ac alibi paſſim. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homil. 34. in Geneſim & 42. item 33. ad populum Antiochenum. nullatenus igitur diſſentit, ſed potius omnimode conſentit, cum ſcripturis, & Eccleſiæ primitiuæ patribus, Tridentina ſynodus, dum ſequentes ſtatuit canones, nempe can. 9. *ſi quis dixerit, ſola fide, impium iuſtificari, ita vt intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, Anathema ſit:* & can. 26. *ſi quis dixerit iuſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per eius miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finem, perſeuerauerint, Anathema ſit.* Et ſupradictam ſententiam fuiſſe creditam in primitiua Eccleſia, & à primitiuis patribus, fatentur reformati, Centuriatores Magdeburgenſes, centuria quinta. Columna 101. 504. 505. 506. 507. Abrahamus Scultetus in medulla Theologiæ patrum. Oſiander. cent. 4. admittunt igitur Romanæ cum primitiua Eccleſia, in præfata ſententia conformitatem.

§. IV. Seſſione ſeptima, pergit ſynodus declarare, numerum ſacramentorum, eumque definit eſſe ſeptenarium, quam doctrinam, ex ſcriptura deprompſit, nam de Baptiſmo habetur Matth.

& Marci vltimo, ac Ioan. 3. de Euchariſtia Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 6. de confirmatione facta per manum impoſitionem habetur act. 18. & 19. de pænitentia habetur Ioan. 20. vnde Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. *Deus dedit nobis miniſterium legationis*: de extrema vnctione habetur Iacobi 5. de Sacramento ordinis habetur mentio 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 4. & ad Epheſios 4. de matrimonio fit mentio ad Epheſ. 5. de eis mentionem faciunt eamque aſſerunt primitiuæ Eccleſiæ patres, & concilia. de baptiſmo habetur in ſymbolo Conſtantinopolitano: de Euchariſtia allegaui ſect. præced. diffuſe patres; *confirmationis*, meminit Tertullianus lib. de Baptiſmo. Cyprianus lib. 1. Epiſtola 12. & lib. 2. Epiſt. 1. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſtolas Petiliani. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, & homilia 8. in Leuiticum. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi tertia Miſtagogica; Gregorius Nazianzenus orat. 4. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ad cap. 8. act. Apoſtolorum; Sanctus Ambroſius lib. de his qui myſterijs initiantur & lib. 3. de Sacramentis, Sanctus Hieronymus, dialogo aduerſus Luciferianos cap. 4. *de pænitentia*, mentionem faciunt D. Ambroſius lib. 1. de pænitentia, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioann. cap. 56. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo. de *extrema vnctione* habetur apud Origenem, oratione 2. in Leuiticum, apud Sanctum Cyrillum Alexandrinum, de adoratione ſpirituali lib. 6. apud Sanctum Ambroſium, in ſuo miſſali, Sanctum Hieronymum in cap. 14. Oſeæ, apud Sanctum Auguſtinum ſerm. 215. de Tempore: apud Sanctum Innocentium primum, Epiſtola ad Decentium Eugubinum cap. 8. *de ordinis Sacramento*, loquitur Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 215. Gregorius Nyſſenus de Baptiſmate. Sanctus Ioannes Chriſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio. Concilium Calcedonenſe canone 2. Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem cap. 7. Sanctus Cyprianus de Cardinalibus Chriſti operibus. Sanctus Ambroſius, de dignitate ſacerdotali cap. 4. in 1. ad Corinth. 12. S. Hieronymus dialogo contra Luciferanos, & ad cap. 58. Iſaiæ. Sanctus Auguſtinus lib. quæſt. veteris, & noui Teſtamenti quæſt. 93. libr 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. & lib. de Baptiſmo, contra Donatiſtas cap. 1. Sanctus Innocentius Primus epiſt. 11. cap. 3. *de matrimonij Sacramento* agunt Sanctus Ignatius Martyr epiſt. ad Philippenſes. Iuſtinus oratione ad Antoninum Pium, Irenæus lib. 1. cap. 1. & cap. 30. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum. Athanaſius ſerm. contra omnes hæreticos. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 4. Baſilius

Ma-

Magnus lib. de vera virginitate. Nazianzenus oratione 11. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in Pſal. 43. & in cap. 5. ad Epheſios homil. 20. Tertul. lib. 2. ad vxorem, Sanctus Cyprianus de diſciplina & bono pudicitiæ, Sanctus Ambroſius de Abraham patriarcha lib. 10. cap. 7. & lib. de viduis, & alibi. Sanctus Hieronymus ad cap. 19. Matth. & aduerſus Iouinianum cap. 1. Sanctus Auguſt. lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia cap. 10. & 21. lib. de bono coniugali cap. 7. 15. & 24. Sanctus Innocentius Primus epiſt. 9. & epiſt. 22. credit igitur hodie Romana Eccleſia, de numero ſeptenario Sacramentorum, id ipſum, quod credidit primitiua Eccleſia, temporibus Innocentij Primi, & merito proponit canonem illum primum ſeſſ. 7. Concilij Tridentini, vtpote, ſcripturis, ac primitiuæ Eccleſiæ, conformem, ſcilicet, *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis, non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet baptiſmum, confirmationem, Euchariſtiam, pænitentiam, extremam vnctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe vere & proprie Sacramentum, anathema ſit.* Declarat eſſe à Chriſto domino inſtituta; quia certum debet eſſe, apud omnes chriſtianos, vti Sacramenta ſunt Inſtrumenta, quibus cauſatur gratia, per Dei ſolius potentiam, ita à pura creatura inſtitui non poſſe; noc obſtat, quod hoc nomen ſeptem Sacramentorum, certis terminis, in ſcriptura non inueniatur, ſufficit quod res ſignificata, per ſingula Sacramenta, ibi inueniatur.

§. V. De Sacramenti pænitentiæ partibus, ſupereſt cum reformatis vlterior difficultas, hinc eadem ſynodus, ſtatuit adhoc Sacramentum requiri tres iſtas partes; nempe confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem, ac tandem interuenire debere abſolutionem à ſacerdote collatam. Scripturam ſupra citatam, addo nunc patres Irenæum lib. 1. cap. 9. Tertull. lib. de pænitentia cap. 7. 8. 9. 10. 12. Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum ante medium, Origenem homil. 2. in leuiticum. Cyprianum ſerm. de lapſis, Sanctum Baſilium in ſuis Regulis breuioribus. Sanctũ Ambroſium lib. 1. de pænitentia cap. 2. Sanctum Hieronymum Epiſt. 1. ad Heliodorum. S. Ioannem Chryſoſtomum in præfatione commentariorum in Iſaiam; & lib. 2. de compunctione & homil. 33. in Ioan. Sanctum Auguſtinum epiſt. 180. ad Honoratum & concione 2. in Pſal. 101. & lib. 1. de adulterinis coniugibus, item in Pſal. 50. ac homil. 12. item in Pſalmum 44. Sanctum Innocentium Primum, in epiſtola ad Decentium Eugubinum cap. 7.

& epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. 4. qui omnes patres expreſſe loquuntur, de prædictis partibus, ac abſolutione impendenda, & ita ſenſiſſe patres illorum primorum temporum, fatentur centuriatores Magdeburgenſes, centuria 2. & 3. nihil ergo noui introduxit Tridentina ſynodus, ſed antiquum firmauit dogma, temporibus Innocentij Primi creditum, & hodie ſub Innocentio Vndecimo propoſitum ex ſeſſ. 14. canon. 4. *Si quis negauerit, ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pænitente, quaſi materiam Sacramenti pænitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pænitentiæ partes dicuntur &c. Anathema ſit* & canone 9. *ſi quis dixerit abſolutionem Sacramentalem ſacerdotis, non eſſe actum iudicialem &c. aut dixerit, non requiri confeſſionem pænitentis, vt ſacerdos eum abſoluere poſſit, anathema ſit.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Oſtenditur reliquos articulos controuerſos, à Tridentina ſynodo declaratos, eſſe ſimiliter dogmata primitiuæ Eccleſiæ.

§. I. FVſum hic de ſacrificio miſſæ inſtituere ſermonem ſuperfluum videtur, nam ex præcedenti ſectione, de reali præſentia, ſat conſtat, quæ fuerit mens primitiuæ Eccleſiæ, de ea re, & centuriatores Magdeburgenſes centuria 3. & 4. numerant plures patres, qui de ſacrificio miſſæ mentionem faciunt, & inſtar omnium ſit canon. 18. Nicænæ ſynodi primæ, à reformatis admiſſæ, inquiens, *peruenit ad ſanctum magnumque concilium, quod in quibuſdam locis, & ciuitatibus, presbyteris gratiam ſacræ communionis, diaconi porrigant, quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, vt ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, corpus Chriſti accipiant.* Hunc canonem Magdeburgenſes ſupradicto loco citant, cui addere liceat, declarationem vndecimam anathematiſmi vndecimi in Concilio Epheſino, per Cyrillum Alexandrinum editi *Sanctum ac viuificum, incrementumque in Eccleſijs, ſacrificium peragimus, corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis, nobiſque ſimilis hominis cuiuſpiam, eſſe credentes, ſed potius tanquam proprium corpus effectum, & ſanguinem etiam verbi, quod omnia viuificat, accipientes.* ſufficiant vtriuſque iſtius œcumenici concilij

 teſti-

teſtimonia, quid primitiua Eccleſia, de ſacrificio miſſæ ſenſerit, nempe, in eo offerri, verum corpus, & verum ſanguinem Chriſti, & in miſſa offerri ſimiliter verum ſacrificium; quam ſententiam fuiſſe primitiuæ Eccleſiæ, præter Magdeburgenſes, fatentur Caluinus, lib. de vera Eccleſiæ reformatione, & lib. 4. inſtit. cap. 18. ſect. 11. Petrus Martyr in locis communibus parte 4. Cartu-rightus in 2. replica, parte vltima: Fieldus lib. 3. de Eccleſia cap. 19. Sebaſtianus Francus, Andræas Craſtouius, & alij: huic igitur venerandæ antiquitati, merito inſiſtit Tridentina ſynodus, dum ſeſſ. 22. canone 1. definit, *Si quis dixerit, in miſſa non offerri, verum & proprium ſacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.*

§. II. Rurſus præfata ſynodus ſeſſ. 25. edit decretum de purgatorio, illud nempe dari, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragijs potiſſimum, vero, acceptabili altaris ſacrificio, iuuari: præcipitque ſanam doctrinam, à ſanctis patribus, & ſacris concilijs traditam teneri, & eam ſane fuiſſe primitiuorum patrum ſententiam teſtantur ipſi patres Tertull. lib. de corona militis cap. 3. & 4. & lib. de Monogamia cap. 10. Origenes homil. 3. in Exodum. Sanctus Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum. Sanctus Athanaſius quæſt. 34. ad Antiochum principem. Sanctus Baſilius Magnus in cap. 6. Iſaiæ, & in cap. 9. eiuſdem. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 5. Myſtagogica ante medium. Gregorius Nazianzenus oratione 10. in laudem Cæſarij fratris. Sanctus Epiphanius in hæreſim 75. quæ fuit Aerij. Sanctus Ambroſius oratione de obitu Theodoſij Imperatoris, prope initium, & oratione de obitu Valentiniani prope finem, Sanctus Hieronymus in commentario in cap. 11. prouerbiorum. in cap. 66. Iſaiæ. in cap. 7. Micheæ: Concilium 3. Carthaginenſe can. 29. cui concilio Sanctus Auguſtinus ſubſcripſit. item 4. Carthaginenſe concilium ab eodem Auguſtino ſubſcriptum can. 79. Sanctus Ioannes Chriſoſtomus homil. 23. in Matthæum fuſe, & homilia 41. in primam ad Corinth. item homil. 3. in Epiſt. ad Philippenſes ac tandem in liturgia. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Geneſi, contra Manichæos cap. 20. lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 9. 13. 16. 24. & in Pſal. 37. item homil. 16. & ſerm. 41. tandem lib. 9. confeſſionum cap. 12. & hanc fuiſſe primitiuæ Eccleſiæ ſententiam, non diffitentur reformati, ſcilicet Magdeburgenſes centuria 4. & 5. Fulco in retentiua. Kemnitius 3. parte examinis. recte igitur Tridentinum Concilium, hoc ipſum de purgatorio, & ſuffragijs, animabus

ibi

ibi detentis, applicandis, vetuſtiſſimum dogma iterum propoſuit, & cum dicto concilio proponit & profitetur Romana Eccleſia.

§. III. Citata ſimiliter ſeſſione edit concilium decretum, de honore, & inuocatione Sanctorum, de vſu ac veneratione ſacrarum reliquiarum, & imaginum. Declaratque eum vſum eſſe à primæuis chriſtianæ religionis temporibus, receptum, eſſeque Sanctorum patrum conſenſionem; vt fidem faciunt ipſi patres. Sanctus Iuſtinus Martyr Apologia 2. ad Antoninum Pium. item ad quæſt. 30. Gentilium, & ad quæſt. 28. eorumdem. Irenæus lib. 5. cap. 19. Tertull. de carne Chriſti cap. 17. lib. 2. ad vxorem cap. 5. lib. de corona militis, cap. 3. lib. contra Marcionem cap. 22. Origenes homil. 3. in diuerſos Euangelij locos & lib. 3. in Iob ac homil. 6. in Exodum. Sanctus Cyprianus in epiſt. 34. ad Clerum, & plebem de Celeratio, & epiſt. 37. ad eundem Clerum item lib. de ſtella, & magis. Item de circumciſione, & Cruce; Sanctus Athanaſius ſerm. de Sanctiſſima deipara, & oratione de Incarnatione. Sanctus Hilarius in Pſal. 129. & in cap. 18. Matth. Sanctus Baſilius Magnus in ſua litturgia, & homilia in 40. Martyres. Sanctus Gregorius Nyſſenus oratione de obitu Meletij Epiſcopi. Sanctus Gregorius Nazianzenus in ſua Tragœdia, de Chriſto patiente; & oratione 20. quæ eſt in laudem Sancti Baſilij, item oratione 18. in laudem Sancti Cypriani; item orat. 19. & orat. 4. in Iulianum. Sanctus Ambroſius in precatione præparatoria ad miſſam & lib. de viduis, ac de oratione SS. Petri & Andreæ, pro ſocru in ſermonibus eius de Sanctis: Cyrillus Ieroſolymitanus in Catecheſi 5. Myſtagogica. Sanctus Hieronymus in Danielem in epiſt. ad Paulam, & lib. contra Vigilantum: Sanctus Ioannes Chriſoſtomus in ſua litturgia homil. 31. ad Populum Antiochenum. item homil. 41. ad eundem. homil. 73. quæ eſt in laudem Martyris Barlaam; & alijs ſuis homilijs ad præfatum Antiochenum populum. Sanctus Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 22. item lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 27. ſerm. 25. & 26. de Sanctis: item lib. de cura pro mortuis agenda, & ſerm. 1. de Sancto Stephano, ac alibi ſæpe, hoc ipſum fuiſſe primitiuæ Eccleſiæ dogma, fatentur Centuriatores Magdeburgenſes; Centuria 2. 3. 4. 5. Romana igitur Eccleſia in Concilio Tridentino tam tunc, quam hodie profitetur in hoc articulo, quod noſtri olim in primitiua Eccleſia profeſſi fuerunt, & probauere maiores.

§. IV. Eadem ſeſſione 25. ſynodus ponit decretum, de indulgen-

gentijs quæ ſunt remiſſiones pęnarum temporalium, pænitentibus impoſitarum, vel peccatis iam confeſſis debitarum, idque ex Theſauro meritorum Chriſti, & eius Sanctorum, iuxta articulum symboli, *credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem*. & ex primitiua Eccleſia ſufficiat Nicœnum primum canone 11. vel alijs 12. poſtquam taxauit nonullas pænitentias, tandem addit: *poſtmodum vero licebit Epiſcopo, de his aliquid humanius cogitare, negligentiores vero iubet, vt definitum modis omnibus tempus impleant*. Similia habentur in Concilio Ancyrano can. 5. in Concilio Laodiceno can. 2. ſub tempore Concilij Nicœni Primi celebratis id ipſum habet Sanctus Baſilius in Epiſt. Canonicis, quæ habentur in nomocanone Photij canone 73. Sanctum Gregorium Magnum conceſſiſſe indulgentias viſitantibus, ſtationes Vrbis Romæ, non negant ipſi reformati: vetuſtati itaque, ſe etiam exacte conformat in prædicto ſuo decreto, Tridentina ſynodus; vti facit in decreto ibidem edito, de delectu ciborum, ieiunijs, & diebus feſtis, Teſte Irenæo epiſt. ad victorem, Clemente Alexandrino in ſuo pędagogo lib. 2. cap. 1. Sancto Cypriano tract. de ieiunio. Concilio Nicœno primo canone 5. Sancto Athanaſio in exhortatione ad Monachos, Sancto Baſilio homil. 1. de ieiunio, Nazianzeno in carmine de ſilentio tempore ieiunij; Sancto Cyrillo Ieroſolymitano Cathecheſi 4. illuminatorum, Sancto Ambroſio ſerm. 23. qui eſt de quadrageſima, Sancto Hieronymo in Epiſt. ad Gal. & epiſt. ad Marcellum. Sancto Ioanne Chriſoſtomo homil. 1. & 2. in Geneſim, Sancto Auguſtino lib. de moribus Eccleſiæ catholicæ cap. 33. & epiſt. 86. ad Caſulanum & alibi de diebus feſtis, patet ſupra, vbi de honore, & inuocatione Sanctorum.

§. V. Addo vltimo cælibatum Sacerdotum, & Religioſorum fuiſſe iam olim in primitiua Eccleſia aſſertum, & obſeruatum, vt affirmant patres illorum temporum, Sanctus Hieronymus lib. contra Vigilantium, Sanctus Ambroſius lib. de viduis, Sanctus Auguſtinus epiſt. 89. quæſt. 4. Chryſoſtomus in cap. 19. Matth. Sanctus Athanaſius in apologia ad Conſtantinum, Conſtantini filium, Sanctus Baſilius in cap. 3. Iſaiæ, Sanctus Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 4. illuminatorum, Sanctus Epiphanius in fine operis contra 80. hæreſes, Sanctus Gregorius Nazianzenus, concilium Nicœnum primum canone 3. Concilium Cartaginenſe ſecundum, tertium, quintum. claudat agmen Sanctus Innocentius Primus epiſt. 1. cap. 9. *nam ſi priſtis Temporibus*, inquit, *de Templo*

plo Dei Sacerdotes anno vicis ſuæ, non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant, quibus vtique propter ſobolis ſucceſſionem vxorius vſus fuerat relaxatus, quanto magis hi Sacerdotes (Eccleſiæ ſcilicet Chriſti) *vel leuitæ pudicitiam, ex die ordinationis ſuæ, ſeruare debent, quibus vel ſacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, qua vel à ſacrificijs diuinis, vel a baptiſmatis officio vacent?* & epiſt. 4. *ſi conuicti fuerint presbyteri . . . in presbyterio filios procreaſſe, à ſacerdotali remoueantur officio, quia qui ſancti non ſunt, Sancta tractare non poſſunt, atqui alieni efficiantur à Miniſterio, quod viuendo illicite polluerunt:* ex quibus omnibus patet Romanam Eccleſiam hodie in rebus fidei, profiteri idipſum ſub Innocentio Vndecimo, quod olim credidit Eccleſia primitiua ſub S. Innocentio Primo. vnde ſit.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Ex hactenus dictis, & proprijs prætenſæ reformationis principijs, reformati ſub damnatione tenentur redire ad Romanam Eccleſiam, & eandem hodie præſtare obedientiam Innocentio Vndecimo, quam præſtitit olim Eccleſia, Sancto Innocentio Primo.

§. I. EX multis capitibus id ego oſtendo, nam quæſtio inter nos catholicos, & reformatos agitata, nempe vbi ſit vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia deciſa eſt, non ſolum ex principijs chriſtianæ religionis, vltro citroque admiſſis, ſed etiam ex ipſis prætenſæ reformationis dogmatibus: hæc autem Eccleſia *vna eſt* (inquit Diuus Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 2.) *quam maiores noſtri, catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt: hæc Eccleſia Corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dicit, pro corpore eius quod eſt Eccleſia, vnde vtique manifeſtum eſt, eum qui non eſt in membris Chriſti, chriſtianam ſalutem habere non poſſe.* hanc Eccleſiam iubet nos Chriſtus audire Matth. 18. *dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus,* cum ergo vna ſit Eccleſia, duæ certe mutuo ſibi oppoſitæ, & repugnantes non poſſunt ſimul eſſe veræ Chriſti Eccleſiæ: vel enim ambæ vnum, idem-

que

que in vno, & eodem ſenſu credunt, vel non? ſi primum, non ſunt duæ Eccleſiæ, ſed vna, ſi ſecundum non ſunt vna, & eadem Eccleſia, nam ex dictis vna, ſancta, catholica, & Apoſtolica Eccleſia, non credit nec credere poteſt, in rebus fidei diuinæ, niſi articulos à Deo reuelatos: quidquid ergo altera Eccleſia oppoſita credit in cauſa religionis, vel eſt à Deo reuelatum, vel non eſt? ſi eſt, vel debet eſſe illud ipſum, quod reuelatum eſt alteri Eccleſiæ, vel diuerſum; ſed diuerſum eſſe non poteſt, quia Deus de potentia ſua abſoluta, non poteſt reuelare articulos contradictorios v.g. dari ſeptem Sacramenta, & non dari, dari realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia & non dari, exiſtere Trinitatis myſterium, & non exiſtere, cum e duabus propoſitionibus contradictorijs altera neceſſario ſit vera, altera neceſſario falſa, adeoque ſi Deus poſſet duas propoſitiones contradictorias reuelare, poſſet reuelare mendacium, quod eſt impoſſibile. Si autem illa Eccleſia credit illud ipſum, quod reuelatum eſt alteri Eccleſiæ, iam iterum non duæ, ſed vna erit Eccleſia, quod ſi non ſit reuelatum à Deo illud, quod in cauſa religionis credit altera Eccleſia, iam fides eius non eſt vera, neque diuina, atque adeo in illa non eſt vera ſalus.

§. II. Nunc ex hoc ipſo capite procedendo, clarum eſt reformatos ex diametro in multis articulis opponi Romanæ Eccleſiæ, adeoque ſicut impoſſibile eſt Deum, vel mentiri, vel contradictoria reuelare, ita impoſſibile eſt, articulos controuerſos reformatorum, & Romanæ Eccleſiæ, eſſe ſimul à Deo reuelatos, & conſequenter non niſi vnius duntaxat partis articulos eſſe dictatos à Deo, & aliunde clarum eſt articulos nuſquam reuelatos, non ſpectare ad fidem diuinam: ſed ſpeciales reformationis articulos, nullo modo eſſe reuelatos, ex ipſius reformationis principijs, prima parte luculenter euici, ſicut ibidem ex dictis principijs probaui, prætentam reformationem carere omni titulo, ſigno, & prærogatiua veræ Eccleſiæ, carere item omni iuriſdictione docendi, omni certitudine religionis, omni legitima verſione ſacri codicis, omni patricinio Iude petito, pro ſuis articulis, remanente eidem reformationi duntaxat ignorantia, & incertitudine, quid credendum, aut quare, & præcipitio gehennæ. Et in hac ſecunda parte, ex eiuſdem reformationis dogmatibus oſtendi, ſolam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, adeoque eius ſolius articulos, eſſe diuinitus reuelatos, & conſequenter, ſub damnationis æternæ pæna credendos, idque rurſus oſtendi ex fide data à prætentæ reformationis coryphæis, ſcilicet ſi oſtenderetur, quod Romana Eccleſia ho-

à ie credat, quod primis quadringentis vel quingentis annis, credidit primitiua Eccleſia, reformatos velle receptui canere, & ad eandem Eccleſiam redire, quod expreſſe præ cæteris, in monitoria ſua præfatione promittit ſereniſſimus Rex Iacobus, inquiens; *prima quatuor concilia, tanquam catholica, & orthodoxa veneror; quidquid quadringentis poſt Chriſtum annis vnanimi conſenſu patres ad æternam ſalutem eſſe neceſſarium ſtatuerunt, aut cum iis, ita eſſe ſentiam, aut modeſto ſaltem ſilentio obmuteſcam, reprehendere certe non audeo: quod ſi Romana Eccleſiæ officina fidei articulos ante quingenteſimum Chriſti annum inauditos, ac inuiſos recenter excudit, non ſum credo damnandus pro hæretico, & poſt, totum igitur hunc locum, Vincentij Lirinenſis authoritate ſic concludam, me nunquam vllum fidei dogma, quod quidem ad ſalutem eſt neceſſarium, recenſaturum, quod tota catholica Eccleſia, iam inde ab Apoſtolorum temporibus ſine intermiſſione, multis poſt ſæculis conſtanter docuerit, & crediderit*: hæc Sereniſſimus Iacobus. id ipſum, vt vidimus ſuperius, promiſerunt alij reformati, quare memores debent eſſe datæ fidei, alioquin proborum & ingeniorum virorum famam ac opinionem, nullo numero habent, ſed ego iam ſatis oſtendi articulos, quos Romana Eccleſia tum in Concilio Tridentino declarauit, tum hodie credendos proponit, eſſe eos ipſos, quos primitiua credidit, & coluit Eccleſia: igitur ex hoc etiam capite, tenentur reformati, ad Romanam Eccleſiam redire, præſertim cum nunquam errauerit vt patet ex dictis.

§. III. Id ipſum oſtendo, ex alio ſimiliter capite à reformatis admiſſo, nam extra veram Eccleſiam nulla eſt vera ſalus, aut fides; ergo omnes qui ſaluari cupiunt, tenentur eſſe in gremio veræ Eccleſiæ: ſubſumo, ſed ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia; ergo omnes qui ſaluari cupiunt, debent eſſe in gremio Romanæ Eccleſiæ, primum Enthymema probatur, ex reformatis confeſſionibus, nam confeſſio Heluetica prior cap. 17. negat *coram Deo eos viuere, qui cum vera Dei Eccleſia non communicant, ſed ab ea ſe ſeparant*. Argentinenſis cap. 15. citans textum Matth. 18. ait qui *Eccleſiam audire nō ſuſtinuerit, ſicut Ethnicus & publicanus habendus eſt*; qui vtique qua tales ſaluari nequeunt. Saxonica de Eccleſia dicit, *non alibi hæredes vitæ æternæ eſſe, quam in cætu vocatorum*. Nempe Eccleſia. Bohemica art. 8. ait *quemque in Eccleſia, vnitatem ſpiritus Chriſti debere tenere, in vinculo pacis, ſectas deuitando, vt ſit membrum Eccleſiæ*. quam vnitatem, ſi non ſeruat, vtique non erit membrum Eccleſiæ; VVittenbergica tit. de Eccleſia, *vult eam eſſe vnam tantum*, non igitur ſunt duæ. Gallica art. 26. *credit neminem debere in partem ſecedere,*

ſed

ſed omnes teneri vnitatem Eccleſiæ ſeruare rationem dat in ſuo cate-
chiſmo, reformatio Gallica dominica 16. *quia nimirum extra Eccle-
ſiam nihil eſt præter damnationem & mortem,* confeſſio Belgica art. 28.
credit *Eccleſiam eſſe ſeruandorum cœtum, & extra eam nullam eſſe ſalu-
tem:* confeſſio Anglica art. 18. pro maledictis habet, *eos qui dicunt,
quod vnuſquiſque poſſet ſaluari in ea lege, vel ſecta, quam profitetur.* Sco-
tica art. 16. inquit, *extra Eccleſiam nec eſt vita, nec æterna fœlicitas,* &
deteſtatur eos, *qui dicunt quemlibet in ſua religione poſſe ſaluari.*

§. IV. Ex præfatis igitur reformatorum principijs, verum eſt ſuperius enthymema, nempe in vera Eccleſia eſſe veram fidem, & ſalutem, extra eam, nullam eſſe veram fidem, aut ſalutem, adeoque qui ſaluari cupit neceſſe eſt, vt viuat in illa eadem Eccleſia: nunc ſic, ſola Romana, eſt vera Chriſti Eccleſia, vtpote ſola vna, Sancta, catholica, & Apoſtolica Chriſti Eccleſia: ergo in ſola Romana Eccleſia, datur vera fides, & ſalus, extra illam enim nulla eſt vera fides vel ſalus: ergo qui vult ſaluari, debet eſſe membrum Romanæ Eccleſiæ. Antecedens manifeſte patet ex reformatorũ principijs ſuperius citatis. Item cõſequentia atq; adeo tenentur reformati, ad Romanã Eccleſiã, redire: vt rurſus oſtendo, quicumq; vult ſaluus eſſe, & damnationem æternã vitare, debet eſſe membrũ veræ Eccleſiæ: atqui ſola Romana, eſt vera Eccleſia, ergo qui vult ſaluus eſſe, & damnationem æternam vitare, debet eſſe membrum Romanæ Eccleſiæ. Maior admittitur tanquam axioma fidei à reformatis, minor dupliciter patet, primo ex ipſorum reformatorum principijs admittentibus ſolam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſecundo ex ipſorum reformatorum principijs fatentibus vltro, prætentam reformationem, nullo modo eſſe veram Chriſti Eccleſiam, tertio ex conſenſu totius chriſtiani orbis ſupra appellantis ad Romanam ſedem, tanquam matrem & magiſtram omnium Eccleſiarum. Rurſus reformati aſſerunt ſe, & alios omnes chriſtianos ſub damnatione æterna, debere obedire Eccleſiæ, eiuſque eſſe membrum, atqui ex dictis, ſola Romana eſt vera Eccleſia, ergo reformati tenentur ei obedire.

§. V. Redeant igitur ad eandem Romanam Eccleſiam, & ad obedientiam Innocentij Vndecimi, qui hodie dum hæc ſcribo, fæliciter regnat, vt verus Chriſti Vicarius, veruſque diui Petri ſucceſſor, regit Eccleſiam, eandemq; cum diuo Petro, fidem profitetur, ac eandem authoritatẽ, & iuriſdictionem habet, exercitam à diui Petri ſucceſſoribus continuo, & ſine interruptione vſq; ad quartũ ſæculum, quo floruit Sanctus Innocentius Primus, ad quem appel-

lauit Alexandrina Eccleſia: Antiochena, in cauſa Alexandri Epiſcopi, Conſtantinopolitana, in cauſa Sancti Ioannis Chryſoſtomi; Ieroſolymitana, in cauſa errorum Origenis; Hiſpanica ex Synodo Toletana, Gallicana Eccleſia in cauſa Victoricij Rothomagenſis, & Exuperij Toloſani; Africana in cauſa Pelagij, ex Concilio Carthaginenſi, cui diuus Auguſtinus interfuit, & ſubſcripſit: *hoc geſtum,* inquit concilium, *Domine frater, Sancta Charitati tuæ, intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur authoritas, ſi Pelagius geſtis, quæ in oriente confecta dicuntur etiam tuæ venerationi iuſte viſus fuerit abſolutus, error tamen & impietas, quæ tam multos aſſertores habet, etiam authoritate Apoſtolicæ ſedis Anathematizanda eſt.* cui Epiſtolæ reſpondens idem Sanctus Innocentius, inter alia inquit, *patrum inſtituta non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed diuina decreuere ſententia, vt quidquid de diſcretis, remotiſq; prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad huius ſedis notitiam perueniret, vbi tota huius authoritate, iuſta quæ fuerit pronunciatio, firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, & velut de natali ſuo fonte, aquæ cunctæ procederent, & per diuerſas totius mundi regiones puri capitis, incorruptæ manerent.* Item eadem Africana Eccleſia, ad præfatum Innocentium, ex Concilio Mileuitano, ſic ſcribit, *hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus imitantes Carthaginenſis prouinciæ, Coepiſcopos noſtros, quos ad ſedem Apoſtolicam, quam Beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Supra inquit idem concilium, *arbitramur adiuuante miſericordia Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum authoritate depromptę facilius eos, qui tam peruerſa, & perniciofa ſentiunt, eſſe ceſſuros, vt de correctione eorum, potius gratulemur, quam contriſtemur interitu.* hoc illi patres de authoritate Sedis Apoſtolicæ, quam cæteri ſucceſſiue pontifices, vt faſti, vt annales, vt monumenta teſtantur, exercuerunt, vſque ad præſentem Innocentium Vndecimum, qui eundem hodie authoritatem ſibi & cæteris ſuis prædeceſſoribus à Chriſto, Ioan. 21. in Petro conceſſam, tam vere, quam legitime exercet. Redite igitur ad eiuſdem pontificis obedientiam, vt de veſtro reditu, de veſtra correctione potius gratulemur, quam contriſtemur interitu, dum in contradictione Core perſiſtitis: agnoſcite vna mecum Apoſtolicæ ſedis per patres primitiuos agnitam authoritatem, cujus iudicio, correctioni & cenſurę hoc opus ac ſeipsũ ſubijcit eius author,

FRATER FRANCISCVS PORTERVS.

FINIS VTRIVSQVE PARTIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Abominationibus obnoxia ſemper reformatio. pag. 60. 63.
Abyronis congregationi reformatio eſt ſimilis. pag. 41. ad 53.
Academiſmus inducitur ex negata Eccleſiæ authoritate. p. 101. 102. 103. & pag. 211. 212. 213.
Adminiſtratio Sacramentorum an recta nota Eccleſiæ. p. 11. ad 14.
Adminiſtratio legitima Sacramentorum requirit Eccleſia infallibilitatem. pag. 241. 274.
Adulti fideles quomodo ſe habent in exercendo actu fidei. pag. 218. 219. 220.
Adulti infideles quomodo ſe habent in concipienda fide. pag. 220.
Affricanæ Eccleſiæ ad Romanam Sedem appellationes. pag. 318.
Alexandrinæ Eccleſiæ ad eandem Romanam ſedem appellationes. pag. 316. 317.
S. Ambroſij de Reali præſentia teſtimonium. pag. 331.
Anarchia per reformationem inducta. pag. 53. & deinceps.
Anglica confeſſio reformata qualis. pag. 141. 142.
Anglicanæ Eccleſiæ ad ſedem Romanam appellatio. pag. 319.
Anglicanæ reformationis de reali præſentia confeſſio. p. 353. 354.
Anglicana reformata verſio bibliorum peſſima. pag. 92.
Antiochenæ Eccleſiæ ad Romanam ſedem appellationes. pag. 317.
Antichriſtianiſmus reformatorum. pag. 71. 72.
Anus quid iuris habent in religione reformata, examinanda. p. 51. 52.
Apologia reformatorum pro authoritate patrum primitiuæ Eccleſiæ pag. 320. ad 324.
Apoſtolica non poteſt eſſe Eccleſia niſi ſit infallibilis. p. 283. ad 288
Apoſtoli quomodo ſuam prædicationem auſpicati. pag. 2.
Appellatio quid. pag. 315.
Appellationis vſum, & modum approbant reformati. ibidem.
Appellatio denotat ſuperioritatem Iudicis ad quem. ibidem.
Appellationis remedium & recurſum ad Romanam Sedem declarat Concilium Sardicenſe. p. 315. 316.
Appellationes Eccleſiarum totius orbis Chriſtiani ad Romanum pontificem. pag. 316 ad 320.
Argentinenſis confeſſionis ſententia de reali præſentia. pag. 340. 341.
Arrogantia docendi in reformatis quanta. pag. 68. ad 73.
Articuli neceſſarij quis & quot neſciunt reformati. p. 129. & deinceps

Artic.

Articuli controuerſi & ſpeciales reformationis nullo modo in ſcriptura inueniuntur a pag. 141. ad 154.
Articulum eſſe neceſſarium ad credendum quomodo intelligitur. pag. 129.
Articuli neceſſarij quomodo contineri debent in ſcriptura ſecundũ reformatos. pag. 130. 131. 132. 133. 134. 135.
Articulos neceſſarios numerari, vel determinari non poſſe tenent reformati. pag. 159. 160.
Atheiſmo ſternitur via ſublata Eccleſiæ docentis infallibilitate. p. 256. 257. 258.
Auguſtana confeſſio qualis. pag 146. 147. 148. eius ſententia de infallibilitate Eccleſiæ. pag. 240. 245.
Item de reali præſentia. p. 388. 389.
S. Auguſtini ſententia de libero arbitrio. pag. 359. 360.
S. Auguſtini teſtimonia de Articulis Romanæ Eccleſiæ per ſectionem 2. diſt. 4. 2. partis paſſim.
Authoritas Eccleſiæ in docendo quid. pag. 194. 195.
Authoritas quotuplex p. 197. 198. quomodo concilietur pag. 195. 198. 200.
Authoritatem Eccleſiæ docentis affirmant reformati. pag. 32. 33. eandem Eccleſiæ docentis authoritatem negant reformati p. 37. 38. 39. 42. 43. inde vſque ad pag. 57. paſſim.
Authoritate in rebus fidei carent reformati. pag. 37. ad 58.
Authoritatem Eccleſiæ docentis rurſus ex ſuis principijs reformati admittunt. pag. 201. 202.
Authoritatis neceſſitas pag. 208. ad 213. & pag. 200. 201.
Authoritas fallibilis coniuncta cum ſcriptura infallibili non ſaluat ab impoſturis reformatos p. 112. & deinceps.
Authoritas Eccleſiæ ad credendum inducens quomodo præaccipienda 302. in quibus reſideat hæc Eccleſiæ docentis authoritas pag. 288. & deinceps, quibus limitibus contineatur, & ad quid ſe extendat. p. 295. ad 293.

B

Baal Prophetis ſimiles miniſtri reformati. p. 64. ad 68.
S. Baſilij de reali præſentia teſtimonium. pag. 330.
Baſileenſis confeſsionis ſententia de reali præſentia. pag. 343.
Belgica confeſsio qualis pag. 145. eius ſententia de reali præſentia p. 351. 352.
Biblia vulgaria reformatorum qualia. pag. 89. ad 96.
Bibliorum cortici non inhærendum ſed ſenſui aiunt, negantque reformati. pag. 198. 199.
Bibliſticum Scrutinium vide ſcripturæ ſcrutinium priuatum.
Bibliorum verſiones vide verſiones.
Blaſphemia ex reformationis principijs tolerata. pag. 69. ad 100.
Bohemica confeſsio realem præſentiam fatetur. pag. 343. 344.
Bona Eccleſiaſtica miniſtri male poſsi-

poſſident ſecundum ipſam reformationem p. 110, 112. 225. 226. 227. 228.

C

CAlcedonenſe Concilium agnoſcit primatum Romanæ Eccleſiæ. pag. 316.
Caluini confeſsio de reali præſentia p. 348. 349.
Caluiniſtarum de eadem præſentia confeſsio a pag. 350. & deinceps ad finem articuli.
Caluiniſtæ per ſuam euaſionem de manducatione Euchariſtiæ per ſolam fidem incidunt in maiores difficultates. p. 345. ad 350.
Carthaginenſe Concilium ad Sanctum Innocentium Primum. pag. 372.
Catechiſta quam authoritatem habet. pag. 232. 233.
Catechiſta quomodo gerere ſe debet circa pueros fideles interrogantes de fide. pag. 219.
Catholici & reformati, in quibus conueniunt diſcrepantque p. 198. 199.
Catholiciſmus quid, & quomodo probet infallibilitatem Eccleſiæ. p. 283. & deinceps.
Cælibatus Eccleſiaſticus pag. 367. 368.
Certitudo quod & quotuplex p. 116 & p. 226. ad 231.
Certitudo neceſſaria ad fidem quid requirat p. 222. 229. 230.
Certitudo fidei in quo conſiſtat pag. 230. 332.
Certitudo credendi vnde acquiratur a credituro. p. 262.
Certitudo non coincidit cum euidentia. p. 221. 222.
Character licet videatur, ſenſus non videtur. p. 206. 207. 208.
Charentonenſis reformatæ ſynodi de reali præſentia confeſsio pag. 345.
Chriſtus quomodo obligationem credendi induxit vel authoritatem conciliauit p. 6. & 195.
Collatio textuum ſubeſt erroribus niſi detur infallibilitas Eccleſiæ p. 297.
Concilia generalia authoritate Romani Pontificis ſemper congregata p. 316.
Conciliorum generalium conuocatio an vel qualiter ſpectet ad Imperatores. ibid.
Concilium Sardicenſe de iure appellationis ad Pontificem Romanum. p. 315. & 316.
Concupiſcentiæ triplicis triplex pœna, & triplex remedium. pag. 312. 313.
Concupiſcentiæ triplicis nullum remedium apud reformatos ſed potius habenarum laxatio p. 313.
Confeſsiones reformatæ quales pag. 140. ad 154.
Confeſsiones reformatæ viſibilitatē Eccleſiæ aſſerunt & negant pag. 6. ad 27.
Confeſsiones reformatæ authoritatem Eccleſiæ innuunt & abnuunt a pag. 31. ad 41. eandem authoritatem adſtruunt paſsim a p. 193. ad 225.
Confeſsiones reformatæ non pertinent ad Chriſtianam Religionem a pag.

a pag. 140. ad 154.
Congregatio nulla in rebus fidei audienda ſine certis ſignis veræ Eccleſiæ. pag. 4. 5. 6. 7.
Conſiſtoria, congregationes, & Concilia reformatorum mendacijs ob noxia. pag. 65. 66. 67.
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ad Romanam ſedem appellationes. p. 317. 318.
Controuerſiæ eo fine mouentur à reformatis, vt nunquam terminentur p. 39. 40. 43. 44. 101. 102. 103. 304. 105. 106. 107.
Conuicia reformatorum in Vicariũ Chriſti in caput ipſorum redundant. pag. 68. ad 73.
Credere rite nemo poteſt niſi pro modulo ſuo ſenſum rei credendæ percipiat p. 158. 209. 210. 252. 253. 256. & p. 268. ad 275.
Credendi regula vide regulam credendi.
Credo quod credit Eccleſia, ſecure poſſunt dicere Catholici. pag. 301.

D

Deus quo ſenſu loquitur nobis [illegible]palam. p. 300. 301.
[illegible]ti cur credatur non eſt [illegible]m. p. 302.
[illegible] obſeruandus, dubitat [illegible]atio. p. 158.
[illegible]gi, & aliorum præceptorum [illegible]itima intellige[illegible]quirit in [illegible]allibilitatem [illegible]ag. 212. 215.
[illegible]iabolus p[illegible]formationis. p. 19. 20.
Diab[illegible] magiſter reformationis dubitant reformati p. 78. ad 83.
Doctrina reuelata quæ, & quomodo intelligenda eſt & fuit ſemper quæſtio agitata inter chriſtianos. p. 251. ad 254. & 198. 199.
Doctrina non poteſt dici ſana ſi inficitur errore. p. 322.
Dogmata neceſſaria, quæ & qualiter debeant in ſcriptura legi ſecundum reformatos. p. 153.
Dogmata neceſſaria non poſſe determinari dicunt reformati. pag. 129. ad 140.
Dogmata propria reformationis nullo modo in biblijs contenta. pag. 241. ad 154.
Dogmata propria reformationis, nõ pertinere ad Chriſtianam Religionem, fatentur principia reformationis. p. 141. ad 161.

E

Eccleſia certis notis deſignanda pag. 5.
Eccleſiam eſſe inuiſibilem quomodo debeant intelligere reformati. p. 6. 7.
Eccleſia latente nemo damnari vel ſaluari poſſet. pag. 288.
Eccleſia vera apud reformatos irreperibilis. p. 7. ad 15.
Eccleſia inuiſibilis ſecundum reformatos a p. 9. 8. ad 17 & p. 24. 25.
Eccleſiam in papatu, & papatum non fuiſſe Eccleſiam, quam ridicule ſomnient reformati p. 24. 25
Eccleſiæ infallibilitas per reformatos negant præcipierat reformationem. p. 58. ad 76.
Eccleſia quo ſenſu viſibilis p. 177. 190.

Eccleſiæ perpetuam viſibilitatem reformati ſecum pugnantes admittunt. p.172. ad 189.
Eccleſiæ viſibilitas quomodo intelligatur & quibus capitibus probetur. p.180.ad 184.
Eccleſiæ viſibilitatem probant etiã notæ à reformatis aſſignatæ p.189
Eccleſiam conſtari, ex malis & bonis fatentur etiam reformati. a p.184.ad 189.
Eccleſia inuiſibilis chimerica, & nulla. p.187.
Eccleſiæ inuiſibilis abſurditates. p. 189.
Eccleſia viſibilis quomodo obiectũ fidei. a p 189.ad 225.
Eccleſia quomodo ſeipſam oſtendat. p. 191. 192.
Eccleſia hodie exiſtens quomodo creditur per immediatam reuelatiotem. ibid.
Eccleſia nec rite nec valide poſſet damnare hæreſes niſi eſſet infallibilis. p.265.266.
Eccleſia vera ita eſt vna, vt duæ veræ ſibi contrariæ dari non poſſint. p.275.ad 280.
Eccleſia in docendo nunquam contraria verbo dei. p.235.
Eccleſia vera, vt inueniatur. non eſt opus recurrere ad miracula ſed ſufficit recurrere ad notas. pag 301.
Eccleſiæ primitiuæ doctrinam fuiſſe orthodoxam, fatentur reformationis principia p.321.ad 324.
Eccleſiam cur audiuit interrogatus aliquis, quomodo reſpondere poteſt. p.302.303.
Eccleſia nec catholica, nec apoſtolica eſſe poteſt niſi ſit infallibilis p. 283. ad 288.
In Eccleſia vera tantummodo datur ſalus etiam ſecundum reformatos. p. 286.
Eccleſia quot modis ſumi poteſt. p. 299. 196.
Eccleſia ſi erraret non poſſet ſaluari genus humanum, nec etiam legitime damnari. p. 286.287.
Eccleſia errante nulla eſſet vera religio, ſectæ omnes eſſent licitæ. ibid
Eccleſiam quomodo inuenire quis poſſit. p.299.ad 301.
Eccleſia loquitur Dei nomine p. 300.
Eccleſiæ & Dei loquela eſt vna & eadem. p.301.
Eccleſia Romana vide Romanam Eccleſiam.
Error in fide qualis. p. 235.
Error qui non eſt in ſcriptura, vel rebus, quomodo poſſit eſſe in intellectu. p 113.
Error vt poſſit vitari, quid requiratur. p 115.
Eucharistia vide realem præſentiam
Examen particulare omnium dogmatum reddit notitiam ſalutis impoſſibilem, a p.100 ad 103.item p.209.ad 213.
Expoſitio vera doctrinæ credendæ requirit infallibilitatem. Eccleſiæ. pag.252. 253.
Expoſitionum diuerſitas, ſectas diuerſas generat. p.254.255.

F

Fides diuina quot modis reſpicere poteſt obiectum. p.190,

Fidei diuinæ proprietates probant infallibilitem Eccleſiæ pag. 260. 261, 262.
Fides quomodo tendit in obiectum ſenſibile coniunctum cum prædicato obſcuro pag. 189.
Fidei aſſenſus quid requirat. p. 253.
Fidei libertas quomodo ſtat cũ ſenſibili propoſitione obiecti credendi. p. 222. ad 225.
Fidei reſolutio quomodo fiat. pag. 301. ad 304.
Fidei ſolius iuſtificantis, quam præceps dogma. pag. 167. 168. 169. 170. 171.
Fides ſola ad iuſtificationem non ſufficit. p. 360. 361.
Fides Caluiniſtica de manducatione Euchariſtiæ non ſaluat a difficultatibus Caluiniſtas p. 345 ad 350
Fideles an ſciant ſe credere Deo, quomodo probare poſſunt p. 302.
Fides quomodo concipitur. p. 300.
Fidei vnitas vide vnitatem fidei.
Firmitas aſſenſus quæ & quomodo acquiritur p 228. ad 231. item p. 260. ad 263.
Formido quotuplex. p. 226.
Friderici comitis palatini de reali præſentia confeſſio. p. 344.

G

Gallica confeſſio qualis. pag. 143. 144.
Gallicæ confeſſionis ſententia de reali preſentia. p. 150. 151.
Gallicarum Eccleſiarum ad Romanum Pontificem appellationes. p. 318. 319.
Græcę Eccleſię de reali preſentia confeſſio a pag. 334. ad 337.
Grecus textus non iuuat reformatos. p. 9.
S. *Gregorij Nyſſeni teſtimonium de reali preſentia.* p. 330. 331.

H

Hæreſis quid. pag. 324.
Hereſes quomodo per reformationis prinsipia alantur & foueantur. p. 96. ad 100.
Hereſes nec conuinci nec damnari rite poſſunt ſine Eccleſię infallibilitate. p. 263. ad 268.
Heretici credentes myſterium propter reuelationem, cur non habent fidem diuinam. p. 229.
Heluetica prior, & poſterior confeſſio qualis. p. 151. 152.
Heluetice vtriuſque confeſſionis ſententia de reali præſentia. p. 341 342.
Hiberniarum Eccleſiarum appellationes ad Romanum pontificem. pag 319.
S. *Hieronymi de reali præſentia teſtimonium.* pag. 331.
S. *Hilarij de eadem reali præſentia confeſſio.* p 330.
Hiſpaniarum appellationes ad Romanum Pontificem. p. 318.
Humana natura quomodo inſtruenda in fide. p. 299. 300. 301.

I

Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ad Romanum Pontificem appellationes. p. 318.
Iacobi Regis de primitiuis temporibus ſententia. p. 370.
Indulgentia quid. p. 366 367.
Infallibilitas quid. p. 231.
Infallibilitas quot modis ſe habet p. 234.

Infal-

Infallibilitas Eccleſiæ ad quid eſt neceſſaria. p. 238.
Infallibilitas Eccleſiæ probatur etiã ex confeſſionibus reformatis pag. 237. ad 251.
Infallibilis niſi eſſet Eccleſia audienda non eſſet. p. 261.
S. Innocentij Primi temporibus viguiſſe veram fidem in Eccleſia Romana, non diffitentur reformati. p. 320. 321.
S. Ioannis Chriſoſtomi de reali præſentia teſtimonium. p. 331.
Italiarum Eccleſiarum ad Romanũ Pontificem appellationes. p. 318.
Iudaorum modernorum ſecta non eſt vera Religio. p. 305.
Iudicium prauium quomodo producatur. p. 216.
Iudicium prauium ad quid reuocetur. p. 302.
Iuriſdictione docendi carent reformati. p. 35. ad 45.
Iuriſdictionem docendi eſſe in Eccleſia fatentur reformati. pag. 193. ad 203.
Iuſtificatio quomodo fiat, & quid requirat. p. 360. 361.
Iuſtiniani Imperatoris nouella explicatur. p. 316.

L

Legem diuinam reformati non obſeruant. p. 166. 167. 168.
Leges politicæ ſecundum ipſos reformatos nequeunt quemquam ad reformationem obligare. p. 160. ad 165.
Liberum arbitrium. p. 359. 360.
Lites Chriſtianorum in cauſa fidei quo redimendæ. p. 2.
Lutherus quis & quem magiſtrum in reformatione habuit. pag. 18. ad 21.
Lutheri de reali præſentia confeſſio p. 333.
Lutherani quales. p. 21.

M

Manducatio per fidem vide fidem Caluiniſticam.
Miniſtri reformati omni iuriſdictione in rebus fidei carent. p. 40. 46 47. 51. 52. 56. 57.
Miniſtri reformati quales. p. 108. ad 112. & a p. 123. ad 128.
Miniſtri reformati iuxta ipſius reformationis principia e rebuspublicis eijciendi. ibid.
Miniſtris reformatis in rebus fidei non magis credendum quam Satanæ. p. 112. ad 119.
Miniſtris reformatis in inquirenda veritatem non fidendam. a pag. 119. ad 123.
Miniſtri reformati cauendi tanquam animarum ſeductores. a pag. 123. ad 128.
Moyſes quomodo voluit ſuam miſſionem probari. p. 5.
Myſteriorum fidei obſcuritas vnde oritur. p. 203. ad 208.
Mulierculæ quantam iuriſdictionẽ habent in cauſa reformationis. p. 48. ad 53.

N

Notæ Eccleſiæ ſcilicet vna, ſancta, catholica, & apoſtolica probant eius infallibilitatem. p. 236. ad 251.
Notæ à reformatis aſſignatæ probant infallibilitatem. ibidem

ac Eccleſiæ viſibilitatem p.189.
Notis diſtinctiuis vera Eccleſia reformatio caret. p.7. ad 23.

O

OBſtinatio quid, & vnde proueniat vide in prolegomenis, & p. 19.
Oecumenica prima concilia non fauent reformationi. p.157.
Opera bona ex reformatione proſcripta. p. 169.170.312.313.
Opera bona ad ſalutem neceſſaria. p. 360. 361.
Opinio reformatorum de ſua religione qualis. p.117.118.
Opinantur tantummodo reformati in ſua reformatione. p.116.117. 118.
Oratio Dominica an recitanda dubitat reformatio. pag.158.
Originalia ſcripturarum nunquam viſa à reformatis. p.93.94.95.
Ouium iudicium quovſque ſe extendat. p.298.

P

PAlinodia reformationis. p. 27. ad 29.
Paſtores Eccleſiæ habent authoritatem docendi. p.290. 291.
Paſtoribus Eccleſiæ derogant reformati in ſuam perniciem p.108. ad 112.& 128.
Patres non fauent articulis reformatis. p.157.
Patrum authoritas intacta. p. 322. 323.
Patrum primitiuę Eccleſię doctrinam fuiſſe orthodoxam fatentur principia reformationis. a pag. 321. ad 324.
Philoſophi errarum & cur. p. 207.
Polonica reformatio quid ſentiat de Eccleſię infallibilitate & reali preſentia. p.264.& 340.
Primatus Eccleſię Romanæ. p.315. ad 302.& 372.
Propoſitio ſenſibilis rei credendæ, quomodo ſtat cum eius obſcuritate. p. 222 ad 225.
Propoſitio fidei ſeu myſterij reuelati qualis. p.224.
Proceſſus in infinitum inducitur negata Eccleſię infallibilitate. pag. 212.
Propoſitio Eccleſię docentis qualis. p. 215.
Proponens res fidei quotuplex. pag. 232. 233.
Proteſtantes & puritani quales ſecundum refoematos. p.127.128.
Puritas doctrinę vel prædicationis an recta nota Eccleſiæ. pag.11. ad 15.
Purgatorium. p.365. 366.

Q

QVæſtio gemina inter Chriſtianos ventilari ſolita. p. 251. ad 254. 198 199.

R

RAtio naturalis quomodo intelligatur neceſſaria ad credendum. p.214.
Ratio naturalis nude ſumpta in rebus fidei incidit in periculum Atheiſmi. p.256.
Ratio naturalis ſecluſa regula fidei dirigente incidit in diſcrimen libertiniſmi & carentiæ omnis religionis. p. 257. 258.
Ratio naturalis nude ſumpta nequit per-

percipere res fidei . pag. 203. ad 208.
Ratio naturalis potius neganda quã recedendum à fide . p. 261.
Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia à primitiua Eccleſiæ patribus agnita . p. 329. ad 334.
Realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia fatentur plerique reformati . p. 337. ad 354.
Realem præſentiam fatetur Eccleſia Græca . p. 334. ad 337.
Reformatio quomodo ſemper ſynagoga Satanæ . p. 22. ad 27.
Reformatio non eſt vera Eccleſia . p. 27. ad 29.
Reformationis moles nullitate authoritatis ſubnixa p. 33. ad 35.
Reformationis proceſſus quid requirat . p. 38. ad 41.
Reformatio cui ſimilis. p. 41. ad 53.
Reformatio eſt fanaticorum deliriũ & hiſtrionica ſcena. p. 53. ad 57.
Reformationis authores quales . p. 18. ad 22.
Reformationis dogmata nullo modo eſſe neceſſaria ad ſalutem fatentur reformati . p. 152. 153.
Reformationis nihil credendum fatentur principia reformatorum . p. 154. ad 160.
Reformandi authoritate carent reformati . p. 35. ad 41.
Reformati non digniores fide in negotio Religionis , quam moderni Rabini . p. 64. ad 68.
Reformati tenentur indagare veritatem , & in illa indagine non fidere ſuis miniſtris . p. 119. & deinceps.
Reformatus populus debet cauere à ſuis miniſtris. p. 123. & deinceps.
Reformati valedicunt Chriſto, Chriſtique Euangelio. p. 165. ad 171.
Reformati tenent ſe peccando non peccare . p. 168.
Reformati ſecundum propria ſua principia neminem ad ſuam reformationem obligare poſſunt . p. 160. ad 171.
Reformati Antichriſtianam crudelitatem exercent . p. 72.
Reformatorum cœtus excluditur à ratione veræ Eccleſiæ . p. 305. 306. 307.
Reformati in multis capitibus conueniunt , cum prædamnatis hæreticis . p. 308. ad 311.
Reformati ex proprijs principijs ſunt impoſtores . p. 58. ad 73. & deinceps per totam diſt. 3. & 4. primæ partis .
Regenitum eſſe quid ſecundum reformatos. p. 155. 156.
Regeniti an ſint reformati ibidem.
Regula credendi , quid & quotuplex p. 196. 197. eius conditiones 197.
Regula credendi quomodo ſe habeat ad credibilia. p. 213.
Regula credendi mediante , quomodo concipiatur fides . pag. 214. ad 218.
Regula credendi quomodo applicetur in praxi . p. 218. ad 222.
Regulæ credendi ſenſibilis exiſtentia vel locutio quomodo ſtat cum obſcuritate miſterij p. 198. & deinceps item p. 222. & deinceps .
Regula credendi quomodo infallibilis . p. 231. 232.
Re-

Regula credendi vnitatem in credentibus fouet. p. 277. ad 279.
Regulæ credendi parendum. p. 279.
Regulæ credendi obedientes exempti ab indagine religionum. p. 293. 294.
Regula credendi in quibus reſideat. p. 289. & deinceps.
Regula credendi quam neceſſaria, & expediens ad ſalutem humani generis p. 203. & deinceps. & p. 292. ad 298.
Religionis Chriſtianæ neceſſitas ad ſalutem probat infallibilitatem Eccleſiæ. p. 285.
Romana Eccleſia præ omnibus eſt vna. p. 311.
Romana Eccleſia eſt ſancta. p. 312. 313.
Romana eſt vera Chriſti Eccleſia, ex ipſius reformationis principijs p. 313. 314.
Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam quomodo de fide. p. 314.
Romanæ Eccleſiæ primatum agnouit primitiua Eccleſia. p. 315. ad 320.
Romanæ Eccleſiæ fides eadem hodie, quæ primitiuæ. p. 320. ad finem operis.
Romanæ Eccleſiæ fides de reali præſentia, eadem quæ primitiuæ a p. 329. & deinceps in *Romana Eccleſia tantummodo vera ſalus.* p. 370. 371.
Romanam ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam probant quatuor vulgares notæ à reformatis admiſſæ. p. 311. ad 315.
Romanæ Eccleſię definitiones nunquam inuenta contraria verbo Dei. p. 296.
Rudes & imperiti per reformationis principia à ſalute excluſi. p. 84. & deinceps.

S

Sacramentorum adminiſtratio, an nota diſtinctiua Eccleſiæ. pag. 12. 13.
Sacramentorum legitima adminiſtratio probat infallibilitatem Eccleſiæ. p. 241.
Sacramentorum ſeptenarius numerus. p. 361. 362. & deinceps.
Sacrificium miſſę. p. 364. 365.
Sanctorum inuocatio & honor. p. 366.
Sanctitas doctrinę compatitur cum prauis moribus. p. 280.
Sancti an ſoli membra Eccleſiæ. a p. 11. ad 17.
Saxonicæ confeſſionis ſententia de reali præſentia. p. 342.
Scotica confeſſio qualis; eius ſententia de reali præſentia. p. 241. 352.
Scotiæ appellationes ad Romanam Eccleſiam. p. 319.
Scripturæ intelligentia quæ media requirat ſecundum reformatos. p. 114. 115.
In ſcripturæ intelligentia errant reformati. p. 116. 117. 118.
Scriptura à diabolo citata ad probandas ſuas impoſturas. p. 118. 119.
Scripturam pro ſuis erroribus allegabant hæretici omnes. pag. 96. 97. 99.
Scriptura euidens electis & regenitis

nitis ſecundum reformatos ridicule. p.155.
Scriptura ſi ſola credendi regula, nullus ſaluari poſſet. p. 84. & deinceps.
Scriptura quot modis conſiderari poteſt. p.303.
Scriptura poteſt conſiderari vt fide diuina creditur, ac fide humana conſulitur. ibid.
Scriptura humana fide cõſulta eſt medium impugnandi hereticos, & Iudæos, ac probandi Ecclſiam. ibid.
Scripturę Canon legitimus ab Ecclesia petendus. p.284.
Scrutinij priuati libertas quomodo notitiam ſalutis reddat impoſſibilem. p.84 ad 89.
Scrutinium ſcripturæ à reformatis allegatum relinquit incertum a quo ſit reformatio. p.77. ad 83.
Senſus ſcripturæ eſt ſubiectum controuerſię. p. 251. ad 259.
Senſus verborum ſcripturæ multiplex. p. 255.
Senſus verborũ alius ex inſtituto hominũ, alius ex mente diuina. ibid
Senſus ab authore intentus quomodo ab Eccleſia probetur, vel improbetur. p.296. ad 298
Senſus ab authore intentus quot modis intelligitur. ibid.
Statiſmus non eſt credendi regula. p.161. ad 165.
Statiſmus ſi eſſet credendi regula, omnis infidelitas eſſet licita ibid.
Symbolum Apoſtolicũ quo ſenſu credendũ neſciunt reformati. p.158
Symbolũ Apoſtolicũ vt rite intelligatur, & credatur requirit infallibilitatem Eccl. p.268. ad 271.
Symbolum fidei eſſe verum, & eſſe reuelatum quomodo credimus & Deo & Eccleſię. p 202.

T

Textus ſacer diſtinguitur realiter à ſua expoſitione. p.251.
Textus ſacri varię expoſitiones. ibidem.
Textus nudus non eſt medium adæquatum ad probandum fatente Caluino. p.323.
Textus Græcus vel hebraicus nihil iuuat reformatos. p.95.

V

Vbiquitas refutatur. p.328.
Verſiones vulgares reformatorum quales. p.89. ad 96.
Vnitas fidei quid, quotuplex, & quomodo probet infallibilitatem Eccleſiæ. p. 275. ad 280.
Vnitas fidei ſine dicta infallibilitate conſeruari non poteſt. ibid.
Vnitas fidei à SS. Irenæo & Cypriano explicata. p. 276. 278.
Vocatio generis humani ad ſalutem probat infallibilitatem Eccleſiæ. p. 208 & deinceps.
Vota Deo facta infringendi licentiã indulgent reformati. p. 313.
VVittembergica confeſſio qualis. p.149. 150.
VVittembergicæ confeſsionis ſentẽtia de infallibilitate Eccleſię, & reali pręſentia. p.236. 237. 238. 539. 540.

Prælum correxit. Fr. Bonauentura Mathæius Theologus Ordinis Minorum Prouinciæ Hiberniæ.

F I N I S.

lauit Alexandrina Eccleſia: Antiochena, in cauſa Alexandri Epiſcopi, Conſtantinopolitana, in cauſa Sancti Ioannis Chryſoſtomi, Ieroſolymitana, in cauſa errorum Origenis; Hiſpanica ex Synodo Toletana, Gallicana Eccleſia in cauſa Victoricij Rothomagenſis, & Exuperij Toloſani; Africana in cauſa Pelagij, ex Concilio Carthaginenſi, cui diuus Auguſtinus interfuit, & ſubſcripſit: *hoc geſtum*, inquit concilium, *Domine frater, Sanctæ Charitati tuæ, intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur authoritas, ſi Pelagius geſtis, quæ in oriente confecta dicuntur etiam tuæ venerationi iuſte viſus fuerit abſolutus, error tamen & impietas, quæ tam multos aſſertores habet, etiam authoritate Apoſtolicæ ſedis Anathematizanda eſt.* cui Epiſtolæ reſpondens idem Sanctus Innocentius, inter alia inquit, *patrum inſtituta non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed diuina decreuere ſententia, vt quidquid de diſcretis, remotiſq; prouincijs ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad huius ſedis notitiam perueniret, vbi tota huius authoritate, iuſta qua fuerit pronunciatio, firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, & velut de natali ſuo fonte, aquæ cunctæ procederent, & per diuerſas totius mundi regiones puri capitis, incorruptæ manerent.* Item eadem Africana Eccleſia, ad præfatum Innocentium, ex Concilio Mileuitano, ſic ſcribit, *hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus imitantes Carthaginenſis prouinciæ, Coepiſcopos noſtros, quos ad ſedem Apoſtolicam, quam Beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Supra inquit idem concilium, *arbitramur adiuuante miſericordia Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum authoritate deprompte facilius eos, qui tam peruerſa, & perniciosa ſentiunt, eſſe ceſſuros, vt de correctione eorum, potius gratulemur, quam contriſtemur interitu.* hoc illi patres de authoritate Sedis Apoſtolicæ, quam cæteri ſucceſſiue pontifices, vt faſti, vt annales, vt monumenta teſtantur, exercuerunt, vſque ad præſentem Innocentium Vndecimum, qui eandem hodie authoritatem ſibi & cæteris ſuis prædeceſſoribus à Chriſto, Ioan. 21. in Petro conceſſam, tam vere, quam legitime exercet. Redite igitur ad eiuſdem pontificis obedientiam, vt de veſtro reditu, de veſtra correctione potius gratulemur, quam contriſtemur interitu, dum in contradictione Core perſiſtitis: agnoſcite vna mecum Apoſtolicæ ſedis per patres primitiuos agnitam authoritatem, cuius iudicio, correctioni & cenſuræ hoc opus ac ſeipſu ſubijcit eius author,

FRATER FRANCISCVS PORTERVS.

FINIS VTRIVSQVE PARTIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Abominationibus obnoxia ſemper reformatio. pag. 60 63.
Abyronis congregationi reformatio eſt ſimilis. pag. 41. ad 53.
Academiſmus inducitur ex negata Eccleſia authoritate. p. 101. 102. 103. & pag. 211. 212. 213.
Adminiſtratio Sacramentorum an recta nota Eccleſiæ. p. 11. ad 14.
Adminiſtratio legitima Sacramentorum requirit Eccleſia infallibilitatem. pag. 241. 274.
Adulti fideles quomodo ſe habent in exercendo actu fidei. pag. 218. 219. 220.
Adulti infideles quomodo ſe habent in concipienda fide. pag. 220.
Affricanæ Eccleſiæ ad Romanam Sedem appellationes. pag. 318.
Alexandrinæ Eccleſiæ ad eandem Romanam ſedem appellationes. pag. 316. 317.
S. Ambroſij de Reali præſentia teſtimonium. pag. 331.
Anarchia per reformationem inducta. pag. 53. & deinceps.
Anglica confeſſio reformata qualis. pag. 141. 142.
Anglicana Eccleſiæ ad ſedem Romanam appellatio. pag. 319.
Anglicanæ reformationis de reali præſentia confeſſio. p. 353. 354.
Anglicana reformata verſio bibliorum peſſima. pag. 92.
Antiochenæ Eccleſiæ ad Romanam ſedem appellationes. pag. 317.
Antichriſtianiſmus reformatorum. pag. 71. 72.
Anus quid iuris habent in religione reformata, examinanda. p. 51. 52.
Apologia reformatorum pro authoritate patrum primitiuæ Eccleſiæ pag. 320. ad 324.
Apoſtolica non poteſt eſſe Eccleſia niſi ſit infallibilis. p. 283. ad 288
Apoſtoli quomodo ſuam prædicationem auſpicati. pag. 2.
Appellatio quid. pag. 315.
Appellationis vſum, & modum approbant reformati. ibidem.
Appellatio denotat ſuperioritatem Iudicis ad quem. ibidem.
Appellationis remedium & recurſum ad Romanam Sedem declarat Concilium Sordicenſe. p. 315. 316.
Appellationes Eccleſiarum totius orbis Chriſtiani ad Romanum pontificem. pag. 316 ad 320.
Argentinenſis confeſſionis ſententia de reali præſentia. pag. 340. 341.
Arrogantia docendi in reformatis quanta. pag. 68. ad 73.
Articuli neceſſarij quis & quot neſciunt reformati. p. 129. & deinceps

Arti-

Articuli controuerſi & ſpeciales reformationis nullo modo in ſcriptura inueniuntur a pag. 141. ad 154.
Articulum eſſe neceſſarium ad credendum quomodo intelligitur. pag. 129.
Articuli neceſſarij quomodo contineri debent in ſcriptura ſecundũ reformatos. pag. 130. 131. 132. 133. 134. 135.
Articulos neceſſarios numerari, vel determinari non poſſe, tenent reformati. pag. 159. 160.
Atheiſmo ſternitur via ſublata Eccleſiæ docentis infallibilitate. p. 256. 257. 258.
Auguſtana confeſsio qualis. pag. 146. 147. 148. *eius ſententia de infallibilitate Eccleſiæ.* pag. 240. 245. *Item de reali præſentia.* p. 338. 339.
S. Auguſtini ſententia de libero arbitrio. pag. 359. 360.
S. Auguſtini teſtimonia de Articulis Romanæ Eccleſiæ per ſectionem 2. diſt. 4. 2. partis paſſim.
Authoritas Eccleſiæ in docendo quid pag. 194. 195.
Authoritas quotuplex p. 197. 198. *quomodo conciliĕtur* pag. 195. 198. 200.
Authoritatem Eccleſiæ docentis affirmant reformati. pag. 32. 33. *eandem Eccleſiæ docentis authoritatem negant reformati* p. 37. 38. 39. 42. 43. *inde vſque ad* pag. 57. *paſſim.*
Authoritate in rebus fidei carent reformati. pag. 37. ad 58.
Authoritatem Eccleſiæ docentis rurſus ex ſuis principijs reformati admittunt. pag. 201. 202.
Authoritatis neceſsitas pag. 208. ad 213. & pag. 200. 201.
Authoritas fallibilis coniuncta cum ſcriptura infallibili non ſaluat ab impoſturis reformatos p. 112. & deinceps.
Authoritas Eccleſiæ ad credendum inducens quomodo præaccipienda 303. *in quibus reſideat hæc Eccleſiæ docentis authoritas* pag. 288. & deinceps, *quibus limitibus contineatur, & ad quid ſe extendat.* p. 295. ad 293.

B

BAal *Prophetis ſimiles miniſtri reformati.* p. 64. ad 68.
S. Baſilij de reali præſentia teſtimonium. pag. 330.
Baſileenſis confeſsionis ſententia de reali præſentia. pag. 343.
Belgica confeſsio qualis pag. 145. *eius ſententia de reali præſentia* p. 351. 352.
Biblia vulgaria reformatorum qualia. pag. 89. ad 96.
Bibliorum cortici non inhærendum ſed ſenſui aiunt, negantque reformati. pag. 198. 199.
Biblisticum Scrutinium vide ſcripturæ ſcrutinium priuatum.
Bibliorum verſiones vide verſiones.
Blaſphemia ex reformationis principijs tolerata. pag. 69. ad 100.
Bohemica confeſsio realem præſentiam fatetur. pag. 343. 344.
Bona Eccleſiaſtica miniſtri male

poſsi-

paſsident ſecundum ipſam reformationem p. 110.112.225.226.
227.228.

C

CAlcedonenſe Concilium agnoſcit primatum Romanæ Eccleſiæ. pag. 316.
Caluini confeſsio de reali præſentia p. 348. 349.
Caluiniſtarum de eadem præſentia confeſsio a pag. 350. & deinceps ad finem articuli.
Caluiniſtæ per ſuam euaſionem de manducatione Euchariſtiæ per ſolam fidem incidunt in maiores difficultates. p. 345. ad 350.
Carthaginenſe Concilium ad Sanctum Innocentium Primum. pag. 372.
Catechiſta quam authoritatem habet. pag. 232. 233.
Catechiſta quomodo gerere ſe debet circa pueros fideles interrogantes de fide. pag. 219.
Catholici & reformati, in quibus conueniunt diſcrepantque p. 198. 199.
Catholiciſmus quid, & quomodo probet infallibilitatem Eccleſiæ. p. 283. & deinceps.
Cælibatus Eccleſiaſticus pag. 367. 368.
Certitudo quod & quotuplex p. 216 & p. 226. ad 231.
Certitudo neceſſaria ad fidem quid requirat p. 222. 229. 230.
Certitudo fidei in quo conſiſtat pag. 230. 332.
Certitudo credendi vnde acquiratur à creditur. p. 261.
Certitudo non coincidit cum euidentia. p. 221. 222.
Character licet videatur, ſenſus non videtur. p. 206. 207. 208.
Charentonenſis reformata ſynodi de reali præſentia confeſsio pag. 345.
Chriſtus quomodo obligationem credendi induxit vel authoritatem conciliauit p. 6. & 195.
Collatio textuum ſubeſt erroribus niſi detur infallibilitas Eccleſiæ p. 297.
Concilia generalia authoritate Romani Pontificis ſemper congregata p. 316.
Conciliorum generalium conuocatio an vel qualiter ſpectet ad Imperatores. ibid.
Concilium Sardicenſe de iure appellationis ad Pontificem Romanum. p. 315. & 316.
Concupiſcentiæ triplicis triplex pœna, & triplex remedium. pag. 312. 313.
Concupiſcentiæ triplicis nullum remedium apud reformatos ſed potius habenarum laxatio p. 313.
Confeſsiones reformatæ quales pag. 140. ad 154.
Confeſsiones reformatæ viſibilitatē Eccleſiæ aſſerunt & negant pag. 6. ad 27.
Confeſsiones reformatæ authoritatem Eccleſiæ innuunt & abnuunt a pag. 31. ad 41. eandem authoritatem adſtruunt paſsim a p 193. ad 225.
Confeſsiones reformatæ non pertinent ad Chriſtianam Religionem a pag.

a pag. 140. ad 154.
Congregatio nulla in rebus fidei audienda ſine certis ſignis veræ Eccleſiæ. pag. 4. 5. 6. 7.
Conſiſtoria, congregationes, & Concilia reformatorum mendacijs ob noxia. pag. 65. 66. 67.
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ad Romanam ſedem appellationes. p. 317. 318.
Controuerſiæ eo fine mouentur à reformatis vt nunquam terminentur p. 39. 40. 43. 44. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107.
Conuicia reformatorum in Vicariũ Chriſti in caput ipſorum redundant. pag. 68. ad 73.
Credere rite nemo poteſt niſi pro modulo ſuo ſenſum rei credendæ percipiat p. 158. 209. 210. 252. 253. 256. & p. 268. ad 275.
Credendi regula vide regulam credendi.
Credo quod credit Eccleſia, ſecure poſſunt dicere Catholici. pag. 301.

D

DEus quo ſenſu loquitur nobis palam. p. 300. 301.
Deo reuelanti cur credatur non eſt quærendum. p. 302.
Dealogus an obſeruandus, dubitat reformatio. p. 158.
Decalogi, & aliorum præceptorum legitima intelligentia requirit infallibilitatem Eccleſiæ pag. 212. 215.
Diabolus protomagiſter reformationis. p. 19. 20.
Diabolus an non hodie magiſter reformationis dubitant reformati p. 78. ad 83.
Doctrina reuelata quæ, & quomodo intelligenda eſt & fuit ſemper quæſtio agitata inter chriſtianos p. 251. ad 254. & 198. 199.
Doctrina non poteſt dici ſana ſi inficitur errore. p. 322.
Dogmata neceſſaria, quæ & qualiter debeant in ſcriptura legi ſecundum reformatos. p. 153.
Dogmata neceſſaria non poſſe determinari dicunt reformati. pag. 129. ad 140.
Dogmata propria reformationis nullo modo in biblijs contenta. pag. 241. ad 154.
Dogmata propria reformationis, nõ pertinere ad Chriſtianam Religionem, fatentur principia reformationis. p. 141. ad 161.

E

ECcleſia certis notis deſignanda pag. 5.
Eccleſiam eſſe inuiſibilem quomodo debeant intelligere reformati. p. 6. 7.
Eccleſia latente nemo damnari vel ſaluari poſſet. pag. 288.
Eccleſia vera apud reformatos irreperibilis. p. 7. ad 15.
Eccleſia inuiſibilis ſecundum reformatos a p. 9. 8. ad 17. & p. 24. 25.
Eccleſiam in papatu, & papatum non fuiſſe Eccleſiam, quam ridicule ſomnient reformati. p. 24. 25.
Eccleſiæ infallibilitas per reformatos negant præcipierat reformationem. p. 58. ad 76.
Eccleſia quo ſenſu viſibilis p. 177. 190.
Ec.

Eccleſiæ perpetuam viſibilitatem reformati ſecum pugnantes admittunt. p.172. ad 189.
Eccleſiæ viſibilitas quomodo intelligatur & quibus capitibus probetur. p.180.ad 184.
Eccleſiæ viſibilitatem probant etiã notæ à reformatis aſſignatæ p.189
Eccleſiam conſtari, ex malis & bonis fatentur etiam reformati. a p.184.ad 189.
Eccleſia inuiſibilis chimerica, & nulla. p.187.
Eccleſiæ inuiſibilis abſurditates. p. 189.
Eccleſia viſibilis quomodo obiectũ fidei. a p 189.ad 225.
Eccleſia quomodo ſeipſam oſtendat. p. 191. 192.
Eccleſia hodie exiſtens quomodo creditur per immediatam reuelatiorem. ibid.
Eccleſia nec rite nec valide poſſet damnare hæreſes niſi eſſet infallibilis. p.265.266.
Eccleſia vera ita eſt vna, vt duæ veræ ſibi contrariæ dari non poſſint. p.275.ad 280.
Eccleſia in docendo nunquam contraria verbo dei. p.235.
Eccleſia vera, vt inueniatur: non eſt opus recurrere ad miracula ſed ſufficit recurrere ad notas. pag 301.
Eccleſiæ primitiuæ doctrinam fuiſſe orthodoxam, fatentur reformationis principia p.321.ad 324.
Eccleſiam cur audiuit interrogatus aliquis, quomodo reſpondere poteſt. p.302.303.
Eccleſia nec catholica, nec apoſtolica eſſe poteſt niſi ſit infallibilis p. 283. ad 288.
In Eccleſia vera tantummodo datur ſalus etiam ſecundum reformatos. p. 286.
Eccleſia quot modis ſumi poteſt. p. 299. 196.
Eccleſia ſi erraret non poſſet ſaluari genus humanum, nec etiam legitime damnari. p. 286.287.
Eccleſia errante nulla eſſet vera religio, ſectæ omnes eſſent licitæ. ibid
Eccleſiam quomodo inuenire quis poſſit. p.299.ad 301.
Eccleſia loquitur Dei nomine p. 300.
Eccleſiæ & Dei loquela eſt vna & eadem. p.301.
Eccleſia Romana vide Romanam Eccleſiam.
Error in fide qualis. p. 235.
Error qui non eſt in ſcriptura, vel rebus, quomodo poſſit eſſe in intellectu. p 113.
Error vt poſſit vitari, quid requiratur. p 115.
Eucharistia vide realem præſentiam
Examen particulare omnium dogmatum reddit notitiam ſalutis impoſſibilem, a p.100 ad 103.item p.209.ad 213.
Expoſitio vera doctrinæ credendæ requirit infallibilitatem. Eccleſiæ. pag.252. 253.
Expoſitionum diuerſitas, ſectas diuerſas generat. p.254.255.

F

Fides diuina quot modis reſpicere poteſt obiectum. p.190.

Fidei diuinæ proprietates probant infallibilitem Eccleſiæ pag. 260. 261, 262.
Fides quomodo tendit in obiectum ſenſibile coniunctum cum prædicato obſcuro pag. 189.
Fidei aſſenſus quid requirat. p. 253.
Fidei libertas quomodo ſtat cũ ſenſibili propoſitione obiecti credendi. p. 222. ad 225.
Fidei reſolutio quomodo fiat. pag. 301. ad 304.
Fidei ſolius iuſtificantis, quam præceps dogma. pag. 167. 168. 169. 170. 171.
Fides ſola ad iuſtificationem non ſufficit. p. 360. 361.
Fides Caluiniſtica de manducatione Euchariſtiæ non ſaluat a difficultatibus Caluiniſtas p. 345. ad 350.
Fideles an ſciant ſe credere Deo, quomodo probare poſſunt p. 302.
Fides quomodo concipitur. p. 300.
Fidei vnitas vide vnitatem fidei.
Firmitas aſſenſus quæ & quomodo acquiritur p 228. ad 231. item p. 260. ad 263.
Formido quotuplex. p. 226.
Friderici comitis palatini de reali præſentia confeſſio. p. 344.

G

Gallica confeſſio qualis. pag. 143. 144.
Gallicæ confeſſionis ſententia de reali præſentia. p. 150. 151.
Gallicarum Eccleſiarum ad Romanum Pontificem appellationes. p. 318. 319.
Græcę Eccleſię de reali pręſentia confeſſio a pag. 334. ad 337.
Grȩcus textus non iuuat reformatos. p. 9.
S. Gregorij Nyſſeni teſtimonium de reali pręſentia. p. 330. 331.

H

Hæreſis quid. pag. 324.
Hereſes quomodo per reformationis principia alantur & foueantur. p. 96. ad 100.
Hereſes nec conuinci nec damnari rite poſſunt ſine Eccleſię infallibilitate. p. 263. ad 268.
Heretici credentes myſterium propter reuelationem, cur non habent fidem diuinam. p. 229.
Heluetica prior, & poſterior confeſsio qualis. p. 151. 152.
Heluetice vtriuſque confeſsionis ſententia de reali præſentia. p. 341. 342.
Hiberniarum Eccleſiarum appellationes ad Romanum pontificem. pag. 319.
S. Hieronymi de reali præſentia teſtimonium. pag. 331.
S. Hilarij de eadem reali præſentia confeſsio. p. 330.
Hiſpaniarum appellationes ad Romanum Pontificem. p. 318.
Humana natura quomodo inſtruenda in fide. p. 299. 300. 301.

I

Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ad Romanum Pontificem appellationes. p. 318.
Iacobi Regis de primitiuis temporibus ſententia. p. 370.
Indulgentia quid. p. 366. 367.
Infallibilitas quid. p. 231.
Infallibilitas quot modis ſe habet p. 234.
Infal-

Infallibilitas Eccleſiæ ad quid eſt neceſſaria. p. 238.
Infallibilitas Eccleſiæ probatur etiã ex confeſſionibus reformatis pag. 237. ad 251.
Infallibilis niſi eſſet Eccleſia audienda non eſſet. p. 261.
S. Innocentij Primi temporibus viguiſſe veram fidem in Eccleſia Romana, non diffitentur reformati. p. 320. 321.
S. Ioannis Chriſoſtomi de reali præſentia teſtimonium. p. 331.
Italiarum Eccleſiarum ad Romanũ Pontificem appellationes. p. 318.
Iudæorum modernorum ſecta non eſt vera Religio. p. 305.
Iudicium prauium quomodo producatur. p. 216.
Iudicium prauium ad quid reuocetur. p. 302.
Iuriſdictione docendi carent reformati. p. 35. ad 45.
Iuriſdictionem docendi eſſe in Eccleſia fatentur reformati. pag. 193. ad 203.
Iuſtificatio quomodo fiat, & quid requirat. p. 360. 361.
Iuſtiniani Imperatoris nouella explicatur. p. 316.

L

LEgem diuinam reformati non obſeruant. p. 166. 167. 168.
Leges politicæ ſecundum ipſos reformatos nequeunt quemquam ad reformationem obligare. p. 160. ad 165.
Liberum arbitrium. p. 359. 360.
Lites Chriſtianorum in cauſa fidei quo redimenda. p. 2.
Lutherus quis & quem magiſtrum in reformatione habuit. pag. 18. ad 21.
Lutheri de reali præſentia confeſſio p. 333.
Lutherani quales. p. 21.

M

MAnducatio per fidem vide fidem Caluiniſticam.
Miniſtri reformati omni iuriſdictione in rebus fidei carent. p. 40. 46 47. 51. 52. 56. 57.
Miniſtri reformati quales. p. 108. ad 112. & a p. 123. ad 128.
Miniſtri reformati iuxta ipſius reformationis principia e rebuspublicis eÿciendi. ibid.
Miniſtris reformatis in rebus fidei non magis credendum quam Satanæ. p. 112. ad 119.
Miniſtris reformatis in inquirenda veritatem non fidendum. a pag. 119. ad 123.
Miniſtri reformati cauendi tanquam animarum ſeductores. a pag. 123. ad 128.
Moyſes quomodo voluit ſuam miſſionem probari. p. 5.
Myſteriorum fidei obſcuritas vnde oritur. p. 203. ad 208.
Mulierculæ quantam iuriſdictionẽ habent in cauſa reformationis. p. 48. ad 53.

N

NOtæ Eccleſiæ ſcilicet vna, ſancta, catholica, & apoſtolica probant eius infallibilitatem. p. 236. ad 251.
Notæ à reformatis aſsignatæ probant infallibilitatem. ibidem

ac Eccleſiæ viſibilitatem p.189.
Notis diſtinctiuis vera Eccleſia reformatio caret. p.7. ad 23.

O

OBſtinatio quid, & vnde proueniat vide in prolegomenis, & p. 19.
Oecumenica prima concilia non fauent reformationi. p.157.
Opera bona ex reformatione proſcripta. p. 169.170.312.313.
Opera bona ad ſalutem neceſſaria. p. 360. 361.
Opinio reformatorum de ſua religione qualis. p.117.118.
Opinantur tantummodo reformati in ſua reformatione. p.116.117. 118.
Oratio Dominica an recitanda dubitat reformatio. pag.158.
Originalia ſcripturarum nunquam viſa à reformatis. p.93.94.95.
Ouium iudicium quouſque ſe extendat. p.203.

P

PAlinodia reformationis, p. 27. ad 29.
Paſtores Eccleſiæ habent authoritatem docendi. p.290. 291.
Paſtoribus Eccleſiæ derogant reformati in ſuam perniciem p.108. ad 112.& 128.
Patres non fauent articulis reformatis. p.157.
Patrum authoritas intacta. p. 322. 323.
Patrum primitiuę Eccleſię doctrinam fuiſſe orthodoxam fatentur principia reformationis. a pag. 321. ad 324.
Philoſophi errarum & cur. p. 207.
Polonica reformatio quid ſentiat de Eccleſię infallibilitate & reali preſentia. p.264.& 340.
Primatus Eccleſię Romanæ. p.315. ad 302.& 372.
Propoſitio ſenſibilis rei credendæ, quomodo ſtat cum eius obſcuritate. p. 222 ad 225.
Propoſitio fidei ſeu myſterij reuelati qualis. p.224.
Proceſſus in infinitum inducitur negata Eccleſię infallibilitate. pag. 212.
Propoſitio Eccleſię docentis qualis. p. 215.
Proponens res fidei quotuplex. pag. 232. 233.
Proteſtantes & puritani quales ſecundum reformatos. p.127.128.
Puritas doctrinę vel prædicationis an recta nota Eccleſiæ. pag. 11. ad 15.
Purgatorium. p.365. 366.

Q

QVæſtio gemina inter Chriſtianos ventilari ſolita. p. 251. ad 254.198.199.

R

RAtio naturalis quomodo intelligatur neceſſaria ad credendum. p.214.
Ratio naturalis nude ſumpta in rebus fidei incidit in periculum Atheiſmi. p.256.
Ratio naturalis ſecluſa regula fidei dirigente incidit in diſcrimen libertiniſmi & carentiæ omnis religionis. p. 257. 258.
Ratio naturalis nude ſumpta nequit
per-

percipere res fidei . pag. 203. ad 208.
Ratio naturalis potius neganda quã recedendum à fide. p. 261.
Realis præſentia Chriſti in Euchariſtia à primitiua Eccleſiæ patribus agnita. p. 329. ad 334.
Realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia fatentur plerique reformati. p. 337. ad 346.
Realem præſentiam fatetur Eccleſia Græca. p. 334. ad 337.
Reformatio quomodo ſemper ſynagoga Satanæ. p. 22. ad 27.
Reformatio non eſt vera Eccleſia. p. 27. ad 29.
Reformationis moles nullitate authoritatis ſubnixa p. 33. ad 35.
Reformationis proceſſus quid requirat. p. 38. ad 41.
Reformatio cui ſimilis. p. 41. ad 53.
Reformatio eſt fanaticorum deliriũ & hiſtrionica ſcena. p. 53. ad 57.
Reformationis authores quales. p. 18. ad 22.
Reformationis dogmata nullo modo eſſe neceſſaria ad ſalutem fatentur reformati. p. 152. 153.
Reformationis nihil credendum fatentur principia reformatorum. p. 154. ad 160.
Reformandi authoritate carent reformati. p. 35. ad 41.
Reformati non digniores fide in negotio Religionis, quam moderni Rabini. p. 64. ad 63.
Reformati tenentur indagare veritatem, & in illa indagine non fidere ſuis miniſtris. p. 119. & deinceps.
Reformatus populus debet cauere à ſuis miniſtris. p. 123. & deinceps.
Reformati valedicunt Chriſto, Chriſtique Euangelio. p. 165. ad 171.
Reformati tenent ſe peccando non peccare. p. 168.
Reformati ſecundum propria ſua principia neminem ad ſuam reformationem obligare poſſunt. p. 160. ad 171.
Reformati Antichriſtianam crudelitatem exercent. p. 72.
Reformatorum cœtus excluditur à ratione veræ Eccleſiæ. p. 305. 306. 307.
Reformati in multis capitibus conueniunt, cum prædamnatis hæreticis. p. 308. ad 311.
Reformati ex proprijs principijs ſunt impoſtores. p. 58. ad 73. & deinceps per totam diſt. 3. & 4. primæ partis.
Regenitum eſſe quid ſecundum reformatos. p. 155. 156.
Regeniti an ſint reformati ibidem.
Regula credendi quid & quotuplex p. 196. 197. eius conditiones 197.
Regula credendi quomodo ſe habeat ad credibilia. p. 213.
Regula credendi mediante quomodo concipiatur fides. pag. 214. ad 218.
Regula credendi quomodo applicetur in praxi. p. 218. ad 222.
Regulæ credendi ſenſibilis exiſtentia vel locutio quomodo ſtat cum obſcuritate miſterij. p. 198. & deinceps item p. 222. & deinceps.
Regula credendi quomodo infallibilis. p. 231. 232.

Re-

Regula credendi unitatem in credentibus fouet. p. 277. ad 279.
Regulæ credendi parendum. p. 279.
Regula credendi obedientes exempti ab indagine religionum. p. 293. 294.
Regula credendi in quibus reſideat. p. 289. & deinceps.
Regula credendi quam neceſſaria, & expediens ad ſalutem humani generis p. 203. & deinceps ite p. 292. ad 298.
Religionis Chriſtianæ neceſſitas ad ſalutem probat infallibilitatem Eccleſiæ. p. 285.
Romana Eccleſia præ omnibus eſt vna. p. 311.
Romana Eccleſia eſt ſancta. p. 312. 313.
Romana eſt vera Chriſti Eccleſia, ex ipſius reformationis principijs p. 313. 314.
Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam quomodo de fide. p. 314.
Romanæ Eccleſiæ primatum agnouit primitiua Eccleſia. p. 315. ad 320.
Romanæ Eccleſiæ fides eadem hodie, quæ primitiuæ. p. 320. ad finem operis.
Romanæ Eccleſiæ fides de reali præſentia, eadem quæ primitiuæ a p. 329. & deinceps in *Romana Eccleſia tantummodo vera ſalus.* p. 370. 371.
Romanam ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam probant quatuor vulgares notæ à reformatis admiſſæ p. 314. ad 325.
Romanæ Eccleſiæ definitiones nunquam inuenta contraria verbo Dei. p. 296.
Rudes & imperiti per reformationis principia à ſalute excluſi. p. 84. & deinceps.

S Acramentorum adminiſtratio, an nota diſtinctiua Eccleſiæ. pag. 12. 13.
Sacramentorum legitima adminiſtratio probat infallibilitatem Eccleſiæ. p. 241.
Sacramentorum ſeptenarius numerus. p. 361. 362. & deinceps.
Sacrificium miſſæ. p. 364. 365.
Sanctorum inuocatio & honor. p. 366.
Sanctitas doctrinæ compatitur cum prauis moribus. p. 280.
Sancti an ſoli membra Eccleſiæ. a p. 11. ad 17.
Saxonicæ confeſſionis ſententia de reali præſentia. p. 342.
Scotica confeſſio qualis; eius ſententia de reali præſentia. p. 241. 352.
Scotiæ appellationes ad Romanam Eccleſiam. p. 319.
Scripturæ intelligentia quæ media requirat ſecundum reformatos. p. 114. 115.
In ſcripturæ intelligentia errant reformati. p. 116. 117. 118.
Scriptura à diabolo citata ad probandas ſuas impoſturas. p. 118. 119.
Scripturam pro ſuis erroribus allegabant hæretici omnes. pag. 96. 97. 99.
Scriptura euidens electis & regenitis

nitis ſecundum reformatos ridicule. p. 155.
Scriptura ſi ſola credendi regula, nullus ſaluari poſſet. p. 84. & *deinceps.*
Scriptura quot modis conſiderari poteſt. p. 303.
Scriptura poteſt conſiderari vt fide diuina creditur, ac fide humana conſulitur. ibid.
Scriptura humana fide cōſulta eſt medium impugnandi hæreticos, & Iudæos, ac probandi Ecclſiam. ibid.
Scripturæ Canon legitimus ab Ecclesia petendus. p. 284.
Scrutinij priuati libertas quomodo notitiam ſalutis reddat impoſſibilem. p. 84 ad 89.
Scrutinium ſcripturæ à reformatis allegatum relinquit incertum a quo ſit reformatio. p. 77. ad 83.
Senſus ſcripturæ eſt ſubiectum controuerſiæ. p. 251. ad 259.
Senſus verborum ſcripturæ multiplex. p. 255.
Senſus verborū alius ex inſtituto hominū, alius ex mente diuina. ibid
Senſus ab authore intentus quomodo ab Eccleſia probetur, vel improbetur. p. 296. ad 298
Senſus ab authore intentus quot modis intelligitur. ibid.
Statiſmus non eſt credendi regula. p. 161. ad 165.
Statiſmus ſi eſſet credendi regula, omnis infidelitas eſſet licita ibid
Symbolum Apoſtolicū quo ſenſu credendū neſciunt reformati. p. 158
Symbolū Apoſtolicū vt rite intelligatur, & credatur requirit infallibilitatem Eccl. p. 268. ad 271.
Symbolum fidei eſſe verum, & eſſe reuelatum quomodo credimus & Deo & Eccleſiæ. p 202.

T

Textus ſacer diſtinguitur realiter à ſua expoſitione. p. 251.
Textus ſacri variæ expoſitiones. ibidem.
Textus nudus non eſt medium adæquatum ad probandum fatente Caluino. p. 323.
Textus Græcus vel hæbraicus nihil iuuat reformatos. p. 95.

V

Vbiquitas refutatur. p. 328.
Verſiones vulgares reformatorum quales. p. 89. ad 96.
Vnitas fidei quid, quotuplex, & quomodo probet infallibilitatem Eccleſiæ. p. 275. ad 280.
Vnitas fidei ſine dicta infallibilitate conſeruari non poteſt. ibid.
Vnitas fidei à SS. Irenæo & Cypriano explicata. p. 276. 278.
Vocatio generis humani ad ſalutem probat infallibilitatem Eccleſiæ. p. 208 & deinceps.
Vota Deo facta infringendi licentiā indulgent reformati. p. 313.
VVittembergica confeſſio qualis. p. 149. 150.
VVittembergicæ confeſsionis ſententia de infallibilitate Eccleſiæ, & reali præſentia. p. 236. 237. 238. 539. 540.

Prælum correxit. Fr. Bonauentura Mathæius Theologus Ordinis Minorum Prouinciæ Hiberniæ.

F I N I S.

Digitized by Google

[illegible]

D d. Tab. III. n°.10.